

CORPVS DOCTRINAE EVANGELICO-LVTHERANAE

OMNIA CONTINENS

QVÆ

DE REBVS FIDEI

THEOLOGIAE CVLTORI SCITV

NECESSARIA SVNT.

PARS PRIOR.

AVCTORE

M. MICH. RANFTIO,


V. D. M.

Cum Cenſura et Approbatione Incl. Fac. Theol. Lipſ.

LIPSIAE,

APVD JOH. SAM. HEINSII HAEREDES.

MDCCLIV.


BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

VIRO
ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CHRISTIANO GOTTLIEB,
S. R. I.
COMITI
DE HOLZENDORF,
DYNASTAE IN BAERNSTEIN, ROTHWERNSDORF ET STRASGRAEBGEN etc.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARIO ACTVALI INTIMO, RERVMQVE ECCLESIASTICARVM ET CONSISTORIALIVM IN TERRIS SAXONICIS PRAESIDI GRAVISSIMO.

DOMINO AC MAECENATI
MEO INDVLGENTISSIMO.

ILLVSTRISSIME
EXCELLENTISSIMEQVE
COMES,

DOMINE GRATIOSISSIME.

Ignoscas peregrino, VIR ILLVSTRISSIME, qui ausus est, opellam hanc TVO Excellentissimo Nomini dedicare. Meritorum TVORUM amplitudo summaque TVA diligentia in

 eccle-

ecclesiam remque publicam Saxonicam in tanta ubique versantur celebritate, ut nefas foret, si ii, qui in vicinia excelsas animi TVI *dotes admirantur, debitas earum laudes alto silentio præterire velint. Hisce ego præ cæteris me annumerandum puto, cum Saxoniæ Electorali natales, studia, munera, fortunam, familiam et quicquid saluti meæ conducit, debeam. Sub gloriosis enim auspiciis utriusque Potentissimi et Benignissimi* AVGVSTI *in Misnia Electorali natus et educatus, literisque tam humanioribus quam*

acade-

academicis imbutus, ad munera ſacra promotus et innumeris aliis beneficiis cumulatus ſum. Horum memoriam nulla unquam delibabit oblivio, etſi abhinc aliquot annis in regione vivam, in qua ſub moderamine Optimi et Feliciſſimi Principis alius forſitan patriam ſuam facile ex animo evelleret. At mihi Saxonia Electoralis ſemper dulce manebit natale ſolum, cujus reſpectu in Principatu Altenburgenſi nunquam deſinam peregrinus eſſe. Non igitur miraberis, DOMINE ILLVSTRISSIME, *conatum*

meum, nec me abſque conſilio egiſſe judicabis, quod librum hunc TIBI conſecraverim. Veneror in TUA Excellentiſſima Perſona ipſum PRINCIPEM, in cujus ſinu quondam non modo literis incubui, ſed etiam munere ſacro functus ſum. TIBI omnis cura in rebus eccleſiaſticis et academicis demandata eſt. Hinc non majus patrocinium opuſculum meum, univerſam Evangelico-Lutheranam doctrinam *continens, aſſequi poteſt, quam quod ſub alis* tanti *PROTECTORIS inveniet, qui nomine Potentiſſimi*

Regis

Regis et Electoris sui omnia, quæ ad statum religionis et ecclesiæ in terris Saxonicis spectant, summa auctoritate moderatur. TIBI *itaque,* COMES ILLVSTRISSIME, *me, meumque librum et totam meam familiam demissisime commendo, Deum indesinenter rogaturus, ut* T. E, *firmissimum ecclesiæ patriæque columen, ac verum Saxonici Zionis Palladium, cum tota illustrissima gente* HOLTZENDORFIANA, *sua virtute ad tantum dignitatis fastigium evecta, constanter sospitem ac incolumem* præ-

præstet, nec meritorum TVORVM magnitudinem ac splendorem ulla unquam seculorum caligine obrui sinat. Ex humillima mente hæc optat et precatur

ILLVSTRISSIME

AC

EXCELLENTISSIME COMES,

DOMINE GRATIOSISSIME,

TVAE ILLVSTRISSIMAE EXCELLENTIAE

Gros-Stechaviæ
in Princ. Altenburg.
ipsis Id. Maji
1754.

devotissimus Cultor & apud Deum deprecator.

M. MICHAEL RANFT.



BENEVOLE LECTOR!

Non librorum eget ecclesia, qui sanctissimæ fidei dogmata satis aperte planeque explicant. Vix unquam plus operæ studiique consumserunt Theologi in interpretandis fidei articulis, quam nostro tempore, quo omnia literis mandare solemus. Non solum multorum veterum Theologorum Systemata in nostris manibus versantur, sed tot novi quoque dantur Auctores, qui fidei & religionis nostræ evangelicæ doctrinam tradunt, ut totus quasi Theologiæ thesaurus exhaustus videatur. Et quanquam non omnes libri, qui de rebus fidei agunt, æquali pretio digni habeantur, plurimi eorum tamen a doctissimis Theologis summa diligentia elaborati sunt. Quidam ex his sanctissimam doctrinam in compendium redegerunt, quidam in toto suo ambitu exposuerunt. Nonnulli veterum Theologorum or-

 dinem

dinem ac methodum imitati ſunt, alii vero non ſolum novam methodum, eamque mathematicam, elegerunt, ſed etiam ſacra Theologiæ capita ad Auguſtanæ Confeſſionis aut totius Symbolici corporis ductum explicuerunt. Quidam uſi ſunt lingua vernacula, quidam vero latina. Omnes autem magni nominis viri ſunt, qui vel ſacrorum munerum dignitate, vel ingenii excellentia literarumque Theologicarum cognitione inclaruerunt. Audax igitur forte *TIBI, BENEVOLE LECTOR*, videbor, meque temeritatis argues, hunc edidiſſe librum. Supervacaneum habebis hunc laborem, nec a me aliquid lectu dignum expectabis. Non ſolum jam multos extare libros, dices, qui Theologiæ ſummam ſatis luculenter exponunt, ſed in omnibus Academiis etiam dari publicos eccleſiæ doctores, qui voce ac calamo divinam veritatem magno applauſu profiteantur, ejusque difficiliora capita & explicent & vindicent.

Ego ipſe, *BENEVOLE LECTOR*, libenter fateor, me haud magni nominis Theologum eſſe. At mihi tamen locum non denegabis inter tales verbi divini miniſtros, qui in ſacrarum literarum ſtudiis continuo ſe occupatos præbent & operam dant, ut & alios

de


de iis erudiant. Hac de caufa opufculum hoc literis mandavi. Id vero in eorum inprimis ufum me fcripfiffe velim credas, qui finitis ftudiis Academicis rure fe continent & vel munus ecclefiafticum adfpirant, vel eodem jam funguntur, Theologiæ vero capita repetere volunt. Titulus & methodus aliquid novi præ fe ferunt, doctrinam ipfam vero in libro contentam neutiquam novam habebis. Suspende autem tamdiu judicium *TUUM* de hoc qualicunque ingenii fructu, usque dum totum perlegeris librum. Invenies in eo nihil quidem, quod orthodoxiæ adverfatur, fingulares tamen obfervationes & quæftiones, hic illic interfperfas, deprehendes, quæ *TIBI* nec naufeam nec moleftiam creabunt. Fortaffe etiam approbabis fingularem libri hujus methodum, brevitatem & perfpicuitatem. Titulum *Corporis Doctrinæ* fert, quia omnia continet, quæ in ecclefia Evangelico-Lutherana de rebus fidei fcitu credituque neceffaria funt. Divifum eft totum opus in certos libros, & quilibet liber iterum in certa capita, ut eo diftinctius omnia, quæ ad fingulos fidei articulos fpectant, pertractentur. Summam adhibui diligentiam, ut conquifitis argumentis, ex Scriptura S. & fobria Philofophia petitis, omnia, quæ fcripfi, confirmem, & quæ obfcura

 fint,

ſint, perſpicua reddam. Noli vero, *BENEVOLE LECTOR*, perperam interpretari, me non totum opus una in lucem dediſſe. Hujus argumenti libri facile nauſeam creant iis, qui non magnos ſumtus pro iſtis impendere volunt, antequam de eorum præſtantia & dignitate ſatis certi ſunt. Diſtinxi propterea opuſculum hoc in *duas partes*, quarum *Prior* jam in hiſce paginis Tuo ſe ſiſtit conſpectui. Eos inprimis continet fidei articulos, qui ad Theologiam in ſpecie ſic dictam, nec non ad Anthropologiam & Chriſtologiam ſpectant. *Poſterior Pars* illos fidei articulos tradet, qui ad Sotirologiam pertinent. Non tempus accurate definire poſſum, quando hæc Altera Pars in publicum prodìtura ſit. Certus tamen eſto, me in ejus elaboratione jam omnem curam & diligentiam impendere eoque niti, ut tota *altera Pars* intra anni ſpatium prelo ſubjici & in lucem edi queat. Interim *TIBI* hanc *Primam* opuſculi mei *Partem* commendatam habeas. Spe gloriæ non intumeſco, ſed lætabor, ſi *TIBI* commentariolum hoc non plane diſpliceat. Vale & fave ſtudiis meis.

AUTOR.

CON-



CONSPECTUS
HUJUS PRIORIS PARTIS.

PROLEGOMENA.
De Theologia & Religione.

LIBER I.
De Scriptura Sacra.

LIBER II.

De Deo.

SECTIO I.

De DEO in genere.

SECTIO II.

De Deo Unitrino in specie.

LIBER III.

DE CREATIONE ET PROVIDENTIA.

SECTIO I.

De Creatione.

SECTIO II.

De Providentia.

LIBER IV.

De Angelis.

SECTIO I.

De Angelis in genere.

SECTIO

SECTIO II.

De Angelis bonis.

SECTIO III.

De Angelis s. Spiritibus malis.

LIBER

LIBER V.

DE HOMINE.

SECTIO I.

De Hominis Natura & Conſtitutione.


SECTIO II.

De Imagine Divina.

SECTIO III.

De Lapſu hominum.

SECTIO



SECTIO IV.

De Morte Temporali.

LIBER VI.

DE PECCATO.

SECTIO I.

De Peccato in genere.

SECTIO II.

De Peccato Originali.

Cap.

SECTIO III.

De Peccatis Actualibus.

LIBER VII.

DE CHRISTO.

SECTIO I.

De Perſona Chriſti.


SECTIO II.
De duplici Statu Christi.

SECTIO III.


De Triplici Officio Christi.

SECTIO IV.

De Redemtione Christi.




PROLE-



PROLEGOMENA.
DE
THEOLOGIA ET RELIGIONE

CAPUT I.
DE
THEOLOGIA IN GENERE.



OX ΘΕΟΛΟΓΊΑ a voce ΘΕΟΛΌΓΟΣ derivatur, ſignificat λόγον περὶ τοῦ Θεοῦ, h. e. *ſermonem de Deo*, & eſt a Scriptura S. quæ λόγος τοῦ Θεοῦ ſ. *ſermo* ipſius *Dei* eſt, probe diſcernenda.

Apud veteres Græcos vocabantur ſacerdotes & poëtæ *Theologi*, quia de genealogiis Deorum occupabantur & facta eorum exponebant.

Vox *Theologia* in Scriptura S. non occurrit, ſed tantum vox *Theologus*, & quidem in inſcriptione Apocalypſeos, ubi Johannes dicitur

Θεολόγος, quia præ aliis ſacris Scriptoribus divinitatem Chriſti demonſtravit.

Patres Græci inde occaſionem ſumſerunt, totam doctrinam de Deo rebusque divinis *Theologiam* vocandi. Fecit hoc & *Clemens Alexandrinus* & *Juſtinus Martyr*, quorum prior Ἐπιδρομὴν τῆς Θεολογίας dixit, quod Latini *Curſum Theologicum* nominant.

Patres Græci interdum etiam *Theologiam* in ſenſu ſpecialiori opponunt *Oeconomiæ*, quando per *illam* doctrinam de divina Chriſti natura, per *hanc* vero doctrinam de humana ejus natura intelligunt.

In ſacris literis Οἰκονομία comprehendit omnia, quæ Deus in hominum ſalutem decrevit, patefecit & effecit, Eph. III, 2.

Theologia varia in Scriptura S. habet nomina. In V. T. plerumque dicitur חכמה, *ſapientia*, in N. T. vero γνῶσις σωτηρίας, Luc. I, 77. σοφία Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, 1 Cor. II, 7. λόγος σοφίας, 1 Cor. XII, 8. ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν, Tit. I, 1. & ὑποτύπωσις ὑγιαινόντων λόγων, 2 Tim. I, 13.

Theologiam qui tractat, *Theologus* vocatur, quæ vox non quemcunque rerum ſacrarum cultorem ſignificat, qualis omnis homo eſſe debet, ſed hominem, qui habitum ſibi acquiſivit, de Deo rebusque divinis ratiocinandi & judicandi, Hebr. V, 14.

Vox *Theologia* partim *objective* ſ. abſtractive, partim *ſubjective* ſ. concretive ſumitur. Obje-

ctive

ctive sumitur, quatenus Theologia extra hominis mentem, subjective vero, quatenus intra ejus mentem locum habet.

Objective Theologia doctrina est de Deo rebusque divinis, *subjective* vero habitus cognoscendi Deum resque divinas.

Respectu principii distinguitur utraque Theologia in *Naturalem* & *Revelatam*.

CAPUT II.

DE THEOLOGIA, SUBJECTIVE SUMTA.

Theologia *subjective* s. concretive *sumta* recte per *habitum* definitur, quia consideratur hic, quatenus in homine, tanquam suo subjecto, est.

Habitus idem est ac facilitas agendi per crebrum exercitium acquisita. Jure hinc dicitur Theologia στερεὰ τροφὴ τῶν διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, Hebr. V, 14. Est enim habitus, qui circa exercitatas sentiendi facultates versatur ad dijudicandum, quid bonum vel malum sit.

Potest etiam *scientia* vocari, quæ habitus est, ea, quæ ad certam doctrinam spectant, recte cognoscendi. Probe distinguenda itaque est Theologia ab aliis habitibus, qui magis ad corpus, quam ad mentem spectant. Est enim habitus tantum cognoscendi.

Acquisitio hujus habitus non est mere naturalis, quia spirituales exercitationes requirit, quales sunt *oratio*, *meditatio* & *tentatio*. Deficiunt enim hominis menti vires propriæ ad cognoscendum ea, quæ spiritualia sunt, 1 Cor. II, 14. Interim naturalis aptitudo non excludenda est, ad quam ingenium, judicium & memoria pertinent, quæ hominem ad cognoscendas divinas veritates easque docendas & vindicandas idoneum reddunt.

Patet exinde, quod ea *Theologia* tantum sit *vera* dicenda, quæ in homine illuminato datur. Est enim habitus mentis θεόσδοτος, s. *divinitus* acquisitus. Omnis itaque Gentilium & Philosophorum, qua talium, nec non hæreticorum sic dicta Theologia magis Ματαιολογία, quam vera Theologia vocanda est. Potest enim Theologia proprie non esse, nisi ὀρθὴ καὶ ἀληθὴς, h. e. *recta* & *vera*, uti Clemens Alexandrinus istam nominat.

Respectu *subjecti* distinguitur Theologia in ἀρχέτυπον & ἔκτυπον.

Theologia ἀρχέτυπος ea cognitio est, quam Deus de se ipso habet, 1 Cor. II, 10. Act. XV, 18. Ita vocatur, quia non ab alia cognitione, tanquam causa exemplari dependet, sed potius omnis alius cognitionis, quæ in angelis & hominibus de Deo rebusque divinis datur, (& quæ propterea ἔκτυπος dicitur), forma & exemplar est. Exprimit enim hæc ideas Theologiæ ἀρχετύπου, per se incomprehensibilis,

1 Tim.

1 Tim. VI, 16. in verbo divino revelatas, Deut. XXIX, 29.

Communicata eſt Theologia ἀρχέτυπος cum Chriſto homine per unionis perſonalis gratiam, Matth. XI, 27. Col. II, 3.

Theologia ἔκτυπος in angelis eſt vel intuitiva, Matth. XVIII, 10. vel experimentalis, 1 Petr. I, 11. 12. Eph. III, 10. Illa concreata, hæc vero acquiſita eſt.

Theologia ἔκτυπος in hominibus poſt lapſum eſt vel *viæ*, vel *patriæ* ſ. viatorum & comprehenſorum, quæ diſtinctio ex 1 Cor. IX, 24. 2 Cor. V, 6. 8. & Phil. III, 12. 13. deſumta eſt, ubi de duplici hominum ſtatu reſpectu hujus & futuræ vitæ agitur.

Theologia viæ eſt ea, quam homines in hac vita habent & alias Hodoſophia nominatur, *Theologia patriæ* vero ea, quam electi habebunt in cœleſti patria, 2 Cor. V, 7. 1 Cor. XIII, 12. Illa eſt imperfecta, hæc vero perfecta, 1 Cor. XIII, 10. quæ propterea etiam *Theologia viſionis* appellatur, quia omnia tunc exactiſſime & oculatiſſime cognoſcemus, 1 Cor. XIII, 12. 1 Joh. III, 2.

Eſt Theologia ἔκτυπος in hominibus tam ante lapſum quam poſt lapſum vel *naturalis* vel *revelata*. Ante lapſum *naturalis* erat concreata, Col. III, 10. quæ tamen non adeo perfecta erat, ut non per experientiam & divinam revelationem augeri potuiſſet, Gen. II, 16. 17.

CAPUT III.

DE THEOLOGIA OBJECTIVE SUMTA.

Theologia *objective* f. abstractive *sumta* est doctrina de Deo rebusque divinis.

Respectu modi proponendi dividitur in *catecheticam* & *acroamaticam* f. *exotericam* & *systematicam*.

Theologia catechetica circa præcipua tantum divinæ doctrinæ capita versatur, ita, ut rudiores de iis capiant, quantum ad consequendam vitam æternam necesse habent; *acroamatica* vero circa omnia versatur, quæ ad doctrinam de Deo rebusque divinis spectant, ita quidem, ut idoneos reddat, qui eam tractent, ad docendum, confirmandum & defendendum, quæcunque ex Scriptura S. didicerint.

Respectu modi tractandi *Theologia Acroamatica* distinguitur in *dogmaticam*, *polemicam*, *moralem*, *exegeticam*, *casuisticam*, *homileticam*, *paracleticam* & *historicam*.

Theologia Dogmatica etiam *Thetica* & *Positiva* dicitur a *ponendo*, quia fundamentum salutis ponit. Nomen ex architectura desumtum est, 1 Cor. III, 10. 11. Nonnulli istud a thesibus & positionibus veritatum divinarum derivant, quibuscum occupata est.

Theologia Polemica divinas veritates a corruptelis hæreticorum & aliorum adversariorum vindicat.

Theo-

Theologia Moralis easdem ad ſanctimoniam vitæ applicat.

Theologia Exegetica iſtas ex ipſis Scripturæ S. fontibus eruit. Vocatur propterea etiam *hermenevtica*, quia regulas Scripturam S. explicandi ſuppeditat.

Theologia Caſuiſtica ex veritatibus divinis caſus conſcientiæ dubios enucleat & ſolvit.

Theologia Homiletica iſtas in formam ſermonis, in concione publica habendi, redigit.

Theologia Paracletica iſtas ad ſolatium in omnibus ærumnis & miſeriis accommodat.

Theologia Hiſtorica ſ. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* earum ſortem per omnia tempora exponit.

Datur inſuper etiam *Theologia Symbolica*, quo nomine Theologia Dogmatica inſignitur, quatenus ex libris eccleſiæ ſymbolicis hauritur & ad eorum ordinem & ductum tractatur.

CAPUT IV.

DE

THEOLOGIA NATURALI.

Theologia *Naturalis* nomen habet a *natura*, quia 1) reſiduum in nobis lumen naturæ principium ejus eſt, & 2) viribus intellectus & voluntatis naturalibus acquiri poteſt. Si objective ſumitur per *doctrinam*, ſi ſubjective, per *habitum* definitur.

Lumen naturæ eſt concreata facultas hominis, certas veritates per ſe non modo cognoſcendi,

ſed quoque de iisdem ratiocinandi. Per lapſum primorum parentum iſtud non quidem extinctum, at valde tamen debilitatum eſt.

Quatenus itaque naturæ lumen hominibus concreatum eſt, *Theologia Naturalis* Deum quidem auctorem habet, at ea tamen non propterea habitus θεόσδοτος dici debet, quia non divinitus, ſed tantum per vires naturales, valde tamen debilitatas & peccaminoſas, acquiritur.

A *Theologia Gentili* probe diſtinguenda eſt Theologia Naturalis, quia per ſe vera, etſi valde imperfecta & ad conſequendam ſalutem æternam non ſufficiens eſt. Ignorat enim non modo plurima fidei dogmata, ſed proponit etiam admodum obſcure & dubitanter, quæ aliquo modo cognoſcit. Verſatur præcipue circa veritates generales de Dei exiſtentia, eſſentia, operibus & cultu, nec non de animæ immortalitate.

Eſt vel ἔμφυτος ſ. *inſita*, Rom. II, 14. 15. vel ἐπίκτητος ſ. acquiſita, Rom. I, 20. Illam conſcientia docet, Rom. II, 15. hæc vero partim ex auditu, Joſ. IX, 9. 24. partim ex intuitu & conſideratione creaturarum, Rom. I, 20. Act. XIV, 15. Hiob. XII, 7 - 9 hauritur.

Pugnat itaque *atheismus* cum Theologia Naturali. Eſt iſte vel *theoreticus*, vel *practicus*. Ille eſt malitioſe affectata perſuaſio, quod non ſit Deus, hic vero talis vivendi ratio, quaſi non ſit

ſit Deus, qui malum puniat & bonum remuneretur.

Uſus Theologiæ Naturalis eſt, ut nos ducat ad Theologiam Revelatam, quæ in illius ſupplementum nobis data eſt.

Ex hiſce patet, quod Theologia Naturalis non ſolum habitus ſit cognoſcendi Deum ex viribus naturalibus, ſed etiam doctrina de Deo rebusque divinis, quatenus ex lumine naturæ hæc nobis innoteſcunt.

CAPUT V.

DE
THEOLOGIA REVELATA.

Principium Theologiæ Revelatæ eſt *revelatio divina*, quæ vel *mediata* vel *immediata eſt*.

Immediata revelatio fuit, quæ Patriarchis & Prophetis in V. T. nec non Apoſtolis in N. T. ad docendum & ſcribendum verbum Dei facta eſt, *mediatam* vero dicimus eam revelationem, quam inſtinctu divino Prophetæ & Apoſtoli literis conſignarunt.

Pro diverſa revelationis ratione, diverſoque revelatarum rerum genere multiplex quoque eſt *Theologia Revelata*. Eſt vel *Paradiſiaca*, vel *Patriarchalis*, vel *Moſaica*, vel *Prophetica* vel *Apoſtolica* ſ. *Chriſtiana*, quatenus ſcilicet cognitio rerum divinarum partim primis parentibus in ſtatu integritatis, partim Patriarchis ante & poſt diluvium, partim Moſi in deſerto, partim Pro-

phetis in terra Canaan, partim Apostolis temporibus Christi innotuit. Omnis tamen vera est, quia non solum veracem Deum autorem habet, sed etiam modo fide dignissimo revelata fuit.

Datur etiam *Theologia falsa* & *erronea*, quæ æque, ac vera, *Revelata* dicitur. Vitium vel in ipsa revelatione, vel in modo, quo homo res revelatas accipit, quærendum est.

Revelatio debet esse genuina & vere divina, si principium veræ Theologiæ eam nomináre volumus.

In N. T. clauso Scripturæ S. canone immediata revelatio prorsus cessavit. Quomodo autem in V. T. facta sit, suo loco ostendemus. Interim cum multi nostris temporibus de divinis revelationibus glorientur, quæ nil nisi ludibria vel diaboli vel corruptæ Phantasiæ sunt, non mirandum est, si datur *Theologia Revelata*, quæ falsa & erronea est, qualem omnis generis *Fanatici* & *Muhamedani* habent.

Multi vel revelatas veritates male interpretantur, vel iis humanas traditiones & doctrinas addunt, quas inter se ita commiscent, ut systema inde enascatur, quod totum erroribus scatet.

Prius faciunt omnes *hæretici*, posterius vero *Pontificii*.

Vera itaque *Theologia Revelata* ea tantum est, quæ non alias admittit doctrinas, quam quæ ex genuina revelatione divina, literis sacris consignata, petuntur & inter se ita cohærent,

ut

ut fundamentum salutis æternæ per fidem in Christum consequendæ non modo non offendant, sed etiam quovis modo suffulciant & corroborent.

Salus hæc *finis* totius Theologiæ Revelatæ *ultimus* est, isque *externus*, ab *interno*, qui in studio cognoscendæ veritatis divinæ consistit, probe distinguendus.

Objectum materiale Theologiæ Revelatæ sunt omnes res & veritates, quas Deus ad consequendam salutem æternam nobis revelavit. Versantur istæ circa *credenda* & *agenda*.

Credenda alias vocantur *dogmata fidei*, quia fidem vel constituunt, vel supponunt, vel consequuntur. Solemus etiam ista ob connexionem, quam inter se habent, appellare *articulos fidei*.

Agenda sunt *dogmata morum*, de quibus in Theologia morali agitur.

CAPUT VI.

DE ARTICULIS FIDEI.

F*ides*, quæ creditur, est complexus veritatum divinarum, quas credere debemus. Non aliter inter se cohærent, quam articuli in corpore. Ortum inde est nomen *articulorum fidei*, sub quibus dogmata intelliguntur, quæ doctrinam fidei constituunt.

Fundamentum hujus *fidei* est Scriptura S. Eph. II, 20. Continet omnes veritates a Deo revelatas.

latas. Summa ejus est doctrina de gratia Dei per Christi meritum hominibus acquisita & in certo ordine per fidem applicanda. Dicitur propterea doctrina hæc *fundamentum salutis*, & quidem *dogmaticum*, Joh. XX, 31. a fundamento salutis *reali* & *substantiali*, quod est ipse Christus, 1 Cor. III, 11. Act. IV, 12. valde distinguendum.

Quæcunque dogmata ad hoc fundamentum pertinent, dicuntur *articuli fundamentales*, quorum nexus *analogia fidei* appellatur.

Paulus hujus analogiæ mentionem facit Rom. XII, 6. ubi προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως poscit. Per προφητείαν intelligit donum interpretandi Scripturam S. & per πίστιν doctrinam fidei.

Comparatur analogia fidei cum *ædificio* 1 Cor. III, 10 sq. item cum *corpore* & *catena*, quia divinæ veritates arctissimum inter se nexum habent.

Non autem omnis, analogiæ fidei conformis, explicatio Scripturæ S. vera est, sed ea tantum, quæ criteria veri sensus habet. Quæcunque vero explicatio dicti alicujus biblici analogiæ fidei repugnat, falsa est.

Analogia fidei fundamentum est totius systematis Theologici. Est vero *Systema Theologicum* complexus omnium veritatum theologicarum, quatenus inter se ita cohærent, ut una alterius rationem in se contineat.

Quod

Quod contra analogiam fidei est, dicitur *hæresis*.

Articuli fidei fundamentales dividuntur in *primarios* & *secundarios*.

Primarii sunt dogmata, quæ ad salutem summe necessaria sunt & fidem salvificam constituunt. Hæc nec negari, nec ignorari debent.

Secundarii vero *articuli fundamentales* ea sunt dogmata, quæ non quidem ipsam fidem salvificam constituunt, eam tamen vel præcedunt, vel consequuntur. Hæc certo modo quidem ignorare, neutiquam vero negare possumus.

Dantur etiam articuli fidei, quos *non-fundamentales* dicimus, quia doctrinam fidei plane non tangunt, ideoque certo modo & ignorari & negari possunt. De iis notandum est, 1) quod in certis casibus nobis ignorantia eorum damnum pariat, quapropter etiam tollenda est, 2) quod negatio eorum non cum contemtu revelationis divinæ, nec cum pravo affectu conjuncta esse debeat, ne jacturam fidei faciamus, & 3) quod ad causam semper respicere debeamus, cur hanc vel illam doctrinam non-fundamentalem vel approbemus vel negemus. Dabo exemplum. Si doctrinam de propagatione animæ per traducem ex hac causa meam facerem, ut eo melius materialitatem & mortalitatem animæ probem, sententiam meam cum errore fundamentali conjungerem & sic ad fundamentum fidei alliderem.

Inter

Inter *ignorantiam* & *negationem* magnum eſt diſcrimen. Illa eſt actus intellectus, hæc vero actus voluntatis.

Ignorantia non debet eſſe malitioſa & affectata ſ. vincibilis, ſed ſimplex & invincibilis.

Diſtinguendus etiam eſt ſtatus quietis a ſtatu tentationis & contradictionis. In illo magis ignorari poſſunt certæ doctrinæ divinæ, quam in hoc.

Reſpiciendum quoque eſt ad ſubjectum. Cuidam enim plus datum eſt cognoſcere, quam alteri.

CAPUT VII.

DE RELIGIONE.

Religio & *Theologia* ita inter ſe differunt, ut prior nitatur poſteriori, tanquam ſuo principio.

Qualis itaque Dei rerumque divinarum cognitio eſt, talis etiam eſt cultus ejus.

Religio eſt determinatus Deum colendi modus. Determinatio fit per Theologiam & fundatur cognitione omnium, quæ Theologia docet. Hinc involvit cultus Dei cognitionem Dei.

Nomen *religionis* a vinculo pietatis deſumtum eſt, quia Deus ea hominem quaſi conſtringit & ad ſe religat. Eſt vero *pietas* habitus colendi Deum.

Cum homo ad gloriam Dei creatus ſit & propterea non modo rationem, ſed etiam imaginem

ginem divinam acceperit, ad religionem naturaliter obligatur, Rom. I, 21. Non igitur religio in hominum arbitrio posita est. Primum potius decalogi præceptum nos ad eam quam maxime obstringit.

Religio tam *multiplex* est, quam ipsa Theologia.

Est itaque vel *Naturalis* vel *Revelata*, & hæc iterum pro diversitate principii cognoscendi vel *Gentilis*, vel *Muhamedana*, vel *Judaica*, vel *Christiana*.

Religio Gentilis est vel *mythica* s. fabulosa, vel *philosophica*, vel *civilis*. Prima nititur figmentis poëtarum, altera opinionibus ex principiis corruptæ rationis haustis & ultima superstitione plebis, astra idolaque colentis.

Religio Muhamedana fundatur figmentis cujusdam falsi doctoris, nomine Muhamed s. Mahometh, qui sub titulo *Coran* s. *Alcoran* omnes suas doctrinas, quas a Deo accepisse falso gloriatus est, in corpus congessit.

Religio Judaica nititur revelatione divina, patriarchis & prophetis in V. T. facta. Erat olim vera & divina, sed simul temporaria, Jer. III, 16. Dan. IX, 24. & ad christianismum pædagogica, Gal. III, 24. ideoque multo imperfectior & inferior *religione christiana*, 2 Cor. III, 7 sq. 18. Hæc ex Judaica quidem orta est, Joh. IV, 22. eam tamen non juxta se patitur, quia Messiæ adventus statum ecclesiæ valde mutavit & veræ religioni per novas revelationes,

quæ

quæ partim immediate a Christo, partim mediate per Apostolos factæ sunt, Hebr. I, 2. aliam formam dedit, Jer. XXXI, 31 sq. Hebr. VIII, 8 sq. Gal. III, 23 sq. c. IV, 1 sq. Joh. IV, 23.

Christi temporibus *religio Judaica* per traditiones Pharisæorum aliorumque Judaicorum doctorum valde corrupta erat. Hisce corruptelis hodierni Judæi non modo adhuc præfracto animo insistunt, sed quoque systema suæ Theologiæ multo pluribus traditionibus, quas in sic dicto *Talmude* collegerunt, auxerunt. Tota hinc eorum religio nunc falsa & erronea est.

Religio Naturalis ea est, quam Theologia naturalis docet. In cultu Dei consistit, quatenus ex lumine naturæ nobis cognitio tam ipsius Dei, quam modi, quo colendus sit, innotescit. Neutiquam vero ad consequendam salutem æternam sufficit. Qui ad ductum ejus vivit & istam ad salutem æternam sufficientem esse putat, *Naturalista*, ejus vero religio *Naturalismus* vocatur. Species ejus est *Deismus*, secundum quem vivitur ad ductum solius rationis, Deusque & Scriptura S. susque deque habentur.

Sola itaque *religio Christiana* est vera & salutaris religio. Fundatur revelatione divina, quatenus non modo per Prophetas in V. T. sed etiam per Apostolos in N. T. literis consignata est, versaturque circa credenda & agenda.

Duo continet ista, 1) veram Dei cognitionem & 2) rectum ejus cultum. Nosse primum debe-

debemus, quem colimus. Cognitio igitur Dei præcedit & cultus ejus ſequitur.

Cognitio Dei eſt opus *intellectus* & *cultus* opus voluntatis. Prior alias etiam *ſapientia* vocatur, Prov. XVI, 10. Sir. I, 5. Jac. I, 5. quæ in ſenſu latiori totam Theologiam comprehendit.

Cultus a *colendo* nomen habet, quod idem ſignificat ac *honorare*. In honore Dei itaque totus conſiſtit Dei cultus.

Honor hic in Scriptura S. plerumque כָּבוֹד ſ. *δόξα* dicitur, quæ in omnibus actionibus ultimus noſter debet eſſe finis, Pſ. CXV, 1. 1 Cor. X, 31.

Partes hujus honoris ſunt *reverentia*, *fiducia* & *dilectio*, quippe in quibus ſumma primi decalogi præcepti, quod de cultu, ſoli Deo præſtando, agit, conſiſtit, uti recte B. LUTHERUS in *Catechismo minori* indicat, quando ad quæſtionem: quæ ſit hujus præcepti ſententia? reſpondet: *Debemus Deum ſupra omnia timere, diligere & ei confidere.*

Fiducia operatur tranquillitatem animi, patientiam & preces; *reverentia* timorem & laudem Dei, nec non gratias ipſi habendas, & denique *dilectio* propenſionem cordis & obſequium. Hæc omnia ſunt partes veri Dei cultus, quæ, ſi cum recta Dei cognitione conjungimus, formam veræ religionis Chriſtianæ conſtituunt.

Non omnes, qui nomen Chriſti profitentur, veram etiam Chriſti doctrinam ſequun-

tur. Dantur enim *variæ ſectæ* inter Chriſtianos, quarum quælibet ſe veram habere religionem gloriatur. Sed quæ ſint genuina veritatis ejus criteria, ſuo loco docebimus.



LIBER I.

DE SCRIPTURA SACRA.

CAPUT I.

DE SCRIPTURA S. ET REVELATIONE DIVINA IN GENERE.

Theologia Revelata requirit principium cognoſcendi. Hoc eſt id, quod rationem ejus, quod cognoſcendum eſt, continet.

Non aliud Theologia Revelata principium cognoſcendi habere poteſt, quam *revelationem divinam* ſ. manifeſtum verbum Dei.

Verbum Dei eſt revelata Dei voluntas de omnibus, quæ ad Deum recte colendum & ſalutem æternam conſequendam homini ſcitu neceſſaria ſunt.

Si voluntas hæc divina immediate hominibus cognita redditur, dicitur *revelatio immediata*, ſi vero mediate id fit, *mediata* nuncupatur.

Imme-

Immediata revelatio hominibus fiebat partim *interne*, partim *externe*.

Interne fiebat, quando ſine externis ſignis aut ſymbolis voluntas Dei intellectui humano cognita reddebatur. Hoc factum eſt Prophetis & Apoſtolis, de futuris vaticinantibus, 2 Petr. I, 21. Jer. I, 9. Matth. X, 19.

Externe fiebat ſub certis ſignis aut ſymbolis, quæ modo imaginationi, modo externis ſenſibus objiciebantur.

Imaginationi imprimebatur revelatio externa tam per ſomnia divina, quam per viſiones ecſtaticas. Per *ſomnia divina* id fiebat, cum dormientes vel nudam vocem Dei audirent, Gen. XXXI, 24. Hiob. IV, 12. 13. vel ſimul certas imagines viderent, Gen. XXVIII, 12 ſq. c. XL, 25. Dan. II, 19. Matth. I, 20. c. II, 13. 19. Act. XVI, 9. *per viſiones ecſtaticas* autem iſtud fiebat, cum vigilantium phantaſiæ varii viſus obvenirent, ex quibus voluntas divina conjecturari poterat, Ezech. I, 4. c. XXXVII, 1 - 10. c. XL. Jeſ. VI. Dan. X, 4 ſq. Act. X, 10 ſq. 2 Cor. XII, 2 ſq.

Senſibus externis fiebat revelatio 1) *per varias apparitiones*. Sic apparuit in V. T. ipſe *Filius Dei* & quidem non modo in aſſumta humana figura, Gen. XVIII, 2 ſq. c. XIX, 1 ſq. c. XXXII, 24 ſq. Joſ. V, 13 ſq. ſed etiam ſub aliis ſpeciebus, e. g. in ignea flamma, Exod. III, 2 & in columna nubis & ignis, Exod. XIII, 21. 22. Pſ. LXXVIII, 14. 1 Cor. X, 4. Apparuerunt etiam *angeli*, Gen. XVI,

XVI, 7 ſq. c. XXI, 17. c. XXXII, 1 ſq. 2 Chron. XXII, 16 ſq. Jud. XIII, 3 ſq. Dan. VIII, 16 ſq. c. IX, 21. Luc. I, 11 ſq. 26 ſq. Act. X, 3 ſq. Huc ſpectant quoque omnes aliæ divinæ viſiones, Exod. XXXIV, 5 ſq. 1 Reg. XIX, 11. 2 Reg. II, 11. *Apparitiones* vero *mortuorum hominum*, qua talium, cum ſpectro Endoræo 1 Sam. XXVIII, 14. jure meritoque ſecundum Luc. XVI, 30. 31. rejiciuntur.

Fiebat etiam revelatio ſenſibus externis 2) *per divinam vocem*, quæ præter naturæ ordinem in aëre formabatur & articulate audiebatur. Exempla occurrunt Gen. III, 8. Exod. III, 4. Num. XII, 6. Exod. XIX, 3. c. XXXIV, 6. Act. IX, 4. Matth. III, 17. c. XVII, 5. Joh. XII, 28. 1 Sam. XXIII, 9. Deut. V, 23. 26. Huc autem non trahenda eſt Fabula Judaica de בת קול ſ. *filia vocis*, quam Scriptura S. ignorat.

Fiebat etiam revelatio 3) *per certam ſcripturam*, Exod. XXXII, 15. 16. c. XXXIV, 28. Deut. IV, 13. c. X, 4. Dan. V, 5. 25 ſq. 4) per *Urim* & *Thumim*, Exod. XXVIII, 30. 1 Sam. XXVIII, 6. quod vero tantum usque ad captivitatem babylonicam, ipſis teſtibus Judæis, duravit; 5) *per ſortem*, Joſ. VII, 14 ſq. 1 Sam. XIV, 40 ſq. Act. I, 26. & denique 6) *per ſermones Chriſti*, Filii Dei incarnati, temporibus N. T. Hebr. I, 2. Joh. I, 18. quapropter Paulus teſtatur, Deum ultimum *per Filium* ad nos locutum eſſe, poſtquam olim πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως ad Patriarchas & Prophetas locutus eſſet, Hebr. I, 1. 2.

Poſt

Post constitutum canonem N. T. nullæ immediatæ revelationes divinæ amplius expectandæ sunt, Apoc. XXII, 18. Hebr. I, 2. Locus autem Joh. XVI, 12. respectum habet ad ea, quæ Christus post resurrectionem locuturus erat, Joh. XX, 30. 31.

Non alia itaque nobis jam restat *revelatio divina*, quam *mediata*, quæ est Scriptura Sacra.

Verbum Dei & *Scriptura S.* differunt ut genus & species; certo modo etiam, ut materia & forma, aut ut contentum & continens.

Verbum Dei est vel *internum* vel *externum*. *Internum verbum* sunt conceptus divini, per se considerati, & hoc est ipse Deus; *externum* vero *verbum* sunt conceptus divini, quatenus per certa signa, qualia sunt literæ, hominibus innotescunt, & hoc est Scriptura S. quæ propterea neutiquam ipse Deus dicenda est.

Verbum Dei est vel ἔγγραφον vel ἄγραφον. Illud est ipsa Scriptura S. hoc vero id, quod patribus tam antediluvianis quam postdiluvianis usque ad Mosem ex divina revelatione innotuit. Non modo hodierni Judæi, sed etiam Pontificii traditiones suas falso verbum Dei ἄγραφον nominant.

CAPUT II.

DE

CAUSIS DIVINIS SCRIPTURÆ S.

Φιλανθρωπία primaria causa fuit, cur Deus Scripturam S. consignare jusserit. Voluit, ut

ut omnes homines ad salutiferam veritatis cognitionem pervenirent, 1 Tim. II, 4.

Verbum Dei ἄγραφον durabat per duo, & quod excurrit, millenaria post conditum mundum, quia propter longævitatem Patriarcharum veritas divina facile ore propagari potuit, aucto autem genere humano & abbreviato vitæ humanæ cursu sapiens Deus satius esse duxit, literis mandare, quæ homines ex ejus consilio scire debent. Litera enim scripta manet.

Deus ipse initium scribendi fecit per consignationem decem præceptorum, ut eo firmius serventur, Exod. XXX, 18.

Oralis propagatio veritatis facillime naufragium facere potest. Si itaque divina veritas sarta tectaque conservari debuit, opus fuit, ut literis consignetur.

Popofcit hoc 1) imbecillitas humanæ memoriæ, 2) hominum proclivitas ad errandum, 3) eorum studium novaturiendi, 4) gravitas rerum, 5) difficultas discendi, 6) major commoditas in omnibus necessitatis casibus ad divina consilia confugiendi, & 7) cessatio extraordinarii doni Prophetici in Ecclesia. Accedit 8) conservatio Historiæ sacræ, statum Ecclesiæ delineantis & 9) monstratio harmoniæ tam divinarum prædictionum earumque impletionis, quam sacrorum typorum & antityporum, quæ non melius, quam per verbum scriptum fieri potuit.

Testan-

Teſtantur ſuo exemplo omnes populi de neceſſitate, ſacras leges & doctrinas literis conſignandi, cum arcana religionis ſuæ certis libris retulerint. Ejusmodi libri ſunt hodiernorum Judæorum *Talmud*, Muhamedanorum *Coran* & Malabarorum *Wedam*. Cur non etiam populus Dei & Chriſtiana Eccleſia *Sacram Scripturam* haberet?

Recte hinc Evangeliſta Lucas ex inſtinctu divino commendat Theophilo ſuo *Scripturam*, ceu optimum cognoſcendi principium, Luc. I, 34. Chriſtus vero in conflictu ſuo cum Satana, Matth. IV, 4. 7. 10. Phariſæis, Luc. X, 26. & Sadducæis, Matth. XXII, 29. non ad traditiones viva voce propagatas, ſed ad Scripturam provocat, nosque omnes ad ſcrutandam eam valde inſtigat, Joh. V, 39.

CAPUT III.

DE

AUCTORE ET SCRIPTORIBUS SCRIPTURÆ SACRÆ.

Autor Scripturæ S. eſt ipſe *Deus*. Continet enim verbum ejus, hominibus per ſe incognitum. Paulus propterea id nominat λόγια τȣ̃ Θεȣ̃, ſ. *eloquia Dei*, Rom. III, 2. Eſt opus ad extra, ut in ſcholis loqui ſolemus, & dicitur λόγος προφορικὸς, ut a λόγῳ ὑποστατικῷ diſtinguatur, qui eſt ipſe Filius Dei, Joh. I, 1.

Immediate Deus tantum decem legis moralis præcepta, Exod. XXIV, 12. c. XXXI, 18. c. XXXIV, 1. Deut. V, 22. *mediate* vero omnem reliquam ſcripturam literis conſignavit, 2 Petr. I, 21.

Homines, qui Scripturam S. literis conſignarunt, dicuntur *Sancti*, non reſpectu naturæ ſuæ, ſed reſpectu muneris. Erant enim vel Prophetæ vel Apoſtoli.

Prophetæ proprie appellantur ii Scriptores, qui ante incarnationem Chriſti verbum Dei literis mandaverunt & propterea ad V. T. referuntur; *Apoſtoli* vero ii, qui mox poſt Chriſti aſcenſionem in cœlos Dei verbum conſignaverunt & ad N. T. numerantur. Poſteriores erant partim ex numero duodecim, Matth. X, 1 ſq. Luc. VI, 13 ſq. partim ex numero ſeptuaginta diſcipulorum Chriſti, Luc. X, 1. Act. I, 21. 22. quibus *Paulus* annumerandus eſt, qui extra ordinem ad munus Apoſtoli a Chriſto poſt adſcenſionem ejus vocatus eſt, Act. IX, 6. 15.

Scriptores V. T. erant partim *proprie ſic dicti Prophetæ*, qui a Deo ſpeciatim ad annunciandum verbum ejus mittebantur, quales fuerunt Moſes, Exod. III, 10. 15. Samuel, 1 Sam. III, 10. 11. 19 ſq. Gad, Nathan, Ahia, Semaja, Oded, Jehu Ben Hanani & Choſai, 2 Chron. XXXIII, 19. item Jeſaias, Jeremias, Heſekiel ſ. Ezechiel, Hoſeas, Joël, Amos, Obadias, Jonas, Micha, Nahum, Habacuc, Zephanias, Haggæus, Zacharias & Malachias: partim *im-*

proprie

proprie sic dicti Prophetæ, quibus extra ordinem Deus verbum suum revelavit, quales fuerunt Josua, David, Assaph, Salomo, Hiob, Esra, Nehemia, Mardochai & Daniel. Omnes generatim dicuntur *Prophetæ* s. interpretes voluntatis divinæ, quia de Messia partim expressis verbis, partim per typos & allegorias testimonia dederunt, Act. X, 43.

Scriptores N. T. dividuntur *in Apostolos proprie sic dictos*, quales fuerunt Matthæus, Johannes, Petrus, Jacobus, Judas & Paulus; & in *apostolicos viros*, qui munus Apostolorum quidem obierunt, sed non immediate a Christo ad illud vocati sunt. Tales fuerunt Marcus & Lucas.

Scriptorum sacrorum *sinceritas* pluribus infra demonstrabitur. Etsi vero in consignanda Scriptura S. nec falli nec fallere potuerint, tamen eorum donum infallibilitatis extra actum θεοπνευστίας extendendum non est, quia in suis propriis rebus & negotiis omnino & falli & fallere potuerunt, ut Nathan, 2 Sam. VII, 3. & Petrus Gal. II, 11 sq. suis exemplis probant.

CAPUT IV.

DE

ΘΕΟΠΝΕΥΣΤΊΑι SCRIPTURÆ S.

Modus, quo Deus in consignandis literis sacris usus est, dicitur θεοπνευστία s. *divina inspiratio*. Nomen hoc desumtum est ex

verbis Pauli, 2 Tim. III, 16. ubi omnem ſcripturam θεόπνευςον, h. e. a Deo inſpiratam, vocat. Eſt vox ſpecialis & propria, quæ non de alia re uſurpari poteſt. Significat actum, quo Deus immediate verbum ſuum ſanctis hominibus ad literis conſignandum in mentem dedit.

Excitavit autem Deus ſanctos homines ad ſcribendum non modo *externe* per expreſſum mandatum, Exod. XXXIV, 27. Jer. XXX, 2. Jeſ. XXX, 8. Hab. II, 2. Apoc. I, 11. 19. & per ſuppeditatas occaſiones; ſed eos etiam *interne* ad iſtud impulit, 2 Petr. I, 21. eorumque cogitationes & affectus ad conſignandas res revelatas accommodavit.

Spiritui S. inprimis adſcribitur θεοπνευςία, quia ad opus ſanctificationis pertinet, quod Spiritui S. proprium eſt. Recte hinc non ſolum David id, quod locutus eſt, 2 Sam. XXIII, 2. ſed etiam Chriſtus id, quod Apoſtoli locuturi erant, Spiritui S. attribuit, Matth. X, 20. Joh. XVI, 13.

Petrus de Prophetis dixit, eos φερομένους ſ. agitatos eſſe a Spiritu S. 2 Petr. I, 21. Zach. VII, 12. & Paulus de ſe ipſo teſtatus eſt, quod loquatur verbis, quæ doceat Spiritus S. 1 Cor. II, 13. ubi ſimul notandum eſt, quod h. l. vox *loqui* non excludat ſcriptionem. *Loqui* enim interdum idem ſignificat ac *ſcribere*, Act. III, 24.

Diſtingui autem debet inter *revelationem* & *inſpirationem*. *Revelatio* notat quamcunque rei alicujus incognitæ manifeſtationem, *inſpiratio*

vero

vero ſingularem modum, quo aliquid cum certa determinatione tam rerum quam verborum intellectui humano cognitum redditur. Verſatur igitur *inſpiratio* non modo circa res incognitas, ſed etiam cognitas, *revelatio* vero tantum circa incognitas. Non omnia, quæ Deus revelavit, etiam ad ſcribendum inſpiravit, Apoc. X, 4. nec omnia, quæ Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerunt, iis revelata ſunt. *Res geſtas* partim per divinam revelationem, partim per propriam experientiam didicerant, eas tamen non niſi inſpirante Spiritu S. literis mandarunt.

Inſpiravit Deus 1) *conceptus rerum* ſ. res ipſas, quatenus cognoſcendæ ſunt, 2) *ordinem rerum*, & 3) *ſigna rerum*, ſ. verba & literas, Pſ. XLV, 2. Jeſ. LI, 16. Matth. X, 19. 20. 1 Cor. II, 13.

Deus in inſpiratione *συγκαταβάσει* aliqua uſus eſt. Accommodavit enim ſe ſcriptorum ſacrorum ingenio indolique & temperamento, unde diverſitas ſtyli in Scriptura S. orta eſt. Illuſtrari poteſt exemplo organi muſici, quod per unum eundemque flatum varios ſonos edit.

Accommodavit ſe etiam Deus ad materiam rei. Alius hinc datur loquendi modus in libris hiſtoricis, alius in libris metricis, alius in libris propheticis & alius in libris epiſtolicis.

CAPUT

CAPUT V.

DE

CODICE SCRIPTURÆ SACRÆ.

Scriptura S. vocatur *Codex* reſpectu externæ formæ, in quam libri ſacri redacti ſunt. Conſtituunt volumen, quod vulgo *Biblia* appellamus. Occurrit vox hæc 2 Tim. IV, 13. ubi Paulus mentionem facit τῶν βιβλίων, quæ Timotheum afferre jubet. Meretur Scriptura S. nomen hoc, quia quaſi liber librorum eſt, ſ. liber, qui ob præſtantiam ſuam κατ' ἐξοχὴν ſic dicendus eſt. Germani nomen hoc in ſuam linguam retulerunt, quando die Bibel vocant, quod Hebræi מקרא ſ. *lecturam* nominant.

In ſacris V. T. literis plerumque occurrunt nomina תורה ſ. *lex*, עדות ſ. *teſtimonium*, & פקודים vel מצות ſ. *præcepta Domini*, Pſ. XIX, 8. 9. Quæ nomina in N. T. exprimuntur per γραφὴν, Gal. IV, 30. & γραφὰς, Joh. V, 39. unde etiam vox *Scriptura* in Eccleſia Latina orta eſt.

Hæc omnino *ſancta*, *ſacra* & *divina* dicitur propter ejus finem, originem & doctrinam.

Alias quidem textus avthenticus dici ſolet *Codex ſacer*. Quia vero infra de illo ſpeciatim acturi ſumus, jam ſub nomine hoc tantum de *Scriptura S.* agimus, quatenus ex certis libris ſacris conſtat, in unum volumen congeſtis.

Pri-

Primus, qui in Ecclesia libros divinos in unum volumen congessit, est *Esra*, ultimus inter sacros V. T. Scriptores, qui simul ductu Spiritus S. Codices sacrarum literarum MStos emendavit, & recentiora locorum nomina substituit iis. Num vero simul autor fuerit divisionis Codicis Hebræi hodiernæ, non liquet, etsi id verisimile sit.

Valet divisio hæc adhuc in Ecclesia. Secundum eam constat Codex V. T. ex tribus partibus, quæ sunt 1) תורה, s. *Pentateuchus*, qui quinque libros Mosis continet; 2) נביאים, s. *Prophetæ*, sub quibus non modo vaticinia trium majorum Prophetarum, Jesaiæ, Jeremiæ & Hesekielis, duodecimque minorum, sed etiam libri Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum, quos Judæi priores Prophetas vocant, intelliguntur; & 3) כתובים, s. *Hagiographa*, quæ reliquos libros sacros comprehendunt, inter quos Psalmi, Proverbia Salomonis & liber Jobi primum locum tenent. Hos sequuntur Canticum canticorum, liber Ruth, Threni Jeremiæ, Coheleth & libri Estheræ, Danielis, Esræ, Nehemiæ & Chronicorum. Priores dicuntur *metrici*.

In Ecclesia Christiana divisio librorum biblicorum paululum mutata est. Libri non modo in capita & paragraphos discissi, sed etiam in *Vetus* & *Novum Testamentum* divisi sunt. Ad *Vetus* pertinent, quos Codex Hebræus continet, ad *Novum* vero ii, qui post adventum Christi scripti sunt.

Libri

Libri Veteris Testamenti constant ex duabus partibus, quarum *prior* continet non solum Pentateuchum, sed etiam libros historicos, scilicet Josuæ, Judicum, Ruth, Samuelis, Regum & Chronicorum libros, item libros Esræ, Nehemiæ, Estheræ, Jobi & Psalmorum, nec non Salomonis Proverbia, Ecclesiasten & Canticum canticorum. Partem V. T. *posteriorem* constituunt Prophetæ, inter quos etiam Daniel post Ezechielem relatus est, nec non liber Threnorum Jeremiæ, qui vaticinio ejus additus est. Appendicis loco sequuntur *libri Apocryphi*.

Ordo *librorum Novi Testamenti* ita se habet, ut quatuor Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ & Johannis primum locum teneant, deinde Acta Apostolorum & Epistolæ Pauli, Petri, Johannis, Jacobi & Judæ sequantur, Apocalypsis vero Johannis totam Scripturam sacram claudat.

Quilibet liber Scripturæ S. tam Veteris quam Novi Testamenti dividitur in *capita*, quæ non divinæ, sed humanæ originis sunt. Adscribuntur vel *Hugoni*, Episcopo Barcinonensi, vel *Stephano Longthono*, Anglo, quorum uterque Seculo XIII floruit. Distinctio in versiculos per accentum Silluk in Codice Hebræo semper locum habuit, divisio vero textus Hebræi in *Paraschas* & *Haphtharas* s. Sectiones a Judæis facta est. Sunt autem pensa hebdomadaria lectionum eorum.

Tex-

Textus Græci diſtinctio in verſiculos *Robertum Stephanum*, doctum typographum Pariſienſem, autorem habet, qui An. 1559 Genevæ mortuus eſt.

CAPUT VI.

DE TEXTU SCRIPTURÆ SACRÆ.

T*extum* dicimus externam ſcripturæ materiam a texendo, quia id, quod in mente habemus, per literas quaſi conteximus. Omnis itaque ſcriptura eſt quaſi textura, quæ ex verbis & phraſibus conſtat & mentem Scriptoris exprimit.

Ad textus conſiderationem pertinent lingua, literæ, puncta, verba, phraſes & ſtylus. Uti vero quodlibet horum ad exprimendum Scriptoris ſenſum aliquid confert, ita etiam unumquodque eorum ad Scripturæ S. materiam divinitus inſpiratam referendum eſt.

Lingua Scripturæ S. avthentica in libris V. T. eſt *Hebræa*, in libris N. T. vero *Græca*. Fruſtra *Jo. Harduinus* evincere ſtuduit, linguam N. T. avthenticam fuiſſe latinam.

Lingua Hebræa non modo ſanctorum virorum, per quos Deus locutus eſt, ſed etiam populi iſtius, ad quem in primis verba fecit, vernacula fuit. Conſtat ex literis & punctis, utrisque a Deo inſpiratis.

Puncto-

Punctorum inspirationem divinam multi in dubium vocant. Inventum Judæorum Tiberiensium esse dicunt. Sed errant. Ex Masora enim patet, jam temporibus Esdræ adfuisse puncta. Sine iis Codex Hebræus exanime quasi cadaver, & tota Scriptura hieroglyphica foret. Christus clare indicat Matth. V, 18. puncta divinæ originis esse. B. Lutherus ad negandam punctorum θεοπνευστίαν ab Elia Levita, Judæo Germanico, deceptus est.

Dantur quidem multi Codices V. T. non punctati, & quidem jam temporibus ante Christum, sed fuerunt Apographa, intra privatos parietes descripta & retenta, quæ ab exemplari publico, arcæ sacræ incluso, probe distinguenda sunt. Hoc solum erat genuinum αὐτόγραφον, quod omnino punctatum fuit, & quamquam id periit, exemplaria tamen, ad istud punctata, satis multa remanserunt.

Posito etiam, literarum & punctorum, quibus hodie utimur, formam esse Chaldaicam, inter ipsas tamen literas & puncta, quæ omnino divinæ originis sunt, & eorum characteres, qui humanum inventum esse possunt, distinguendum est. Hujus sententiæ etiam ex nostratibus Theologis ii sunt, qui docent, puncta non respectu scriptionis, sed tantum respectu pronunciationis suis consonantibus coæva esse.

Intercurrunt in textu Hebræo quædam *Chaldaica loca*, e. g. Gen. XXXI, 47. Jer. X, 11. Dan.

Dan. II, 4 sq. usque ad c. VIII. & Esr. IV, 8 sqq. usque ad c. VI, 18. nec non c. VII, 11-26. Nec desunt in eo *idiotismi Arabici*, inprimis in libro Jobi. Ad quæstionem autem, cur hoc factum sit, respondemus, Deum sine dubio peregrini idiomatis verba textui Hebræo in eum finem inserere voluisse, ut indicet, nullam linguam præ altera per se sanctam esse, seque in usurpandis linguis ad statum populi, ad quem locutus fuerit, accommodasse.

Linguam Græcam inprimis ad consignandum verbum suum in N. T. elegit, quia 1) tunc temporis in omnibus regionibus, ubi Evangelium doceri debebat, usitatissima, plurimarumque gentium vernacula, & 2) ad exprimendam scriptoris mentem maxime idonea erat.

Propter *Hebraismos*, qui in textu N. T. Græco occurrunt, dictio non dici debet impura, etsi virorum sanctorum modus loquendi ab ordinaria Græcorum dialecto paululum differat. Dicitur hic modus loquendi propterea a quibusdam *lingua Hellenistica* ab Hellenistis, qui natione Judæi, lingua vero Græci fuerunt. Orti autem sunt Hebraismi in libris N. Test. quia 1) res in iis occurrentes Hebraicæ originis sunt, 2) Scriptores sacri de gente Judæorum fuerunt, quibus lingua Hebræa vernacula fuit, 3) versio Codicis Hebræi LXXviralis s. Alexandrina Græca per proselytos apud Judæos tantam auctoritatem nacta est, ut in synagogis & alia occasione eam legerint, &

4) textus biblicus majorem dignitatem per certos idiot smos impetravit.

Quod autem ſcriptores ſancti propter majorem perſpicuitatem peregrinas voces uſurpaverint, iis non vitio vertendum eſt, quia probatiſſimi auctores profani idem fecerunt. Hac de cauſa non modo voces *Syro-Chaldaicæ*, ſed etiam *latinæ* hic illic in ſacris literis occurrunt.

Solœciſmi & *barbariſmi* non ſine blasphemia a quibusdam Criticis Scripturæ S. tribuuntur, quos tamen potius idiotismos dicere debemus.

Num *Evangelium Matthæi* & *Epiſtola ad Hebræos* in lingua Hebræa, *Epiſtola ad Romanos* vero in latina primum conſignata fuerit, in medio relinquitur. Hoc tamen certo certius eſt, textum Græcum in hiſce ſcriptis, ſive ſit originalis, ſive ex alia lingua translatus, revera *θεόπνευστον* eſſe.

Stylus Scripturæ S. quidem diverſus eſt pro rerum indolisque ſcriptorum varietate, totus tamen ita comparatus, ut præcipua verborum dignitas & ſumma Auctoris majeſtas ubique exinde eluceat.

Ordo textus non *θεόπνευστος* eſt, ſed ab iis originem habet, qui ſingulas libri partes, haud uno tempore literis conſignatas, in volumen ſ. מגילה collegerunt. Exorta inde eſt inverſio rerumque geſtarum, quam aliqui hic illic in Scriptura S. obſervant, quæ autem non Deo, ſed iis, qui vaticinia prophetica in unum volumen collegerunt, tribui debet.

CAPUT

CAPUT VII.

DE

INTEGRITATE SCRIPTURÆ SACRÆ.

Integritas Scripturæ S. nominatur etiam perfectio partium, quæ ad numerum librorum & integritatem textus respectum habet.

Potuerunt viri θεόπνευστοι aliquod scribere, quod non θεόπνευστον fuit. Id si periit, integritati Scripturæ S. damnum non affert, quia in scriptura nunquam fuit.

Allegantur in sacris literis sequentes *libri*, quos deperditos nominamus, nempe:

1. *Vaticinium Henochi*, Ep. Jud. v. 14.
2. *Liber fœderis*, Exod. XXIV, 7.
3. *Liber bellorum Domini*, Num. XXI, 14.
4. *Liber justorum*, Jos. X, 13. 2 Sam. I, 18.
5. *Liber juris regii*, 1 Sam. X, 25.
6. *Liber sententiarum & cantionum Salomonis*, 1 Reg. IV, 32.
7. *Chronica Salomonis*, 1 Reg. XI, 41.
8. *Chronica Regum Israëlis & Judæ*, 1 Reg. XIV, 19. c. XV, 7 &c.
9. *Liber Nathanis & Gad*, 1 Chron. XXX, 29.
10. *Liber Abiæ & Iddonis*, 2 Chron. XIX, 29.
11. *Liber Semajæ*, 2 Chron. XII, 15.
12. *Liber Jehu*, 2 Chron. XX, 34.
13. *Liber Jesaiæ de Usia & Hiskia*, 2 Chron. XXVI, 22. c. XXXII, 32.

14. *Liber Chozai*, 2 Chron. XXXIII, 19.
15. *Threni Jeremiæ de morte Josiæ*, 2 Chron. XXXV, 25.
16. *Chronica Regum Medorum & Persarum*, Esth. VI, 1. c. X, 2.
17. *Liber Domini*, Jes. XXXIV, 16.
18. *Liber Jeremiæ de excidio Hierosolymæ*, Jer. XXXVI, 6. 23.
19. *Epistola Pauli tertia ad Corinthios*, 1 Cor. V, 9.
20. *Epistola Pauli ad Laodicenses*, Col. IV, 16.

Quidam horum librorum nunquam extiterunt, e. g. *vaticinium Henochi*, quod Judas vel ex traditione vel ex inspiratione allegavit; item *Epistola Pauli tertia ad Corinthios*, quæ ea ipsa est, in qua illius mentionem fecit; nec non *Epistola ad Laodicenses*, quæ prior ad Timotheum est, quam Paulus Laodicea misit. Quidam ex istis libris licet extiterint, nunquam tamen sacri fuerunt, e. g. *Chronica Regum Medorum & Persarum.* Quidam forsitan adhuc supersunt, sed sub alio nomine, e. g. *liber fœderis*, nec non *libri Nathanis, Gadi, Abiæ, Jeddonis, Chozai* &c. Quidam, etsi sacri fuerint, non tamen inter θεοπνεύςους & canonicos referri debent, cujus generis libri Apocryphi sunt.

Omnes libros vere θεοπνεύςους & quos canonicos esse voluit Deus, usque ad nostra omnino tempora conservavit, textusque integritatem ab omni corruptione custodivit.

Inte-

Integritas textus probatur ex Matth. V, 18. ubi ne quidem Jota, nec apex interiturus dicitur.

Maſora Codicis Hebræi quaſi ſepimentum fuit. A מסר, h. e. *tradidit* & *docuit*, nomen accepit. Eſt priſcorum Hebræorum Critica S. in qua omnia, quæ ad genuinam textus Hebræi lectionem pertinent, ſollicite annotarunt & obſervarunt.

Huc ſpectat etiam diſtinctio lectionis in Keri & Chetibh. *Chetibh* eſt lectio ordinaria in textu avthentico expreſſa, *Keri* vero eſt certarum vocum lectio diverſa, ad marginem textus a Maſoretis poſita, cum vel de integritate iſtarum vocum in textu dubitaverint, vel pia mente aptiores iis ſubſtituerint.

Diſtinguendum eſt inter σφάλματα, quæ ex librariorum incuria & hæreticorum malitia in textum originalem irrepſerunt, & inter totius Codicis per omnia exemplaria corruptionem. Poſteriorem negamus, priora vero, quæ ex collatione plurium exemplarium facile emendari poſſunt, concedimus.

Diſtinguendum etiam eſt inter *fontes* & *verſiones*. Cum interpretes Codicis ſacri in translatione errare potuerint, textus avthenticus non ex verſionibus, ſed verſiones ex textu avthentico dijudicari debent.

Ab allegatione locorum V. T. in libris N. T. a textu originali aliena ad probandam textus avthentici corruptionem non valet conſequen-

tia. Facta enim est illa non secundum textum avthenticum, sed secundum versionem LXXviralem, quæ ab illo differt. Christus & Apostoli in commodum ethnicorum præcipue eam voluerunt citare, quia lingua Græca maxime apud illos cognita & usitata fuit. Licet vero hæc citatio locorum V. T. in N. T. θεόπνευστος sit, non tamen propterea ipsa versio LXXviralis canonicæ auctoritatis est.

CAPUT VIII.

DE VERSIONIBUS SCRIPTURÆ S.

Cum non omnes homines linguam Script. S. avthenticam calleant, Scriptura S. tamen ab omnibus legenda sit, *versiones* ejus in alias linguas magnam omnino utilitatem habent, quæ tamen non plenaria, ut ipsi fontes, sed tantum hypothetica avthentia gaudent, & quidem *non nisi* respectu rerum & sensus, neutiquam vero respectu verborum, utpote quæ non θεόπνευστα, sed humana sunt. Omnis enim homo mendax est & ad errandum proclivis, Rom. III, 4. Ps. LXII, 10. Ps. CXVI, 11.

Præcipuæ sacrarum literarum *versiones*, quæ aliquam præ cæteris auctoritatem in Ecclesia obtinuerunt, sunt LXXviralis Græca, vulgata latina & Lutheri Germanica, de quibus singulatim hic aliqua attulisse juvabit.

Versio Græca dicitur *LXXviralis*, quia per ſeptuaginta & duos interpretes, natione Judæos, concinnata eſt, & quidem Alexandriæ ſub Ptolomæi Philadelphi, Regis Ægypti, auſpiciis, quapropter etiam *Alexandrina* vocatur. Eſt inter omnes Græcas antiquiſſima. Tantæ olim fuit auctoritatis, ut non ſine luminis divini afflatu conſignata eſſe diu credita ſit. Priſci Chriſtiani Hebrææ linguæ ignari maximi eam habuerunt, quia frequenter iſtam in N. T. allegatam inveniebant. Eſt autem a ſanctis ſcriptoribus ejus allegatio in uſum proſelytorum facta, qui Hebraica legere nequibant, Græcam vero verſionem jam in manibus habebant. Sunt ad hunc usque diem aliqui, ægre qui ferunt, ut inique de ea ſentiatur. At quis dubitet, eam multifariam a textu Hebræo aberrare? Non mirum hoc eſt, cum non modo Codex, quo interpretes in vertendo textu Hebræo uſi ſunt, non punctatus fuerit, ſed etiam avtographum citius perierit, quam in hominum manus apographa ejus venirent. Innumeris igitur depravationum periculis expoſita fuit. *Origenes*, cum verſionem hanc ſimul cum aliis verſionibus Græcis juxta ſe poſitis ediderit, auctor eſt Bibliorum tetraplorum, hexaplorum & octoplorum.

Verſio latina, vulgo *Vulgata* dicta, Hieronymo adſcribitur, qui tamen tantum certas ſacri Codicis partes tranſtulit, quarum textus vero non cum apographis, quæ adhuc extant, concordat.

cordat. Augustinus *de doctr. christ. lib. 2, c. 11.* jam suo tempore dixit, latinos Scripturæ S. interpretes non numerari posse. Verisimile hinc est, vulgatam versionem ex multis aliis compositam esse, & quidem ab homine, qui jam Pontificiorum erroribus infectus fuit. Aberrat ea non modo valde a textu avthentico, sed in multis etiam locis accommodata est ad dogmata Pontificia. Romana Ecclesia eam ideo pro avthentica & tam probata versione habet, ut nemo istam ullo modo rejicere debeat. Sed neutiquam majoris valoris est, quam alia versio biblica, imo ne quidem tanti, quia jure meritoque multis aliis postponi potest, quas tamen ipsi Papicolæ rejiciunt & condemnant, pro sola sua latina versione dimicantes. Non volunt perpendere verba Pauli improbantis usum linguæ ignotæ coram cœtu sacro, 1 Cor. XIV, 16.

Versio Lutheri Germanica prima fuit in hac lingua. Inter maxima beneficia divina numeranda est, quæ salutiferæ Reformationi Ecclesiæ debemus. Lingua latina antea sola erat apud cultum divinum in usu. Cum vero plurimis hominibus & ipsis clericis incognita esset, tanta cæcitas rerumque sacrarum ignorantia hominum mentes occupavit, ut major esse non potuerit. Egregia itaque lux iis a Luthero accensa est, cum non solum linguæ latinæ usum in cultu divino publico abrogaret, sed etiam Scripturam S. ex ipsis fontibus in vernaculam

culam transferret. Initium an. 1522 cum libris N. T. fecit, quos excepit an. 1523. Pentateuchus. Hunc secuti sunt cæteri libri V. T. singulatim primum editi. Tandem an. 1534 tota biblia Germanica lucem adspexerunt. Versio hæc in Ecclesia nostra tanti habetur, ut omnibus aliis, quæ posthinc factæ sunt, jure præferatur. Auctoritatem libri Symbolici nacta est fere in tota Evangelico - Lutherana Ecclesia, & quanquam non ab omnibus mendis libera sit, nemo tamen inique de ea judicare, nec in habendo publico Dei cultu istam seponere debet. Interim neutiquam textui avthentico æquiparanda, nedum præferenda est, quia tantum versio est, cujus auctor nunquam originalis scripti verum sensum in translatione satis exhaurire potest. Lector saltem de genuino sensu non certus esse potest, priusquam versionem cum avthentico & originali textu contulit. Manet itaque textus avthenticus versionum judex, quapropter nemo theologiæ deditus esse potest, qui non illam intelligat.

Pentateuchus Samaritanus non ad versiones biblicas referri debet, quia ipse textus Hebræus est Samaritanis literis conscriptus. Scatet erroribus, quia non ubique bona fide scriptus est.

Addere hic aliquid lubet de *Paraphrasibus Chaldaicis*, *Targumim* a Judæis dictis. Tres inprimis celebrantur Chaldaici interpretes, *Onkelos*, *Jonathan* & *Josephus luscus*, quorum priores Christo coævi fuerunt, ultimus vero se-

culo post Christum natum quarto vixit. *Onkelos* solius pentateuchi, *Jonathan* vero tam pentateuchi quam aliorum Prophetarum, & *Josephus* hagiographorum paraphrasin dedit. Jure dicuntur *paraphrases*, quia non nudæ versiones sunt. Quanti eas faciant Judæi, ex eo apparet, quod *Onkelosum* paraphrasin suam ex traditione Mosis conscripsisse, *Jonathanem* vero suam ab Haggæo, Zacharia & Malachia Prophetis accepisse asserant. Sed jure rident Christiani assertionem hanc, etsi peritiores ex iis justum paraphrasibus hisce decernant pretium, quia in Exegesi sacra non leves nobis interdum ferunt suppetias.

CAPUT IX.

DE

AUCTORITATE SCRIPTURÆ SACRÆ.

A*uctoritas* & dignitatem & potestatem comprehendit: *dignitatem*, ut magni faciamus id, quod auctoritatem habet, *potestatem* vero, ut obsequium eidem præstemus. Nomen habet ab *auctore*. Quo major igitur & dignior iste est, eo major etiam est auctoritas istius rei, quæ ab eo venit.

Scriptura S. *Deum* habet auctorem: hinc maxima quoque inter omnes libros gaudet auctoritate. Habet & summam dignitatem & sum-

ſummam poteſtatem: *ſummam dignitatem*, ut maximi eam faciamus, omnemque ei fidem tribuamus, *ſummam* vero *poteſtatem*, ut omne obſequium ei præſtemus & pro ſola norma habeamus. Sequitur exinde, *duplicem* dari *auctoritatem* Scripturæ S. ſcilicet *motivam* & *normativam*. *Motiva* eſt, quæ nos ad magni faciendam illam & fidem ei præſtandam commovet, *normativa* vero, quæ alias etiam *canonica* dicitur, ea eſt, de qua infra agetur.

Diſtinguitur alias etiam inter *auctoritatem* Scripturæ S. *hiſtoricam* & *normativam*. Prior eſt univerſalis per totam Scripturam & ſpectat ad fidem rerum hiſtoricam, poſterior vero eſt particularis & ſpectat ad normam fidei & vitæ. Non enim omnia in Scriptura S. imitanda, nec omnia ad imitandum a Deo inſpirata ſunt, quia verba & facta in ea occurrunt, quæ tantum hiſtoricam fidem habent, ab *auctoritate* Scripturæ S. *motiva* ſ. hiſtorica dependentem.

Hæc *auctoritas*, quam Græci Αὐθεντίαν vocant, a ſolo Deo eſt, Hoſ. XII, 11. *Eccleſia* quidem ϛύλος καὶ ἑδραίωμα ſ. columna & ſtabilimentum veritatis dicitur, 1 Tim. III, 15. ſed non niſi in ſenſu politico, neutiquam vero in uſu architectonico. Dat Eccleſia quidem Scripturæ S. teſtimonium, non vero auctoritatem. Prophetæ enim & Apoſtoli ſunt tantum teſtes, præcones & cuſtodes ejus, Rom. III, 2.

CAPUT

CAPUT X.

DE

VERITATE SCRIPTURÆ S.

Ut de ſumma Scripturæ S. auctoritate certi ſimus, neceſſe eſt, ut teſtimonia colligamus, quibus *veritatem Scripturæ Sacræ* confirmemus.

Eſt Scriptura S. omnino *verum Dei verbum*, literis mandatum, ad cognoſcendum, quæ diſcere & credere debemus.

Teſtimonium de Scripturæ S. veritate eſt vel *internum* vel *externum*. *Internum* eſt a Spiritu S. 1 Joh. V, 6. 9. *externum* vero petitur vel ab hominibus vel a criteriis ipſius Scripturæ S. inſitis.

Ethnicis convertendis eſt quidem *teſtimonium hominum* de Scriptura S. *primum*, ſed non primarium. Δεῖ μανθάνοντα πιςεύειν, dixit propterea Ariſtoteles *in Elench. Soph. c. 2.* h. e. *diſcentem oportet credere.* Illuſtrari poteſt exemplo mulieris Samaritanæ, cujus teſtimonio cum incolæ urbis credere inciperent, ad audiendum Jeſum ipſum ſe conferebant, quo audito dicebant ad eam: *nunc non amplius propter tua verba credimus, quia ipſi audivimus & cognovimus, quod hic ſit vere ſervator ille mundi, Chriſtus*, Joh. IV, 42.

Etſi autem Scripturæ S. veritas ex Scriptura S. probetur, non tamen circulus vitioſus eſt. Non enim idem per idem, quatenus idem, pro-

probatur, quia varia in illa occurrunt, necnon locus loco teſtimonium dat.

Et ſi quoque idem per idem probetur, non tamen vitioſum eſſet, quia Deus αὐτόπιςος eſt, qui nullo hominum teſtimonio indiget, Joh. V, 34. Scriptura S. vero principium probandi primum eſt.

Datur *duplex probandi circulus*, vitioſus & probatus. *Circulus vitioſus* eſt petitio principii, aut ignoti per æque ignotum probatio. *Circulus probatus* vero, qui Græce κυκλοδείξις ſ. *probatio circularis* dicitur, nil aliud eſt, quam regreſſus a cognitione rei confuſa ad diſtinctam.

Teſtimonia, quæ divinam Scripturæ S. veritatem probant, gignunt & fidem divinam & fidem humanam. *Fides divina* eſt, quando propter internum Spiritus S. teſtimonium credimus, Scripturam S. eſſe verum Dei verbum, nobis revelatum, *fides* vero *humana*, quando idem credimus propter Scripturæ S. criteria & Eccleſiæ hominumque teſtimonia.

Teſtimoium Eccleſiæ non cum Calvinianis plane reſpuere debemus, etſi teſtimonium Spiritus S. internum primarium ſit & multum prævaleat. Eſt enim ad fidem humanam unice neceſſarium, ad fidem divinam vero conditio ſine qua non: Fide divina *per* teſtimonium, fide vero humana *propter* teſtimonium Eccleſiæ credimus.

Fides humana gignitur partim ex criteriis Scripturæ Sacræ inſitis, partim ex teſtimonio

nio tam miraculorum quam hominum & Ecclesiæ.

Criteria Scripturæ S. insita sunt vel externa vel interna. *Externa* sunt antiquitas, scriptorum ἀξιοπιστία, utilitas, vaticiniorum complementum & ad nostra usque tempora conservatio; *interna* vero: styli præstantia, doctrinæ rerumque contentarum tam harmonia, quam veritas & sanctitas, mysteriorum sublimitas & denique consolationum suavitas. De hisce omnibus in sequentibus capitibus speciatim agemus.

Testimonium miraculorum est quidem divinum, at tantum externum testimonium, quapropter non aliam etiam quam humanam gignit fidem. Sunt autem *miracula* operationes Dei, quæ extra ordinem naturæ in regno potentiæ fiunt ad confirmandam Prophetarum Apostolorumque divinam missionem & doctrinam.

Testimonium Ecclesiæ est id, quod doctores ecclesiastici verbis & scriptis suis omni tempore dederunt Scripturæ S. Pontificii, qui quasi in Pontificis maximi, ceu infallibilis Ecclesiæ suæ capitis, verba jurant, plus huic testimonio tribuunt, quam ipsius Spiritus S. testimonio interno, cum tamen non aliam, quam humanam gignat fidem.

Nec hic prætereunda sunt *testimonia aliorum hominum* extra Ecclesiam viventium, quæ de rebus in Scriptura S. contentis in scriptis eorum passim occurrunt.

Ad

Ad confirmandam fidem humanam multum omnino contribuunt. Huc pertinent vaticinia Sibyllarum de Chriſto apud Lactantium, & quæ de Chriſto & Moſe Juſtinus & Tacitus teſtantur, nec non quæ Fl. Joſephus *in Antiquitatibus Judaicis L. XVIII c. 4.* de Chriſto habet.

Omnia argumenta, fidem humanam gignentia, nobis erga Scripturam S. reverentiam imprimunt, nosque ad legendam illam commovent, quæ lectio poſthinc medium fit, quo Spiritus S. ſuum *teſtimonium internum* nobis inſpirat. Et hoc ſolum iſtud eſt, quod fidem divinam parit.

Debet autem *Lectio Scripturæ S.* cum decenti reverentia, attentione, reflexione, oratione & ſtudio obſequii inſtitui. Alias non inde oritur teſtimonium *Spiritus S.* qui ad capiendum ſenſum vires ſuppeditat, ad aſſenſum intellectum commovet, voluntatem ad obtemperandum ſubigit, animum de divinitate doctrinæ convincit, convictionem hanc in nobis contra objectiones Satanæ, mundi & carnis confirmat & tandem dulcedine verbi animam ita mulcet, ut acquieſcat & in eo delectetur.

CAPUT XI.

DE EXTERNIS SCRIPTURÆ S. CRITERIIS.

Criteria Scripturæ S. ſunt affectiones, quæ ei propriæ ſunt & ad ejus dignitatem ſpectant.

Sunt

Sunt vel *externa* vel *interna*. *Externa* ab externis Scripturæ S. circumſtantiis, *interna* vero ab intrinſeca ejus conſtitutione petuntur.

Externorum criteriorum Scripturæ S. quinque potiſſimum ſunt, ſcilicet ejus 1) antiquitas, 2) ſcriptorum ἀξιοπιςία, 3) utilitas, 4) vaticiniorum complementum & 5) conſervatio ad noſtra usque tempora.

Antiquitas tribuenda eſt Scripturæ S. præ omnibus libris, qui unquam lucem adſpexerunt, & quidem non modo propter rerum materiam & ejus ætatem, ſed etiam propter literarum monumenta.

Ante Moſem nemo aliquid literis mandavit. Nec extat præter Scripturam S. antiquius ſcriptum, quod de genuinis mundi & hominum primordiis agat, nec datur liber in antiquiore lingua conſignatus, quam Codex Hebræus. Quantum vero hoc ad ejus dignitatem & præſtantiam faciat, docet Ariſtoteles *in Metaph. L. I. c. 3.* ubi τιμιώτατον ſ. maxime æſtimandum dicit id, quod πρεσβύτατον ſ. antiquiſſimum eſt.

Quæritur: *an Eccleſia ſit antiquior Scriptura Sacra?* Si de ſcriptionis actu vox Scripturæ ſumitur, concedimus, ſi vero de rebus contentis, negamus.

Scriptorum ἀξιοπιςία ex ſequentibus potiſſimum patet momentis, nempe 1) quod fuerint homines, quorum non modo virtus & vitæ integritas, ſed etiam animi ſimplicitas & candor ſatis conſtat, 2) quod ex conſignatione ſa-

crarum

crarum literarum nullum fructum ceperint, 3) quod propria sua vitia & peccata in iis non celaverint, & 4) quod non vanam quæsiverint gloriam, cum non suo, sed solius Dei nomine scripserint & ne quidem semper sui nominis mentionem fecerint.

Ipsæ *discrepantiæ circumstantiarum*, quæ hic illic in Scriptura S. occurrunt, egregium dant testimonium de Scriptorum sacrorum ἀξιοπιστίᾳ, quia exinde patet, se invicem non exscripsisse.

Utilitas Scripturæ S. tanta est, & tam universalis, ut respectu illius non alius liber ei æquiparandus sit. Quisque in ea pro suo statu & gustu invenit, quod & prodesse potest & delectare. Scriptura S. non modo præcipua enarrat facta Dei & hominum abhinc condito mundo, docetque viam salutis æternæ proximam, sed excellentissimas quoque vivendi regulas suppeditat, ad humanitatem & bonos mores optime informat, probatissimis exemplis erudit, validissime a facinoribus absterret & tanto verborum apparatu lectorum animos captat, ut assensum eidem denegare nequeant. Ad cujusvis commodum & ingenium sese accommodat sanctissimo modo, neminemque sinit abire ineruditum.

Vaticiniorum complementum inter præstantissima sacrarum literarum criteria numerandum est. Cum enim Scriptura S. plena sit vaticiniorum de adventu Messiæ & fatis Ecclesiæ populique Judaici, Jes. XLII, 9. c. XLVI, 10. sane aucto-

ritas ejus maximum acciperet detrimentum, ſi non vaticinia iſta eventu comprobentur. Verum ſatis conſtat, quam egregia omnia impleta ſint, quæ in ſacris literis prædicta ſunt, Act. III, 18. 1 Sam. III, 19. 2 Reg. X, 10. Haud parum hoc confert ad probandam Scripturæ S. auctoritatem divinam, quia homines futura contingentia certo & infallibiliter nec præſcire nec prædicere poſſunt.

Idem fere præſtat *Scripturæ S. ad noſtra usque tempora conſervatio*, inprimis ſi expendimus obſtacula illa, quæ doctrinæ in Scriptura S. contentæ inter maximas teſtium veritatis perſecutiones & temporum difficultates tam ex parte hominum convertendorum, quam ex parte callidorum & potentium adverſariorum facta ſunt. Mirum in modum per omnia ſecula incolumis conſervata eſt Scriptura S. Ipſæ inferorum portæ adverſus eam non prævalere potuerunt, Matth. XVI, 18.

CAPUT XII.

DE INTERNIS SCRIPTURÆ SACRÆ CRITERIIS.

Interna Scripturæ S. criteria ea ſunt, quæ ab intrinſeca ejus conſtitutione derivantur. Sex eorum jam ſupra numeravimus, quæ ita ſequuntur: 1) ſtyli præſtantia, 2) doctrinæ & rerum contentarum harmonia, 3) veritas, 4) ſan-

4) ſanctitas, 5) myſteriorum ſublimitas & 6) conſolationum ſuavitas.

Styli præſtantia ab aliis etiam *ſtyli ſimplicitas* nuncupatur. Conjuncta eſt cum gravitate, ſolo Deo digna. Tradit enim Scriptura S. res maximi ponderis & momenti ſine ullo verborum fuco & lenocinio. Quæ credenda ſunt docendo, & quæ agenda aut omittenda ſunt, præcipiendo aut prohibendo, & quidem ſumma cum auctoritate ſine ullo perſonarum reſpectu proponit. Deus ipſe plerumque in ea inducitur loquens, nec non teſtificans, ſe ipſum eſſe, qui hic cum hominibus agat. Dictio propterea gravis eſt & ad inſinuandum ſe animis valde accommodata.

Harmonia doctrinæ rerumque contentarum mirifice ſe cognoſcendam præbet, ſi perpendimus varietatem Scriptorum, ingenio, educatione & morum diſſimilitudine, nec non locorum ac temporum intervallis longiſſime a ſe invicem ſejunctorum, & occaſione, ſecum invicem animi ſenſa, literis mandanda communicandi deſtitutorum, qui tamen omnes in materia tam gravi ac ſublimi, ad ſalutem hominum æternam ſpectante, tam egregie ubique conſpirant, ut unus tantum fuiſſe videatur, qui ſcripſit. Quis non exinde Deum cognoſceret autorem, qui ſcriptoribus inſpiraverit res literis exprimendas? Locus locum illuſtrat & ad alterum provocat. Quæ interdum inter ſe pugnare videntur loca obſcuriora & difficiliora,

non ideo revera cum illis pugnant, quia doctorum interpretum opera facili negotio conciliari possunt. Moses & Christus semper conveniunt, & quæ in scriptis N. T. occurrunt, in V. T. jam vel præfigurata vel prædicta sunt, Act. III, 24. c. X, 43. Nec aliæ, quam apparentes in sacris literis dantur contradictiones.

Veritatem Scripturæ S. nemo in dubium vocabit, qui jam dictam harmoniam ejus, vaticiniorumque complementum, nec non historiæ Judaicæ convenientiam cum aliorum Scriptorum monumentis secum ponderat, doctrinamque ipsam perpendit, quæ mera dogmata fidei & morum continet, naturæ hominum consentanea, nec Deo indigna. Excedunt interdum quidem rationis captum, non tamen eidem contradicunt. Sunt *πάσης ἀποδοχῆς ἄξια*, h. e. omni acceptione digna, 1 Tim. IV, 9. Alliciunt assensum & non sine præfracto animo iis resisti potest. Rectissime igitur a Christo tota Scriptura S. dicitur *ἀλήθεια*, s. *veritas*, Joh. XVII, 17. quia nullius veræ falsitatis & contradictionis argui potest. Ad captum humani intellectus sese interdum quidem Deus in ea accommodavit, sed non qua erroneus, sed qua debilis est.

Sanctitas tribuitur Scripturæ S. quatenus non modo sanctissimum Deum autorem habet, sed quoque nil continet, quod non ad Dei essentiam, voluntatem, opera & beneficia attineat.

Tra-

Tradit quidem facta facinorosorum hominum & quæ natura nobis turpia esse vult, sed tam caste & circumspecte, ut neminem, nisi qui instar aranearum ex quolibet flore venena capit, offendant. Finem, quo tendit Scriptura, sanctum dicere debemus, perinde ac argumentum ejus ipsum. Omnia in ea ad divini nominis gloriam & hominum salutem æternam spectant.

Mysteriorum sublimitas itidem ad criteria Scripturæ S. interna pertinet. Nam sicut omnes populi in eo consentiunt, quod religio non possit esse sine mysteriis fidei, ita Scriptura S. omnibus omnino aliis ejusmodi libris palmam in eo præripit, quod non modo plurima habeat mysteria fidei, sed quæ etiam sublimissima, sanctissima & Deo dignissima sunt. Optime inter se concordant, analogiæ fidei non repugnant & quamvis rationis nostræ captum excedant, eidem tamen non contradicunt. Egregium de Dei altissimi sapientia, omnipotentia & benevolentia testimonium dant, ipsumque eo magis adorabilem reddunt, nec non timorem ejus nostramque pietatem promovent. Rectissime hinc cum Paulo arcana hæc nominare possumus ὁμολογουμένως μεγάλα μυστήρια τῆς εὐσεβείας, h. e. *secundum omnium consensum magna pietatis mysteria*, 1 Tim. III, 16.

Consolationum suavitas eo magis ad criteria Scripturæ S. interna referenda est, quo clarius nobis in ea ostenditur fons & conditio omnium

noſtrarum afflictionum calamitatumque, quibus in hac vita multifariam premimur. Si Scriptura S. ad omnia utilis eſſe dicitur, 2 Tim. III, 16. nobis omnino etiam ſolatia dabit, quæ ad erigendum afflictum animum neceſſaria ſunt. Scripta in eum finem eſt, ut, teſte Paulo, per patientiam & conſolationem ejus ſpem habeamus, Rom. XV, 4. Omnes homines id experti ſunt, qui in ſuis miſeriis ad Scripturam S. & verbum Dei confugerunt, Pſalm. XCIV, 19. Pſ. CXIX, 92. Jeſ. XXXVIII, 17. 2 Cor. I, 5. Tantum enim conſolationis theſaurum continet, ut non detur afflictionum genus, contra quod non ex eo medicina paretur.

CAPUT XIII.

DE

CANONE SCRIPTURÆ S.

Canon idem ſignificat ac norma ſ. regula. Sumta eſt hæc vox ex Pſ. XIX, 5. ubi legimus, quod in omnem terram exiverit קַו i. e. *canon* ſ. regula verbi divini. LXX interpretes ibi forſitan legerunt קֹל, quia per φϑόγγον reddiderunt. Hanc vocem poſtea Paulus, qui hujus verſionis uſum apud ethnicos bene novit, Rom. X, 18 retinuit, alibi vero, e. g. Gal. VI, 16. Phil. III, 16. 2 Cor. X, 13. voce κανόνος uſus eſt.

Canon itaque *Scripturæ S.* idem eſt ac qualitas normativa, ſecundum quam Scriptura S. facultate

tate pollet, fidem vitamque noſtram ad certas regulas ordinandi. Eſt enim nobis in normam infallibilem data, a qua nec dextrorſum nec ſiniſtrorſum deflectere debemus, Deut. V, 32. c. XXVIII, 14. Joſ. I, 7. 8. Prov. IV, 27. Jeſ. XXX, 21. Habet hanc auctoritatem a ſolo Deo, quia non modo ejus veram voluntatem continet, ſed etiam ab eo inſpirata & revelata eſt. Recte igitur dicitur omnium credendorum & agendorum ad ſalutem *norma* unica & infallibilis, & quidem *normans*, a *norma normata* diſtinguenda, quam conſtituunt libri Eccleſiæ Symbolici, qui non abſolute, ſed certo reſpectu nomen normæ merentur, quatenus ſcilicet cum Scriptura S. conveniunt. Occurrunt quidem nonnulla in ſacris literis, quæ non directe ad fidem & vitam pertinent, indirecte tamen. Facile autem ab iis diſcernenda ſunt, quæ ad illam ſpectant directe. Πᾶσα γραφὴ ὠφέλιμος 2 Tim. III, 16. Si Scriptura S. unica & infallibilis credendorum & agendorum norma eſt, norma etiam eſt in decidendis controverſiis circa credenda & agenda, Jeſ. VIII, 19. 20. Luc. XVI, 29. Utilis enim eſt πρὸς ἔλεγχον, 2 Tim. III, 16. Neutiquam tamen propterea judex controverſiarum Theologicarum proprie talis, qui ſemper perſona eſt, dici debet. Hoc eſt ſolus Spiritus S. Joh. XVI, 8. 13. Act. XV, 28: qui per Scripturam S. ceu vocem ſuam, res controverſas generaliter decidit, Jeſ. VIII, 19. 20. Pſ. CXLIX, 9. Joh.

XII, 48. Hebr. IV, 12. & posthæc specialiter sententiam suam per ecclesiæ ministros applicat, Act. XV, 2. Mal. II, 7. Hi enim sunt, qui gregem Christi pascunt, Act. XX, 28. 1 Pet. V, 2. exercitatos sensus habent, Hebr. V, 14. & verbum Dei recte dividere debent, 1 Tim. II, 15.

Est autem *ratio decidendi* non pro ipsa norma decidendi habenda, quia tantum instar instrumenti est, quo ecclesiæ ministri, dum in decidendis controversiis versantur, utuntur.

Pontificii summum suum Pontificem pro unico & infallibili controversiarum judice agnoscunt. Probare id student 1) ex Matth. XXIII, 2. ubi tamen non cathedra Mosis localis, sed vocalis s. doctrina, intelligitur. Provocant etiam 2) ad Matth. XVI, 19. ubi autem non clavis scientiæ, uti c. XXIII, 13. fit, sed clavis potestatis indicatur. Provocant porro 3) ad Matth. XVI, 18. ubi vero non Petri persona, sed ejus confessio fundamentum Ecclesiæ dicitur; distinguendum etiam est inter πέτραν & πέτρον: illa est Christus, hic vero omnis fidelis confessor. Provocant denique 4) ad infallibilitatem Ecclesiæ, quæ tamen non nisi hypothetica est; nec non 5) ad Pontificem summum V. T. qui autem non interpres legis, sed typus Christi fuit.

CAPUT

CAPUT XIV.

DE
LIBRIS CANONICIS SCRIPTURÆ SACRÆ.

Quia Scriptura S. auctoritatem ſuam Canonicam a ſolo Deo habet, nec omnes libri, in volumine Bibliorum ſacrorum occurrentes, a Deo inſpirati ſunt, orta inde eſt *diſtinctio* inter *Libros Canonicos* & *Apocryphos*, quæ admodum antiqua eſt. *Athanaſius* diſtinxit inter libros κεκανονισμένους & ἀκανονίςους, h. e. canoni adſcriptos & extra canonem conſtitutos. Strictius iſte accepit vocem hanc, quam alii primitivæ Eccleſiæ patres, qui ipſum Catalogum librorum ſacrorum appellaverunt *Canonem.*

Requiruntur autem ad verum Canonem *duo*, ſcilicet 1) *divina inſpiratio* & 2) *divina canoniſatio* ſ. ad perpetuum totius Eccleſiæ uſum conſecratio. Ut vero de cujuslibet libri biblici θεοπνευςία & canoniſatione certi evadamus, attendendum eſt ad criteria, ex quibus utrumque cognoſci poteſt.

Criteria hæc ſunt vel *generalia* vel *ſpecialia.*

Generalia ad totam Scripturam S. tam Veteris quam Novi Teſtamenti, ſpecialia vero tantum vel ad libros V. T. vel ad libros N. T. ſpectant.

Criteria librorum canonicorum *generalia* ſunt, 1) quod non niſi divinas contineant veritates, 2) non cum alio libro Canonico pugnent,

3) divinam originem per internam convictionem ſuam & virtute indicent, 4) in lingua vel Prophetica vel Apoſtolica conſignati & denique 5) ab Eccleſia in Canonem recepti ſint.

Uti vero Scriptura S. reſpectu ætatis & divini fœderis in *Vetus* & *Novum Teſtamentum* dividitur, ita quoque dantur *criteria ſpecialia*, ex quibus cujuslibet libri & quidem utriusque Teſtamenti Canonicus valor cognoſci poteſt.

Criteria ſpecialia librorum Canonicorum V. T. ſunt, a) quod ſcripti ſint ab aliquo Propheta divinitus inſpirato, Eph. II, 20. Luc. XVI, 29. c. XXIV, 27. Act. X, 43. c. XXVI, 22. Rom. I, 2. b) quod conſignati ſint in lingua Hebræa, quæ omnium antiquiſſima & Prophetis conſueta fuit, c) quod de Chriſto & futuro ſtatu N. T. aliqua prædicant, Act. X, 43. d) quod in Scriptis N. T. allegentur & e) quod teſtimonium habeant veteris Eccleſiæ Judaicæ, quæ Moſis & Prophetarum αὐτόγραφα vidit, legit & cognovit.

Hiſce criteriis gaudent omnes V. T. libri, qui in lingua Hebræa adhuc extant & a nobis ſupra nominati ſunt. Sed obſervandum hic eſt, 1) quod quilibet liber biblicus non omnia criteria pari gradu habeat, 2) quod liber libro teſtimonium det & ſic defectum criteriorum compenſet, & 3) quod nonnulli libri V. T. de Chriſto & ſtatu N. T. tantum per Genealogiam Chriſti & varios typos teſtentur. Hoc primum poſito non habemus, cur de librorum

Ruth,

Ruth, Estheræ, Esræ & Nehemiæ, nec non Cantici Canticorum divina & canonica avthentia dubitemus.

Criteria librorum Canonicorum N. T. sunt a) quod ab Apostolo vel Evangelista divinitus inspirato scripti sint, Eph. II, 20. b) quod in lingua Græca Apostolis consueta consignati sint, c) quod doceant, Jesum esse Christum, Dei Filium, qui nos redemerit, Joh. XX, 31. & d) quod habeant testimonium primitivæ Ecclesiæ Christianæ, quæ αὐτόγραφα vidit, legit & cognovit.

Hæc criteria omnes habent isti libri, qui in Codice Biblico occurrunt & ad Novum Testamentum referuntur. Constant ex quatuor Evangeliis, ex Actis Apostolicis, ex certis Apostolorum Epistolis & ex Apocalypsi Johannis. Cæteri libri omnes, qui viris Apostolicis tribuuntur, rejiciendi sunt, quia criteriis θεοπνευστίας tam generalibus quam specialibus carent. Catalogum eorum vide in *Fabricii Codice Apocrypho N. T.* Hic Auctor recensuit etiam in alio libro, quem *Codicem Pseudepigraphum V. T.* dixit, libros spurios & suppositios, quos plebs superstitiosa & ex parte malitiosa viris sanctis in V. T. affinxit.

Dantur quidem aliqua N. T. scripta, de quorum avthentia a quibusdam olim dubitatum est, sed hodie non amplius in controversiam deducitur res hæc. Referuntur huc *Epistola Jacobi, posterior Epistola Petri, Epistola secunda* &

tertia

tertia Johannis, Epistola Judæ, Epistola ad Hebræos & *Apocalypsis Johannis.* *Eusebius*, inprimis is est, qui canonisationem horum Scriptorum dubiam reddidit in *Hist. Eccles. Lib. II c. 23. Lib. III, c. 25.* & *Lib. VI. c. 25.* sed idem simul alibi expresse testatur, quod fere in omnibus Ecclesiis publice lectitentur, nec non inter libros omnium consensu probatos numerentur. Vide ejus *Hist. Eccl. Lib. II. c. 23.* & *Lib. III, 25.*

Dividuntur ideo libri Canonici N. T. in πρωτοκανονικοὺς & δευτεροκανονικοὺς f. *Canonicos primi* & *secundi ordinis.* Ad priores referuntur ii libri, de quorum θεοπνευστία nunquam in Ecclesia dubitatum est, ad posteriores vero ii, qui paulo serius unanimi consensu in Canonem recepti sunt.

Libri V. T. ejusdem valoris & necessitatis apud Christianos sunt, ac libri N. T. Joh. V, 39. Rom. XV, 4. Act. XVIII, 24. 25. Sociniani & Anabaptistæ objiciunt locum Hebr. VIII, 6. At in eo non de scriptis N. T. sed de fœdere, de quo in istis agitur, sermo est, cujus respectu omnino differentiam inter scripta V. & N. T. concedimus, scriptisque N. T. præ illis aliquam prærogativam tribuimus.

Libri, qui dictis criteriis destituuntur & variis erroribus scatent, jure meritoque a veris Canonicis separantur. Vocantur *Apocryphi* f. *absconditi*, quia ob defectum αὐθεντίας ad probandam veritatem divinam non merentur in medium proferri. Ad V. T. quidem referuntur, quia ante Christi nativitatem a piis Judæis lite-

literis consignati sunt, sed non ad Canonem Scripturæ S. pertinent. Numerant istos quidem ad eum certi doctores primitivæ & inprimis Africanæ Ecclesiæ, quod etiam in Concilio Carthaginensi III. approbatum est: sed distinguendum est inter *laxiorem* & *strictiorem Scripturæ S. canonem.* Canon strictior, qui in Concilio Laodiceno, Seculo IV. habito, stabilitus est, tantum proprie sic dictos libros Canonicos continet, ad canonem laxiorem vero certi patres Africanæ Ecclesiæ etiam libros apocryphos retulerunt.

Non opus est, ut hosce *libros Apocryphos* recenseamus, cum nomina eorum jam satis constent. Appendicis loco illi in Bibliis Germanicis annexi sunt libris V. T. Canonicis, quia omnino usum suum habent. Causæ vero, cur non ad proprie dictos libros Canonicos eos referre possumus, sunt a) quia post tempora Prophetarum originem ceperunt, b) non in lingua Hebræa extant, c) multa falsa & contradictoria continent, d) ab Ecclesia Judaica non in canonem recepti sunt, quippe cui credita fecerunt omnia eloquia Dei, Rom. III, 2. e) vaticiniis de Christo carent, f) a Christo & Apostolis in N. T. non allegantur & denique g) a primitiva Ecclesia Christiana pro Canonicis non habiti sunt, prout ex Concilio Laodiceno & ex testimoniis Melitonis, Hieronymi & Athanasii, quorum temporibus nondum in Catalogo Canonicorum librorum extiterunt, satis patet.

In-

Interim in Ecclesia Christiana jure leguntur, 1) quia bonas morum doctrinas continent, 2) Statum Ecclesiæ & Reipublicæ Judaicæ post captivitatem babylonicam exponunt, & 3) multas veritates divinas κατ' ἄνθρωπον confirmant.

Judæi ex iis solos *Libros Maccabæorum* admittunt, non tamen ut canonicos, sed tantum ut historicos libros, Pontificii vero omnes pro canonicis habent.

CAPUT XV.

DE

EFFICACIA SCRIPTURÆ S.

Efficacia *Scripturæ Sacræ* duplex est, vel naturalis vel supernaturalis.

Naturalis eadem est, quæ alias etiam verbo humano adscribitur. Sicut enim humani oratores stupendos interdum effectus verborum suorum lenocinio producere possunt, ita etiam Scripturæ S. talis virtus non deneganda est, cum stylus ejus ita comparatus sit, ut nil ei deficiat, quod Rhetorica ad demonstrandum & persuadendum requirit.

Sed hæc naturalis efficacia non sufficit. Accedere debet *supernaturalis*, quæ prorsus divina est & omnem hominem, qui non malitiose repugnat, afficit & ad pœnitentiam & obsequium incitat.

Jure

Jure meritoque hinc comparatur verbum Dei cum *ſemine*, Luc. VIII, 11. *igne*, Jer. V, 14. *malleo*, Jer. XXIII, 29. *pane*, Deut. VIII, 3. *cibo*, 1 Cor. III, 2. *gladio ancipite*, Hebr. IV, 12. *tonitru*, Pſ. LXVIII, 34. & *pluvia*, *niveque*, terram humectante, Jeſ. LV, 10. 11. Hoſ. VI, 3.

Palmaria loca, quæ efficaciam verbi divini probant, ſunt in genere Pſalmi XIX, XXIX & CXIX. in ſpecie vero ſequentia dicta: 1) Joh. VI, 63. ubi Chriſtus dicit: *verba, quæ loquor, ſunt ſpiritus & vita*, h. e. operantur ſpirituales cogitationes, propenſiones & affectus; 2) Hebr. IV, 12. ubi ζῶν καὶ ἐνεργὴς, h. e. *vivum & operans* appellatur verbum Dei; & 3) Rom. I, 16. ubi vocatur δύναμις, ſ. *potentia* aut *virtus Dei ſalvifica*. Confer etiam 1 Cor. I, 18. & c. II, 4. 5.

Efficacia hæc *ſupernaturalis* a) intima cordis penetrat, Act. II, 37. Hebr. IV, 12. b) omnia occulta in eo detegit, 1 Cor. XIV, 24. 25. c) intellectum illuminat, Pſ. XIX, 9. d) cor mutat, Ezech. XI, 19. e) fidem accendit, Rom. X, 17. f) homines regenerat, 1 Petr. I, 23. & convertit, Jer. XXVI, 3. c. XXXI, 18. g) viam ſalutis monſtrat, Pſ. CXIX, 105. 2 Petr. I, 19. h) totum hominem ſanctificat, Joh. XVII, 17. i) eum contra inſidias & impetus hoſtium corroborat, 1 Joh. II, 14. k) in omnibus calamitatibus erigit & conſolatur, Pſ. CXIX, 50. 92. l) ægrotos & vulneratos ſanat, Pſ. CVII, 20. Sap. XVI, 12. Jer. VIII, 22. & denique m) animam ſalvificat, Jac. I, 21. Rom. I, 16. 1 Cor. I, 21.

Effi-

Efficaciam verbi divini supernaturalem interdum etiam *impii* sentiunt. Exemplo nobis sunt *Pharisæi*, quorum intellectum ita cepit verbum Christi, ut obmutescerent, Matth. XXII, 46. Huc pertinet etiam *Felix*, quem verbum Dei perterritum reddidit, Act. XXIV, 25. nec non *Ahab* & *Herodes*, quos ad obsequium perduxit, 1 Reg. XXI, 27. Marc. VI, 20.

Quilibet *in semet ipso* efficaciam verbi divini sentire potest. Insita enim virtus ejus non πρὸς ἕτερον, sed tantum πρὸς ἑαυτὸν valet. Testantur hoc suo exemplo discipuli Christi, Joh. VI, 68. auditores Petri, Act. II, 37. discipuli Emauntici, Luc. XXIV, 32. eunuchus reginæ Candacis, Act. VIII, 28. 37. Lydia, Act. XVI, 14. 15. Samaritani, Joh. IV, 42. & Thessalonicenses, 1 Thess. II, 13.

Est autem efficacia verbi divini *resistibilis*, Act. VII, 54. Qui igitur eam in se ipso experiri vult, ad lectionem aut auscultationem ejus sine præjudiciis accedat, Luc. XVIII, 34. c. XXIV, 25. Matth. XVI, 21. 22. nec rerum terrenarum curam ac voluptatem carnis foveat, 1 Cor. II, 14. Docent hoc exempla Felicis, Act. XXIV, 25. 26. & Agrippæ, Act. XXVI, 28.

Adscribenda est efficacia verbi divini Deo & Spiritui S. *principaliter*, Scripturæ S. vero & verbo ipsi ὀργανικῶς s. *instrumentaliter*. Deus propterea dicitur per verbum operari, 1 Thess. II, 13. & Spiritus S. verbo nos docere, 1 Cor. II, 3. 1 Thess. I, 5. Recte hinc Scriptura S. vocari

cari poteſt *inſtrumentum*, quod tamen non mere paſſivum, ſed *cooperativum* eſt Rom. I, 16. Joh. VI, 63.

Ad quæſtionem: *num verbum Dei dicendum ſit eſſentialis Dei virtus?* reſpondemus negando. Id enim ſi affirmemus, verbum Dei ipſe Deus foret.

Si porro quæritur: *num verbum Dei etiam extra uſum vim & efficaciam habeat?* reſpondemus diſtinguendo inter actum primum & ſecundum. In actu primo omnino eam habet, uti ſemen, panis & medicamentum, non vero in actu ſecundo, qui legitimum uſum requirit. Sicut enim granum tritici cum omni ſua interna virtute nullam efficaciam præſtat, niſi cum terra miſceatur, Marc. IV, 28. ita etiam verbum Dei, niſi cum fide audiatur vel legatur, non effectum habet, Hebr. IV, 2. Appellatur propterea λόγος ἔμφυτος, Jac. I, 21. comparaturque cum pane & cibo, qui efficaciam ſuam in corpore non præſtare poſſunt, niſi per concoctionem in ejus ſuccum & ſanguinem convertantur.

Exinde patet, quod Scriptura S. & verbum Dei cum *Hermanno Rathmanno* & *Fanaticis* non vocari debeat *litera mortua*. Eſt enim quaſi ſemen per ſe efficax & ſuam ſemper præſtat virtutem, ſi modo aſſiſtente Spiritus S. gratia attente legitur, Act. VIII, 28. legitime auſcultatur, 1 Theſſ. II, 13. & in bonum cor ſpargitur, Luc. VIII, 8. 15.

CAPUT XVI.

DE PERFECTIONE SCRIPTURÆ SACRÆ.

Scriptura S. *duplici modo* dici poteſt *perfecta*, 1) reſpectu partium ſ. librorum ad Canonem pertinentium, & 2) reſpectu doctrinæ. De priori perfectione egimus Cap. VII. poſterior vero eſt hujus loci.

Opponitur tota doctrina de hac perfectione Scripturæ S. a) *Enthuſiaſtis*, qui novas revelationes poſcunt, & b) *Pontificiis*, qui traditiones ei addunt.

Scriptura S. non omnia, quæ Chriſtus, Prophetæ & Apoſtoli docuerunt, continet, ſed tantummodo ea, quæ ad adæquatam fidei & vitæ normam pertinent. Nec omnes circumſtantiæ in hiſtoriis biblicis narrantur, ſed eæ tantum, quæ ad ſcopum & Dei finem intentum ſpectant. Deus enim per Prophetas, nec non Chriſtus ipſe in ſtatu exinanitionis multo plura ad homines locutus eſt, quam Deo placuit literis mandare, Joh. XX, 30. 31. Non itaque Scriptura S. abſolute & ſimpliciter, ſed reſpectu finis perfecta dicenda eſt. Omnia enim continet, quæ Deus nos ſcire voluit. Quod non explicite de credendis & agendis docet, id implicite docet, facileque per bonam conſequentiam ex iſta erui poteſt.

Nomi-

Nominatur propterea perfectio hæc a Theologis etiam *sufficientia*, quia Scriptura S. ea omnia continet, quæ ad consequendum finem a Deo intentum sufficiunt.

Sufficientia hæc s. *Perfectio* Scripturæ S. probatur a) ex locis: Deut. IV, 2. Prov. XXX, 6. Apoc. XXII, 18. 19. in quibus nobis interdicitur, ei aliquid vel addere, vel detrahere; b) ex Psalm. XIX, 8. ubi expresse vocatur perfecta; c) ex Gal. I, 8. ubi Paulus diras illi imprecatur, qui aliter evangelizet, quam evangelizatum sit; & d) ex 2 Tim. III, 15-17. ubi idem Apostolus Timotheo suo Scripturam S. commendat tanquam scriptum, quod hominem ad salutem instruere & ad omne bonum opus idoneum reddere queat.

Enthusiastæ impugnant perfectionem Scripturæ S. novas quærendo revelationes divinas, quæ tamen obsignato Canone Scripturæ S. prorsus cessarunt. Ultimum enim non modo per Christum Deus ad nos locutus est immediate, Hebr. I, 1. sed ad solam quoque Scripturam S. in rebus salutis æternæ ablegamur, Joh. V, 39. Nullum quoque usum novæ revelationes habere possunt, cum nec nova doctrina proponenda sit, Gal. I, 8. nec Scripturæ S. aliquid addi debeat, Apoc. XXII, 18. 19. nec eadem luce clariori indigeat, Ps. CXIX, 105. Ps. XIX, 9. 2 Petr. I, 19. nec alia doctrina majorem efficaciam habere possit, Rom. I, 16. Quin dicam de defectu funda-

menti, nos de veritate novarum revelationum convincendi.

Pontificii Scripturam S. nominant quidem normam credendorum, ſed tantum partialem, non vero totalem. Addunt ideo ei *traditiones*, quas verbum Dei ἄγϱαφον dicunt. Sunt iſtæ varii generis. Referri enim huc non modo poſſunt Conciliorum Decreta & patrum primitivæ Eccleſiæ Dicta, ſed etiam Pontificum placita, Scholaſticorum theoremata & Monachorum ſomnia. Provocant ad Joh. XVI, 12. nec non ad 1 Cor. XI, 34. & 2 Theſſ. II, 15; ſed loca hæc non probant, quod probare debent. Diſtinguendum enim eſt inter Eccleſiam plantatam & plantandam. Non ad illam, ſed ad hanc ſpectant traditiones, quia in iſta canon Scripturæ S. nondum clauſus fuit. Valet hic, quod Chriſtus ad Phariſæos olim dixit: *Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras?* Matth. XV, 3. item: *fruſta me colunt, quia doctrinas docent, quæ nil niſi mandata humana ſunt*, Matth. c. l. v. 9. Jeſ. XXIX, 13.

Ad Deut. IV, 2. objiciunt Papicolæ, locum hunc tantum ad legem ceremonialem ſpectare. Sed reſpondemus, ſenſum ejus omnino directum eſſe ad totam ScripturamS. quia ſcriptaMoſis tunc temporis non modo totam revelationem divinam conſtituebant, ſed quoque prima quaſi lineamenta ſubſequentium revelationum continebant, ita, ut Prophetæ & Apoſtoli nil novi dixe-

dixerint, sed id, quod jam a Mose dictum fuit, pluribus exposuerint, & pro ratione temporis ad Statum Ecclesiæ accommodaverint, Act. XXVI, 22.

Locum Apoc. XXII, 18. 19. itidem Pontificii ad solam Apocalypsin restringunt. Sed cum Deus librum hunc inter Canonicos Scripturæ S. ultimum esse voluerit, interdictione hac quasi totum Scripturæ S. Canonem obsignavit.

Distinguunt quidem Pontificii inter *additamenta perficientia* & *corrumpentia*, quorum ultima tantum a Deo interdicta esse statuunt. Sed cum omnia additamenta supponant imperfectionem, ea quoque hic non locum habere possunt. Lædunt enim honorem Dei, qui, cum verbum suum ad illuminandum intellectum nostrum dederit, infirmitatis arguendus foret, si ad consequendum finem hunc requirantur additamenta, ex ingenio humano enata ac profecta.

CAPUT XVII.

DE PERSPICUITATE SCRIPTURÆ SACRÆ.

Perspicuitas ea est cujuscunque scripti boni proprietas, secundum quam sensum verborum ejus facile assequi possumus. Tribuenda est Scripturæ S. in omnibus, quæ creditu factuque ad salutem necessaria sunt. Cum *lu-*

mine propterea Scriptura S. comparatur, Pf. XIX, 9. Pf. CXIX, 105. 2 Petr. I, 19. Prov. VI, 23. 2 Cor. IV, 4.

Diftinguitur autem inter *perfpicuitatem rerum* & *verborum*. Pofterior femper adeft, non vero prior. Continet enim Scriptura S. res divinas, myfteria fidei & vaticinia de futuris, quæ omnia nobis ob imbecillitatem mentis fatis obfcura funt. Interim tamen claris verbis & perfpicuo ftylo proferuntur. Vocavit hoc B. Lutherus *claritatem externam* f. *grammaticam*, quæ ad omnes lectores æqualiter fpectat, ita, ut etiam impius & irregenitus fenfum literalem capere queat. Inculcat Paulus talem claritatem verborum omnibus Ecclefiæ Doctoribus, fi non in aërem loqui velint, 1 Cor. XIV, 9. Ejusmodi perfpicuitatem intelligit etiam Mofes, quando de verbo Dei dicit, *prope id effe in ore ac corde populi*, i. e. verbum Dei non ex inanibus, fed prægnantibus & ex ore hominum quafi depromtis vocibus & phrafibus compofitum effe, ita, ut a quolibet facile intelligi poffit, Deut. XXX, 14.

Dantur quidem aliqua in Scriptura S. loca, quæ minus perfpicua funt, verum non ipfi Scripturæ, fed hominum intellectui defectus perfpicuitatis adfcribendus eft. Nam non omnibus datum eft donum interpretandi, 1 Cor. XII, 8-10. c. XIII, 9. Dantur etiam *ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι*, 2 Petr. III, 16. nec non, quibus tenuitas ætatis, imbecillitas mentis & ignorantia

rantia linguæ impedimento eſt, quo minus Scripturæ S. ſenſum perſpiciant. Habet quoque perſpicuitas ſacrarum literarum ſuos gradus, dum locus locum claritate ſuperat.

Diſtinguendum igitur eſt inter *perſpicuitatem objectivam* & *ſubjectivam*. Prior in Scriptura S. ipſa; poſterior vero in homine quærenda eſt. Illa ſemper adeſt, non vero hæc. Cauſa ex 2 Cor. IV, 3. 4. patet, ubi diabolus reproborum hominum mentes ita excœcare dicitur, ut non videant clariſſimam Evangelii lucem.

Perſpicuitas Scripturæ S. neutiquam excludit *lumen Spiritus S. ſupernaturale*, utpote quod notitiam noſtram, quam ex ea haurimus, ſalutarem ſ. ſpiritualem reddit. Vocatur ejusmodi notitia 1 Joh. V, 6. *ſpiritus*, & opponitur literæ, 2 Cor. III, 6. Acquiritur vero hæc notitia ſpiritualis per illuminationem Spiritus S. 2 Cor. IV, 6. Eph. I, 18. 1 Cor. II, 12-16. precibus exorandam, Sap. IX, 10. Jac. I, 5. Joh. XIV, 26. Eph. I, 17. Pſ. LI, 12. Pſ. CXIX. 18.

Ad perſpicuitatem Scripturæ S. multum quoque faciunt *regulæ hermenevticæ*, de quibus infra agemus.

Diſtinguitur etiam inter Scripturæ S. *fœcunditatem* & *ambiguitatem*. Prior admittenda eſt, poſterior vero inter vitia ſermonis & ſtyli refertur. Eſt autem *fœcunditas* ea ſcripti affectio, qua paucis multa ſibi invicem ſubordinata vel connexa

proferuntur. Fœcunditas autem hæc, si Scripturæ S. tribuitur, non ita intelligenda est, ut primarium a Deo intentum sensum ab accessorio non discernere queamus. Male igitur agunt, qui verba Scripturæ S. in varios, a se invicem diversos, nec inter se connexos, sensus flectunt.

Maxime impugnant perspicuitatem Scripturæ S. *Pontificii*, qui omne, quod obscurum in ea esse judicant, arbitrio Pontificis, summi sui divinarum rerum moderatoris, subjiciunt, quia Scripturæ S. prophetia non res sit ἰδίας ἐπιλύσεως, h. l. propriæ explicationis, 2 Petr. I, 20. Opponunt 1) locum Ps. CXIX, 18. Sed David h. l. orat, non ut legi divinæ, sed sibi lucem accendat Deus. Opponunt 2) locum 1 Cor. XIII, 12. Sed distinguendum est inter obscuritatem per se & comparative talem. Opponunt 3) δυσνόητα in Epistolis Pauli, de quibus quæritur Petrus, 2 Petr. III, 16. Sed ea non respectum habent ad Epistolas Pauli ipsas, sed tantum ad res in iis contentas. Opponunt 4) locum Dan. XII, 4. Sed agitur ibi tantum de vaticiniis, quæ post complementum longe plenius intelligenda forent. Opponunt 5) locum Luc. XXIV, 27. Sed Christus discipulos Emaunticos ibi tantum a præjudiciis Judaicis liberat, quæ impediebant, quo minus verba Christi clarissima de morte & resurrectione ejus intelligerent, Luc. XVIII, 34. Opponunt denique 6) locum Act. VIII, 30. 31. Sed eunuchus ibi non

non de verborum claritate, ſed de vaticinii complemento, quod ſe ignorare ait, loquitur. Claudimus Caput hoc verbis *B. Gerhardi in Conf. Cath. Lib. II. Art. I. c. III. p. 209.* ita ſcribentis: *nullus eſt fidei articulus, nullum vitæ præceptum, quod non alicubi verbis propriis, claris & perſpicuis in Scriptura proponatur.* Merentur etiam hic verba *B. Auguſtini* allegari, quæ *Lib. II. de Civ. Dei c. 9.* hujus tenoris occurrunt: *magnifice & ſalubriter Spiritus S. ita Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil enim fere de illis obſcuritatibus eruitur, quod non pleniſſime dictum alibi reperiatur.*

CAPUT XVIII.

DE SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ.

Senſus h. l. eſt id, quod per verba & literas ſignificatur. Proprie unicus tantum datur literarum & verborum ſenſus, qui dicitur *literalis.* Ariſtoteles propterea *in Metaphyſ. L. III c. 4.* dixit: το μὴ ἕν τι σημαίνειν, ȣδὲν ἐςι σημαίνειν, h. e. *non unum quid ſignificare, nihil eſt ſignificare.* Attamen cum multa non tam per verba quam per figuras in dictione ſignificari ſoleant, *duplex* datur *ſenſus literalis,* ſcilicet *ſimplex* & *compoſitus.*

Simplex eſt, quando verba non alium, quam proprium, ſignificatum admittunt, *compoſitus*

vero, quando propria verborum significatio simul figuratum & parabolicum significatum includit. Si e. g. Christus dixit: *hoc si in viridi ligno fit, quid non in arido fiet?* Luc. XXIII, 31. verba hæc sensum compositum habent. Proprie de ligno viridi & arido agunt. Cum vero Salvator iisdem parabolice velit judicia Dei indicare, quæ gens Judaica sibi per cædem personæ suæ contractura sit, in proprio verborum significatu figuratus simul sensus latet. Et hic itidem literalis dicendus est.

Solet propterea inter *sensum literæ* & *literalem* distingui. *Sensus literæ* est sensus grammaticus, aut iste, quem supra simplicem nominavimus, *sensus literalis* vero est sensus logicus, aut iste, quem homo in verbis & literis suis intendit. Intentio enim loquentis & scribentis est quasi anima sensus literalis.

Ex hisce patet, quid de sensu Scripturæ S. judicandum sit, de quo in Ecclesia multum disputatur. *Stylus Scripturæ S.* conformis est non solum indoli linguæ Hebrææ, sed etiam modo loquendi, qui apud gentes versus orientem habitantes, quæ sublimem & figuratam dictionem amant, in consuetudine est. Accedit, quod Scriptura S. contineat res divinas per se sublimes, nec non multa mysteria & vaticinia, quæ omnia supra hominum captum sunt. Ansam hoc dedit perversis & insipientibus hominibus, sensum Scripturæ S. multifariam detorquendi & verbis significatum affin-

affingendi, qui intentioni Spiritus S. prorſus repugnat.

Ut ex tricis nos expediamus, primum ponimus, quod Scriptura S. unicum tantum habeat ſenſum, grammatice ſcilicet & logice literalem. Quia vero iſte interdum ad varias res & perſonas ductu ipſius Spiritus S. pertinet, *ſenſus myſticus* inde ortus eſt, qui eſt attinentia ſenſus literalis ad aliud, quod Spiritus S. iisdem verbis ſimul indicare voluit. Senſus myſticus igitur non eſt ſenſui literali contrarius, ſed in eo incluſus. Exemplum præbet hiſtoria de æneo ſerpente Num. XXI. Omnia verba in illa ſuum habent ſenſum literalem, etſi ſerpens hic æneus aliud quid ſimul indicet ſecundum Chriſti interpretationem, Joh. III, 14. Et hoc eſt, quod ſenſum myſticum vocamus.

Notandum hic quoque eſt, quod ſenſus myſticus non ab hominum, ſed ipſius Spiritus S. interpretatione dependeat. Nullibi ideo in ſacris literis ſenſum myſticum quærere debemus, niſi ipſe Spiritus S. nobis eum indicat. Hic enim optimus verborum ſuorum interpres eſt.

Adſcribunt etiam quidam Theologi ſenſui Scripturæ S. aliquam *fœcunditatem*, qua unus ſenſus plures reſpectus, pluresque rei modos ſibi ſubordinatos habet, e. g. Joh. I, 29. ubi vox αἴρων, quæ de agno Dei uſurpatur, non modo portandi, ſed etiam tollendi & auferendi actum indicat.

Oppo-

Opponitur interdum ſenſui literali *ſenſus ſpiritualis*, qui autem a literali aliter non diverſus eſſe debet, quam reſpectu efficaciæ, quam Spiritus S. in cordibus hominum, ſi ſacras literas attente legunt, operatur. Salutaris tunc redditur ſenſus literalis; alias manet nobis mere literalis ſ. hiſtoricus, aut naturalis, cui ſpiritualis jure opponitur.

Pontificii quadruplicem ſenſum Scripturæ S. ſtatuunt, *literalem*, *metaphoricum* ſ. *tropologicum*, *allegoricum* & *anagogicum*. Verum tres ultimi non ſunt tres diſtinctæ ſpecies ſenſus, ſed potius unius ſenſus diverſæ accommodationes.

Quæritur hic: *quid de conſequentiis Theologicis ſentiendum ſit?* Intelligimus per eas concluſiones, quæ ex dictis biblicis deducuntur. Si ſecundum regulas hermenevticas iſtæ fiunt, pro verbo Dei omnino habendæ ſunt. Nam poſito principio, ponitur etiam principiatum. Sunt autem ejuſmodi conſequentiæ ad normam credendorum & agendorum non abſolutæ, ſed tantum conditionatæ neceſſitatis.

Diſtingui etiam debent a *piis meditationibus* circa unum vel alterum Scripturæ S. locum factis, quæ non ad normam pertinent, etſi per ſe utiles & bonæ ſint.

CAPUT XIX.

DE LECTIONE SCRIPTURÆ S.

Cum Scriptura S. omnia, quæ homines tam credere quam agere debent, contineat, omni-

omnino etiam *ab omnibus legenda* eſt. Dicitur enim ad quævis officia præſtanda utilis, 2 Tim. III, 16. 17. nec non eum in finem ſcripta eſſe, ut fidem ſalutaremque cognitionem Chriſti exinde hauriamus, Joh. XX, 31. Deus ideo per eam πᾶσι πανταχῦ præcipit, ut reſipiſcant, Act. XVII, 30.

Quis igitur non legere cupiat librum tam ſanctum & ſalutarem? Deus ſaltem ab omnibus hominibus lectionem ejus poſcit, Deut. VI, 6. 7. c. XXXI, 11. 12. Jeſ. XXXIV, 16. Chriſtus idem poſtulat, Joh. V, 39. Luc. XVI, 29. 31.

David beatum prædicat, qui in meditatione *legis* ſ. *Scripturæ S.* diu noctuque occupatur, Pſ. I, 2. & Paulus laudat omnes, qui cum Berrhoënſibus in ſtudio legendarum ſcrutandarumque ſacrarum literarum diligenter verſantur, Act. XVII, 11.

Scripturam S. autem ab omnibus legendam eſſe, probari poteſt 1) ex Praxi Eccleſiæ Judaicæ, Deut. XXXI, 11. 12. Luc. XVI, 29. Act. XIII, 27. 2) ex Praxi primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ, Act. XVII, 10. 11. 2 Tim. III, 14. 15. 3) exemplo eunuchi reginæ Candacis, cui Philippus lectionem Scripturæ S. non interdixit, Act. VIII, 30. 4) ex inſcriptionibus epiſtolarum Paulinarum ad omnes Chriſtianos directis, & 5) ex neceſſitate probandi ſpiritus, num ex Deo ſint, 1 Joh. IV, 1. Loca vero Luc. VIII, 10. & Mal. II, 7. hic nil in contrarium probant.

Debet

Debet autem lectio & auditio Scripturæ S. fieri *cum attentione*, Hebr. II, 1. 2 Petr. I, 19. nec non *ex studio veritatis*, Act. XXIV, 24. c. XXV, 22. Luc. VIII, 12. & *sine præjudiciis*, Luc. XVIII, 34. c. XXIV, 25.

Pontificii non promiscue omnibus hominibus lectionem Scripturæ S. concedunt, sed potius eam laicis interdicunt, quia plus detrimenti, quam emolumenti inde habeant & tantopere per eandem peccent, ut ad tribunal inquisitionis accersiri mereantur.

Argumenta, quibus sententiam suam tuentur, sequentia sunt: 1) ex Scriptura S. nasci hæreses: sed distinguitur inter occasionem præbitam & sumtam; 2) laicos per ejus lectionem scandalizari: sed discrimen est inter scandalum datum & acceptum; Castis quoque omnia sunt casta, Tit. I, 15. 3) Scripturam S. a laicis non intelligi, Act. VIII, 30. 31. sed distinguendum est inter intelligentiam vocum & rerum, quæ ultimæ interdum doctissimis clericis obscuræ sunt; 4) judicium de sacris rebus ad clericos pertinere: sed distinguimus inter judicium propheticum & discretivum, 1 Joh. IV, 1. 5) Judæos hodiernos ex lectione Scripturæ S. non illuminari nec converti: sed legunt ii tantum Scripturam V. T. & propter tegumentum Mosaicum s. præjudicia sua Judaica non videre possunt, 2 Cor. III, 15.

Interim non quævis Lectio Scripturæ S. unicuique promiscue commendanda est, sed ratione

tione ætatis, intellectus, profectuum & vitæ generis jure meritoque aliquod discrimen locum habere potest.

Tota quidem Scriptura utilis est in omnibus casibus, sed non singulis hominibus & omni tempore. Est enim utilitatis universæ: hinc in ea quilibet in qualibet re aliquid pro se invenit, quod tamen non omnibus conducit, nec omni tempore. Homo provectioris ætatis & qui facultatem judicandi exercitam habet, totam Scripturam S. sine offendiculo legere potest, Hebr. V, 13. 14.

CAPUT XX.

DE INTERPRETATIONE SCRIPTURÆ SACRÆ.

Interpretatio Scripturæ S. est modus eruendi genuinum ejus sensum. Agitur de ea præcipue in Theologia Exegetica, quæ regulas & adminicula docet, quibus in interpretanda Scriptura S. utendum est.

Aliquid ut hic de interpretatione sacrarum literarum addamus, sciendum est, quod Scriptura S. optime se ipsam explicet. Ad finem & circumstantias Scriptoris respiciendum est, si genuinum textus sensum eruere volumus, non neglectis tamen mediis hermenevticis. In primis analogiam Scripturæ S. secundum quam

Scri-

Scriptura S. ſibi nunquam vere contradicit, ante oculos habere debemus. Eſt quaſi filum Ariadnæum, quo optime ex labyrintho venire poſſumus, in quem homines cum perverſis & paradoxis ſuis Scripturæ S. explicationibus facile incidunt.

Scripturam per Scripturam omnino explicandam eſſe, probamus 1) ex eo, quod non ἰδίας ἐπιλύσεως eſſe dicatur 2 Petr. I, 20. h. e. non ita comparata eſt, ut quisque ex proprio arbitrio eam interpretari vellet ac poſſet, ſed requiruntur interpretationis ſubſidia recte adhibenda. 2) Quod omnis Scripturæ S. interpretatio debeat eſſe ἀνάλογος πίστει, i. e. conformis fidei, Rom. XII, 6. 3) quod πνευματικὰ πνευματικοῖς comparanda ſint, 1 Cor. II, 13. 4) quod Scriptura S. ipſa nobis ſuppeditet media ſeſe interpretandi, & 5) quod alias ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι ea, quæ difficilia ſunt, facile detorturi ſint, 2 Petr. III, 16.

Scriptura S. ſe ipſam explicat *vel actualiter* per ſubjunctam explicationem, e. g. Joh. II, 21. Apoc. V, 8. Luc. VIII, 11. *vel virtualiter* per media hermenevtica a verborum ſignificatu, linguæ indole, dictionis genere, verborum contextu, locis parallelis, analogia fidei, occaſione Scriptoris, ſcopo textus & aliis circumſtantiis ad exegeſin ſacram ſpectantibus deſumta.

Mul-

Multum quoque, imo plurimum, ad eruendum Scripturæ S. ſenſum genuinum confert *illuminatio Spiritus S.* qua omnis gaudere poteſt, qui ex ſtudio veritatis & ſine præjudiciis ad Scripturam S. accedit.



LIBER II.

DE DEO.

Cum DEUS non modo ſecundum ſua eſſentialia attributa, ſed etiam ſecundum Trinitatis myſterium ab omnibus, qui debito modo eum colere volunt, cognoſcendus ſit, optime tota de DEO doctrina in *duas Sectiones* dividitur, quarum prior *de DEO in genere*, poſterior vero *de Trinitatis myſterio*, ſeu *DEO unitrino in ſpecie*, agit.

SECTIO I.

DE DEO IN GENERE.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA DEI.

DEUM *exiſtere*, nemo negat, niſi inſipiens, Pſ. XIV, 1. Pſ. LIII, 2. Prima id veritas eſt, quam natura ipſa nos docet. Sicut infanti

fanti ingenita eſt propenſio cognoſcendi matrem, etſi non diſtinctam de ea habeat ideam, ita in omnibus hominibus naturaliter latet propenſio cognoſcendi Deum, quam fruſtra ſupprimere ſtudent perverſiſſimi athei.

Multi hinc negant, dari veros atheos, quos *theoreticos* nominamus & *practicis* opponimus. Intelliguntur autem per priores ejusmodi homines, qui aperte exiſtentiam Dei negant, per poſteriores vero, qui optant, non dari Deum, aut ita vivunt, quaſi non exiſtat Deus, qui bona opera remuneretur, mala vero puniat. Attamen cum poſt lapſum non tam abſurda & monſtroſa excogitari queat hypotheſis, ad quam aſſumendam mens humana non proclivis ſit, neutiquam dubitare debemus, quosdam ſemper inter homines dari, qui ex perverſitate animi exiſtentiam Dei negent. Eorum numerus major foret, ſi timor pœnæ non plurimos vetet, penetralia cordis aperire & ſententiam ſuam execrabilem in lucem dare.

Præcipui *fontes atheismi* ſunt 1) *faſtus*, quo ſe multo ſapientiores habent aliis & ad ſuperſtitioſam plebem referunt omnes, qui doctrinæ Clericorum fidem dant & metu iræ pœnæque Dei trepidant. 2) *Epicureismus*, ſecundum quem ductum naturæ cœciter ſequuntur, omnibusque voluptatibus indulgent, minime curantes res extra ſenſus poſitas, nec reformidantes ſtatum poſt mortem futuramque æternitatem, Hiob. XXI, 13. & denique 3) affectatum ſtu-

studium, cuncta ad principium rationis sufficientis reducendi, nilque credendi, nec assumendi, quod non methodo mathematica demonstrari possit, Rom. I, 22.

Athei difficulter armis ex Theologia & sobria Philosophia desumtis vincuntur. Supervacaneum est, cum iis de veritate disputare, quia argumenta, quæ corrupta ratio & natura suppeditant, in certamine contra divinam veritatem iis plus valent, quam quæ ex Scriptura S. & dictamine rectæ rationis petuntur. Sunt enim tales veritatis hostes plerumque tam præfracti animi, ut obstinate negent, quod validissimis argumentis eorum intellectui objicitur.

Athei regressum causarum & effectuum in infinitum statuunt, & quidem duplicem, regressum per lineam rectam & regressum per circulum. Prior est, quando ab effectu ad causam indesinenter concludunt, posterior vero, quando statuunt, ens sui ipsius causam & effectum simul esse posse, remque producentem a re producta iterum productum iri. Utrumque absurdum est.

Scholastici *triplici via* nos ad existentiam Dei ducunt, quarum primam *caussalitatis*, alteram *eminentiæ* & tertiam *negationis viam* nominant. Via hæc triplex parum differt a tribus classibus, in quas Theologi nostri argumenta pro existentia Dei distribuere solent, quarum alia est metaphysica, alia physica, alia historica.

Ad *classem metaphysicam* pertinent argumenta, quæ a necessitate & natura ipsius Dei petuntur. Existit Deus absolute necessario, quia ens est, quod non aliter possibile est, quam quod existat. Existit per essentiam suam, quia a se ipso est. Notitia existentiæ ejus omnibus intelligentibus creaturis a natura ingenita est. Cum enim extra Deum nil sit, quod non ab eo sit & ad ejus cultum sese obligatum cognoscat, connata hominibus sunt certa cognitionis Dei principia, quibus ad quærendum colendumque Deum excitantur.

Naturalis hæc *notitia Dei* est vel *insita* vel *acquisita*. *Insitam* dicimus eam propensionem, quam omnes homines naturaliter ad cognoscendum & colendum Deum habent. Quorum cordibus inscripta est cognitio legis, Rom. II, 14. 15. illorum cordibus etiam inscripta est cognitio legislatoris. Ipsi Ethnici insitam hanc notitiam Dei agnoscunt. Inter alios magnus ille Philosophus CICERO *Lib. I. de natur. Deorum* dixit: *in omnium animis Deorum notionem ipsa natura impressit.*

Notitia Dei naturalis *acquisita* ea est, quæ per ratiocinia, a caussis metaphysicis petita, acquiritur. Vel *vulgaris* est vel *exactior* s. *erudita*. Illa venit ab institutione, hæc vero a ratiocinatione. Illa in omnibus hominibus, qui rationis usu gaudent, hæc vero tantum in Philosophis s. viris eruditis datur. Argumenta, quibus in ratiocinatione utuntur, suppeditat Metaphy-

taphysica, quæ causarum nexum & subordinationem, entium naturam, rerum contingentium non cœcam fortem, mundi intelligibilis arcana, spirituum mysteria, nec non causæ rerum primæ necessitatem docet. Hæc omnia occasionem dant viris eruditis & philosophis, ita ratiocinandi, ut inde notitiam Dei naturalem vel acquirant vel acquisitam confirment.

Classis physica continet argumenta, quæ contemplatio hujus universi suppeditat, cujus natura, ordo, corruptibilitas, structura, conservatio, mutabilitas & occultæ qualitates, nec non rerum creatarum mirifica origo, propagatio & μετενσωμάτωσις nos de existentia Dei, summi omnium rerum moderatoris, certos reddunt. Testantur hoc non modo Scriptores divini, sed etiam profani, inter quos Cicero primum meretur locum. Adhiberi tamen debet rectus rationis usus, sine quo id non cognoscitur, quod Universum hoc nobis cognoscendum præbet. Recte hinc Paulus scripsit: Τὰ ἀόρατα τοῦ Θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, h.e. *Deus invisibilis ex creatione mundi ejusque operibus intellectis cognoscitur*, Rom. I, 20.

Qui negant, existentiam Dei ex libro naturæ probari posse, provocant 1) ad Psalm. XIV, 1. Sed distinguitur inter ignorantiam simplicis intelligentiæ & pravæ dispositionis; 2) ad Eph. II, 12. Sed distinguitur inter cognitionem generalem & specialem, & 3) ad Gal.

IV, 8. ſed diſtinguitur inter cognitionem Dei ipſam & ejus applicationem.

Ad *Claſſem hiſtoricam* referimus argumenta, quæ a conſenſu populorum & teſtimoniis hominum ſumuntur.

Omni in re, dixit Cicero, *conſenſio omnium populorum lex naturæ putanda eſt*. Cum igitur in toto terrarum orbe non detur gens tam immanis atque barbara, quam non imbuerit aliqua Dei opinio, imo ipſi Hottentotti, qui tamen inter omnes populos minimum humanitatis habent, aliquem Dei cultum præſtent, nemo dubitabit, hominibus innatam eſſe de Deo ideam. Non mirum itaque eſt, veteres Athenienſes coluiſſe θεὸν ἄγνωϛον, dum per naturam ipſis omnino conſtitit, dari Deum, Act. XVII, 23. Teſtimonium Scripturæ S. ipſum apud eos, qui alias doctrinæ Chriſti non fidem dant, aliquid valere poteſt, cum antiquiſſimus ſit liber, qui inter homines reperitur.

CAPUT II.

DE NOMINIBUS DEI.

Nomina ſunt notiones rerum. Habet enim *nomen* a *noſcendo* originem.

Triplicem nomina habent *uſum*: 1) exprimunt aliquo modo eſſentiam rerum, 2) diſcernunt inter ſe res, & 3) indicant rerum proprietates. Exinde ſequitur, naturam Dei per nomina

mina exprimi, ipsum Deum ab omnibus aliis substantiis per ea discerni, & quidem eo magis, cum Ipse, qui se omnium optime novit, sibi eadem in verbo suo imposuerit. Per se autem nullum datur Dei nomen, quod pro captu nostro totam Dei naturam perfecte exprimat, Gen. XXXII, 29. Jud. XIII, 18. Prov. XXX, 4. Est enim Dei essentia nobis incomprehensibilis; hinc etiam ex divinis nominibus tantum improprias de ipso concipere possumus ideas, quæ unius vel alterius attributi divini indolem ac naturam indicant.

Judæi decem numerant *nomina Dei*. Tria derivant ab *Esse*: nempe Jehova, Jah & Jiheje; tria a *Præesse*: scilicet Schaddai, Adonai & Jehovah Zebaoth; tria a *Posse*: nempe El, Elohim & Eloah; & unum ab *Eminentia*: scilicet Eljon s. Excelsus.

Nos *nomina Dei* distinguimus in *essentialia* & *personalia*; priora iterum in *propria* & *figurata*. Figurata sunt vel *metonymica*, e. g. fortitudo, auxilium &c. vel *metaphorica*, e. g. lux, sol &c.

Hic de *nominibus tantum Dei essentialibus* agimus, quæ sunt Jehova, Jah, Adonai, El, Elohim, Schaddai, Θεός, κύριος & δεσπότης, de quibus omnibus singulatim nunc aliqua dicemus.

Jehova, יהוה, est inter nomina divina primum & præcipuum, quia istud Deus sibi soli vindicat, Exod. III, 14. Jes. XLII, 8. Jer. XXXIII, 2. Vult, suum nomen proprium esse, quod non alii substantiæ tribuendum sit. Habet

præfixam literam Jod, quæ plerumque formativa nominis proprii eſt, & caret numero plurali. Non admittit ה demonſtrativum, nec ullum ſuffixum. Nunquam ponitur in ſtatu regiminis. Tribuitur etiam Deo in Scriptura S. non aliter, quam ſicut nomen proprium, Exod. XV, 3. Amos. V, 8. c. IX, 6. Pſalm. LXXXIII, 19. Jeſ. XXXVII, 20. Neh. IX, 6.

Compoſitum eſt ex hiſce verbis, אהיה אשר אהיה, h. e. *ſum,* (ſ. *ero,*) *qui ſum,* (ſ. *ero,*) Exod. III, 14. quæ idem ſignificant, ac ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, uti Chriſtus ſe nominat, Apoc. I, 4. Significat itaque *Jehova* Ens omnibus viciſſitudinibus temporum ſuperius ſ. Ens perfectiſſimo modo & abſolute neceſſario exiſtens. *Plato*, *Philo* & *Damaſcenus* Deum propterea τὸν ὄντα nominant; á *Junio* vocatur Αυτοων, a SCALIGERO Αὐταυτὸς & a MICH. WALTHERO Αὐταυτότατος. Idem fere indicare vult SIRACIDES, quando Deum appellat τὸ πᾶν, c. XLV, 29.

Indicat igitur nomen *Jehovah* 1) eum, qui eſſentiam ſuam a ſe ipſo habet, quapropter etiam *primus* dicitur, Jeſ. XLIV, 6. 2) qui non contingenter, ſed neceſſario exiſtit, 3) qui nil niſi eſſentia eſt, & 4) qui omnibus rebus eſſentiam dat, Apoc. IV, 11.

Qui nomen *Jehovah* non volunt eſſe nomen Dei proprium, provocant 1) ad Pſ. XXIV, 10. & Jeſ. VI, 3. ubi legitur *Jehovah Zebaoth:* ſed ex locis Pſ. LXXXIX, 9. Jer. XV, 16. & Hoſ.

XII,

XII, 6. patet, phrasin hanc esse ellipticam & supplendam esse per vocem DEI; 2) ad Num. X, 35. at hic non arcam, sed Deum, arcæ quasi insidentem, Moses alloquitur. Confer Ps. CXXXII, 8. 3) ad Exod. III, 2. at h. l. non creatus, sed increatus angelus fœderis intelligitur; 4) ad Gen. XXII, 14. at nomen Jehovah h. l. non in sensu simplici, sed composito accipitur, uti etiam fit Exod. XVII, 15. Jud. VI, 24. Jer. XXXIII, 16. & Ezech XLVIII, 35.

Nomen Jehovah tanquam Dei nomen proprium jam primis Patriarchis cognitum fuit, Gen. IV, 1. c. XV, 8. c. XVIII, 13. c. XXII, 14. Locus vero Exod. VI, 3. interrogative verti potest ita: *Et nomen meum Jehovah nonne illis etiam manifestatum fuit?*

Non autem est nomen per se *ineffabile*, quia constat suis consonantibus & vocalibus. A Judæis propter nomen *Jovis*, quod ab iis ad ethnicos pervenisse multis visum est, lege sancitum est, ne quis mortalium amplius extra templum nomen Jehovah, prout scribatur, effari audeat. Verum cum Deus 1) literas & puncta hujus nominis nobis revelaverit, 2) usum ejus legitimum commendaverit, Deut. VI, 13. c. X, 8. c. XXI, 5. 3) per illud jurare jusserit, Deut. V, 13. c. X, 20. & 4) fideles olim hoc nomine Deum compellaverint, pronunciatio ejus omnino licita est. In locis Exod. XX, 7. & Lev. XXIV, 11. 16. non nominis Jehovah pronunciatio & usus legitimus, sed tantum abusus & profanatio

ejus interdicitur. Judæi provocant ad Exod. III, 15. ubi legunt לְעַלֵּם, *ad occultandum.* Sed textus h. l. corruptus est. Legi potius debet לְעֹלָם, *in æternum.*

Nomen *Jah* est vox primitiva & cum nomine Jehovah conjungitur Jes. XXVI, 4. Ps. LXVIII, 5. Construitur plerumque in Psalmis cum voce הלל, unde *Hallelu-Jah* idem significat ac *laudate Dominum.* Est itaque nomen soli Deo proprium.

Nomen *Adonai*, אדני, a radice אדן, *robustus fuit*, *fulcivit* & *sustentavit*, derivatur. Significat igitur fortem & potentem Dominum, nec non sustentatorem & moderatorem omnium rerum, Col. I, 17. Hebr. I, 3. Judæi per illud pronunciant nomen Jehovah, quod pro ineffabili habent. Adjectiva litera י non est suffixum *meus*, sed י heemanticum, Jes. VIII, 5 sq. Ezech. XVIII, 25. 29.

Nomen *El*, אל, a איל derivatur, quod *fortitudinem* significat. Exprimit igitur infinitam Dei fortitudinem & potestatem, quapropter plerumque per *Deum fortem* interpretari solent Philologi. Reperitur non modo cum suffixo י, Ps. XXII, 2. Ps. LXVIII, 25. Jes. XLIV, 17. sed etiam cum aliis suffixis. Si verus Deus falsis Diis opponitur, dicitur אל אלים, *Deus Deorum*, Dan. XI, 36. Improprie tribuitur etiam creaturis.

Nomen *Eloah* & in plurali *Elohim*, Chaldaice vero *Elah* Dan. II, 28. & *Elaha* Esr. IV, 24. exprimit

primit naturam Dei. Derivatur ab Arabico אלה, *fervire* & *colere*. Significat igitur numen religiofo cultu profequendum. Ob aliquam honoris fimilitudinem tribuitur improprie & δευτέρως etiam angelis, Pf. VIII, 6. Pf. XCVII, 7. nec non magiftratibus, Exod. XXI, 6. Pf. LXXXII, 1. ex abufu vero idolis, Exod. XXIII, 24. c. XXXII, 4. Jud. XVI, 23. 24. Habet autem vox Elohim non modo fignificationem fingularem, quando de vero Deo in tribus perfonis uno ufurpatur, fed etiam pluralem, quia non caret fingulari ejusdem fignificationis, Deut. XXXII, 17. Habac. III, 3. Pf. XVIII, 32. Pf. L, 22. & paffim in Libro Jobi.

Nomen *Schaddai*, שַׁדַּי f. *El Schaddai*, Gen. XVII, 1. derivatur ab Arabico שדד, *potentem effe*, & quidem ita, ut omnia devaftare queat. Defignat itaque *Dominum potentiffimum*, qui non modo omnia producere, fed etiam deftruere poteft. Qui nomen hoc ex præfixo ש & די, *fufficiens*, componunt, interpretantur per *Sufficientiffimum*, & qui a שדים h. e. *mammis* derivant, intelligunt per nomen illud *Deum benigniffimum*. Sed prima Etymologia verifimillima eft.

Græcum nomen ΘΕΟ'Σ, quod quoque Latini fuum fecerunt, non tam dignitatis, quam naturæ divinæ nomen eft, unde abftractum Θεότης f. *Deitas* & *Divinitas* divinam naturam & effentiam fignificat. Originem habet vel ἀπὸ τῦ θεᾶσθαι, h. e. a *contemplando*, Hebr. IV, 13.

vel

vel ἀπὸ τοῦ θέω, h. e. a *ponendo*, vel ἀπὸ τοῦ θέειν, h. e. a *currendo*, vel ἀπὸ τοῦ αἴθειν, h. e. ab *urendo*, vel ἀπὸ τοῦ δεῖν, h. e. a *movendo*, Act. XVII, 28. vel a δέος, *timor*, unde pavor Isaaci, s. is, quem Isaacus timet, Gen. XXXI, 42. originem habet. Respectu hujus Etymologiæ valent verba Petronii: *primos in orbe Deos fecit timor.*

Vocem vero θεὸς omnino nomen naturæ esse, exinde quoque patet, quod Scriptura S. θεὸν, vere talem, a θεοῖς λεγομένοις s. Diis, nomine talibus, distinguat, 1 Cor. VIII, 5. Gal. IV, 8.

Nomen ΚΥΡΙΟΣ a κυρῶν, *sancire* vel *ratum facere*, derivatur. Significat igitur Dominum summa auctoritate præditum. In Græca lingua per hanc vocem plerumque nomen Jehova exprimitur. Alii nomen hoc a κύρειν deducunt, quod apud veteres Græcos idem significat ac ὑπάρχειν. Vide PEARSONII *Expos. Symb. Apost. p.* 261.

ΔΕΣΠΟΤΗΣ vocatur Deus Luc. II, 29. Act. IV, 24. 2 Tim. II, 21. 2 Petr. II, 1. Jud. v. 4. quæ vox proprie herum absolutum & independentem designat.

Particulæ *meus, tuus, noster, vester* &c. nec non personæ, quæ nominibus divinis Elohim & Θεὸς in Scriptura S. adjiciuntur, non imminuunt, sed potius augent & confirmant summam Dei auctoritatem, quia fiduciam indicant, quam fideles in vero Deo collocant. Hi enim solum Deum verum invocant & in eo solo confidunt, Matth.

Matth. IV, 7. c. XXII, 37. Rom. I, 8. 1 Cor. I, 4. c. XIV, 18. 2 Cor. XII, 21. 2 Theſſ. I, 11. 12. Hac ratione ſummum Numen vocatur *Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi*, Matth. XXII, 32. Marc. XII, 25. nec non *Deos patrum*, Act. III, 13. Huc ſpectant etiam verba Thomæ ad Chriſtum: *Mi Domine & mi Deus!* Joh. XX, 28.

CAPUT III.

DE

ESSENTIA DEI.

Eſſentiam nominant Philoſophi id, quod rationem in ſe habet iſtius rei, quæ ad ejus naturam pertinet.

De Eſſentia igitur Dei non adæquata dari poteſt definitio, quia natura divina & quicquid ad eam ſpectat, nobis in hac vita non ſatis cognitum eſt. Ex parte tantum res divinas hic cognoſcimus, 1 Cor. XIII, 9. 10. Dicitur hinc Deus in luce habitare, ad quam nemo accedere poteſt, 1 Tim. VI, 16.

Eſſentiam itaque *Dei* non aliter deſcribere poſſumus, quam per ejusmodi prædicatum, quod ſummam ejus perfectionem indicat & ipſum ab omnibus aliis rebus per excellentiam diſtinguit. Ejusmodi prædicatum omnia includere debet attributa divina ſ. proprietates, quas ad intelligendam Dei eſſentiam pro diverſitate operationum ejus de ipſo prædicare ſolemus.

Eſſen-

Essentia divina in Scriptura S. dicitur תּוּשִׁיָּה, a יֵשׁ *est*, Prov. VIII, 14. item θειότης, Rom. I, 20. θεότης, Col. II, 9. θεία Φύσις, Gal. IV, 8. & μορφὴ θεȣ̃, Phil. II, 6. Ipse vero Deus nomen τȣ̃ ἀληθȣ̃ς h. e. *veri* habet, Joh. XVII, 3. quatenus scilicet omne id est & habet, quod secundum nostrum concipiendi modum ad ens perfectissimum pertinet, & quatenus in Deo omnia optime conveniunt.

Prædicatum generale, per quod Essentia hæc Dei optime describitur, est *Ens spirituale independens.* Omnia exinde fluunt attributa, quæ summam ejus perfectionem & singularem individuamque ejus naturam indicant. Alias etiam *Ens primum* s. summum & perfectissimum, nec non *Intellectus infinitus* vocatur.

Deum omnino *Ens spirituale* esse, ipse Christus docet dicendo: *Deus est spiritus*, Joh. IV, 24.

Spiritus est substantia incorporea, intellectu & voluntate libera prædita. Quanquam autem Deus infinite major & excellentior sit omnibus aliis spiritibus, revera tamen Spiritus est, qui materia, corpore & figura expers est, & tam intellectu quam voluntate in sensu eminentissimo gaudet.

Tribuuntur quidem Deo in Scriptura S. corpus & membra, sed non propterea credere debemus cum Anthropomorphitis & Audæanis, eum habere subtile corpus, aut hominem etiam respectu corporis ad imaginem Dei creatum esse. Loquitur Scriptura S. de Deo ἀνθρωποπαθῶς, quod

quod θεοπρεπῶς interpretandum est. Accommodat se Deus hoc loquendi modo ad captum intellectus nostri. Recte hinc *Glassius in Rhet. sacr.* scripsit: *Deus non habet membra carnea, sed tantum membrorum istorum perfectiones & quidem excellentissimo modo.*

Apparitiones Dei in V. T. sub specie humana de Filio Dei intelligendæ sunt, qui ad tempus humanam formam assumsit & futuram suam humanitatem præfiguravit.

Deus, tanquam spiritus, omnino etiam *invisibilis* est, Exod. XXXIII, 20. Joh. I, 18. 1 Tim. VI, 16. Hebr. XI, 27.

Est quoque, tanquam Spiritus, spirituali modo & toto animo colendus, Joh. IV, 24. Ipsi ethnici hoc cognoverunt, quando scripserunt: *Pura Deus mens est, pura vult mente vocari.*

Est autem Deus non solum Spiritus, sed etiam *Ens Independens.* Independentia hæc duo includit: 1) *quod sit a se ipso:* non quidem *positive*, quasi sit sui ipsius causa, quod apertam contradictionem in se habet, sed *negative*, quatenus non ab alio productus est, neque causam efficientem, sive materialem, sive formalem, sive finalem habet; nec non 2) *quod sit omnium entium primum*, Jes. XLI, 4. c. XLIV, 6. c. XLVIII, 12. Apoc. I, 8. non quidem respectu ordinis, sed a) *absolute*, quatenus aliud ens prius esse nequit, omneque ens præexistens & coëxistens excludit, & b) *effective*, quatenus aliarum rerum omnium causa & principium est.

CAPUT

CAPUT IV.

DE
ATTRIBUTIS DEI IN GENERE.

Attributa Dei ſunt qualitates eſſentiæ divinæ, quibus Deus ſe creaturis ſuis diverſimode manifeſtat. Nomen habent ab *attribuendo*, quia Deo attribuuntur, ſ. de eo prædicantur. Alias etiam *proprietates* vocantur.

Sunt nil niſi ipſa Dei eſſentia, diverſo reſpectu conſiderata. Non differunt inter ſe realiter, ſed tantum ſecundum noſtrum concipiendi modum. Non ſunt accidentia, quæ ab eſſentia ſeparari poſſunt. Non competunt in Deum tantum in concreto, ſed etiam in abstracto. Non admittunt gradus intenſionis aut remiſſionis, ſed ſunt infinitæ perfectionis. Neutiquam quoque ſecum invicem pugnant, ſed optimam inter ſe harmoniam habent.

De attributis Dei valet dictum: *Nihil eſt in Deo, quod non ſit ipſe Deus.*

Attributa Dei ſunt vel *generalia* vel *ſpecialia. Generalia* ſunt, quæ ad totius eſſentiæ divinæ conſtitutionem ſpectant, e. g. perfectio, bonitas, gloria & beatitudo; *ſpecialia* vero, quæ tantum ad intellectum & voluntatem ejus, aut ad ſingularem aliquam operationem reſpectum habent.

Dividuntur porro attributa Dei in *negativa* & *poſitiva*. *Negativa* removent a Deo, quod imperfectionem in ſe habet, qualia ſunt unitas, ſimpli-

ſimplicitas, immutabilitas &c. *poſitiva* vero certas in Deo conſtituunt perfectiones, cujus generis ſunt ſapientia, veracitas, ſanctitas, omnipræſentia &c.

Dividuntur quoque in *communia* & *propria*. *Communia*, quæ alii *adjunctiva* nominant, ſunt, quæ certo modo in creaturis etiam dantur, e.g. vita, juſtitia, potentia, benignitas, amor &c. *propria* vero, quæ quoque *ſubjectiva* dicuntur, ſunt ea, quæ nulli creaturæ tribui poſſunt, e.g. æternitas, immenſitas, omnipræſentia &c.

Attributa Dei diſtinguuntur denique in ἐνεργητικὰ ſ. *actuoſa* & in ἀνενέργητα ſ. quieſcentia. Priora etiam *externa* & *tranſeuntia*, poſteriora vero *interna* & *immanentia* appellantur. Per *illa* intelliguntur ea attributa, quæ reſpectu creaturarum per certas ſeſe exſerunt operationes, cujus generis ſunt ſapientia, juſtitia, veracitas, omnipotentia &c. per *hæc* vero illa, quæ reſpectu creaturarum non per certas operationes ſeſe exſerunt, e.g. ſimplicitas, unitas, æternitas &c.

CAPUT V.
DE
PERFECTIONE ET BONITATE DEI.

Duo hæc *attributa* conjungenda ſunt, quia generaliter omne id comprehendunt, quod in Deo excellens & perfectum eſt.

Perfectio in ſenſu ſtrictiori illud attributum Dei generale eſt, quo omnes poſſibiles perfectiones propriiſſime & in ſummo gradu poſſidet Deus ita, ut in eo nec augeri, nec minui poſſint, Matth. V, 48.

Reſpectu hujus attributi Deus non modo nulla re indiget, Jeſ. XL, 14. Rom. XI, 34. 35. ſed ſuis etiam creaturis omne id eſt, quod neceſſe habent. *Omniſufficientiam* hoc dicere poſſumus, quia Deus non modo ſibi, Pſ. L, 9-13. Act. XVII, 25. ſed etiam omnibus creaturis, Act. XVII, 28. Pſ. CXLV, 16. inprimis fidelibus tam ſufficiens eſt, ut in eo ſolo acquieſcant, Pſ. LXXIII, 25. 26. Pſ. XC, 2. Pſ. XVI, 5. Pſ. XXIII, 1. Jeſ. XXV, 9. Rom. VIII, 31.

Summum bonum hinc dici meretur Deus, & quidem non ſolum reſpectu ſui ipſius, ſed etiam reſpectu ſuarum creaturarum & fidelium. Reſpectu ſui ipſius ſummum bonum vocatur, Matth. XIX, 17. Luc. XVIII, 19. quatenus nempe omnes perfectiones in ſe habet, quarum capax eſſe poteſt eſſentia ejus; reſpectu creaturarum vero, quatenus omnis bonitatis & felicitatis earum cauſa & autor eſt; & denique reſpectu fidelium, quatenus in eo ſolo acquieſcunt & delectantur illi.

A *bono* derivatur *Bonitas*. Hæc Deo itidem tanquam attributum generale adſcribitur. Differt a *Perfectione* non niſi reſpectu relationis ad voluntatem ejus, ſecundum quam non modo ſe ipſum ſed etiam ſuas creaturas amat. Quia infra

infra plura de amore Dei dicentur, de bonitate ejus hic paucula tantum in genere proferemus.

Bonitas Dei est vel *essentialis* vel *moralis*. *Bonitas Dei essentialis* consistit in conformitate essentiæ ejus cum ipsius voluntate, *bonitas* vero *moralis* in ejus promptitudine benefaciendi s. bonitatem suam inter suas creaturas distribuendi. Deus itaque *bonus* dicitur, 1) absolute, Matth. XIX, 17. Luc. XVIII, 19. 2) relative, Ps. XXV, 8. Ps. LXXXVI, 5. 15. & 3) effective, Gen. I, 31. Jac. I, 17. Multi propterea nomen germanicum Gott a gut, h. e. *bonus*, derivant.

Totam terram bonitatis divinæ plenam vocat David, Ps. XXXIII, 5. Ps. CXIX, 64. faceturque, eam expandi super omnes cœlos, Ps. XXXVI, 6. Ps. LVII, 11. duraturamque esse in æternum, Ps. CXXXVI.

Hanc bonitatem nominat Paulus εὐδοκίαν θελήματος s. benevolam voluntatis propensionem, Eph. I, 5.

CAPUT VI.

DE

GLORIA ET BEATITUDINE DEI.

Gloria & *Beatitudo* sunt attributa Dei, quæ ad generalia referuntur, quia ad totam Deitatem spectant.

Gloria Dei duplex eſt, vel *abſoluta* vel *relativa.*

Abſoluta Dei *gloria* conſiſtit in complexu omnium ejus perfectionum, quatenus ſecundum eas ſuper omnia evectus eſt & nihil ſui ſimile habet, Hebr. I, 3. Dicitur illa alias etiam *Majeſtas Dei.*

Hæc Majeſtas ſ. gloria Dei vocatur *relativa*, quatenus ab intelligentibus creaturis agnoſcitur, Jeſ. VI, 3. Num. XI, 21. Cum vero agnitio hæc pro intellectus noſtri modulo gradus ſuos habeat, gloria Dei non ſolum major & minor eſſe, ſed etiam augeri & minui poteſt, 1 Sam. IV, 22. Rom. I, 23. Hoc autem de *gloria* Dei *abſoluta* dici nequit, quippe quæ immutabilis eſt ac æterna, 1 Petr. V, 10.

Ad *gloriam Dei* pertinet 1) infinitæ eſſentiæ & attributorum ejus excellentia, quapropter *Deus gloriæ*, Act. VII, 2. *Rex gloriæ*, Pſ. XXIV, 8. *Pater gloriæ*, Eph. I, 17. & *Dominus gloriæ*, 1 Cor. II, 8. vocatur; 2) eminentiæ hujus ſplendor, Luc. II, 9. Act. IX, 3. Hebr. I, 3. 3) ejusdem eminentiæ agnitio, Exod. XVI, 17. c. XXXIII, 18-23. Joh. I, 14. & 4) agnitæ eminentiæ manifeſtatio ejusdemque celebratio, quæ non modo a Deo ipſo fit, Jeſ. XLII, 8. c. LX, 1. Hagg. II, 8. Joh. II, 11. ſed etiam ab angelis, Jeſ. VI, 3. Luc. II, 14. Apoc. VII, 12. ab hominibus, Pſ. XXXIV, 4. Luc. I, 46. & ab electis, Apoc. IV, 10. 11. c. XV, 3.

Beatitudo, quam Paulus Deo tribuit, 1 Tim. I, 11. c. VI, 15. ſignificat ſtatum ejus, ſecundum quem

quem non modo expers eſt omnis ſenſus ingrati & doloris, ſed etiam ſe ipſo ita fruitur, ut in hac fruitione conſtanter & immutabiliter acquieſcat, eaque infinite lætetur. Patet exinde, quod Deus in beatitudine ſua nulla re indigeat & æque beatus fuerit ante, quam poſt conditum mundum.

Ad hanc ſui ipſius fruitionem pertinet 1) omnis mali abſentia & 2) omnis boni præſentia. *Malum* eſt vel *turpe* vel *triſte*. Utrumque a Deo remotum eſt, 1 Joh. I, 5. Præſentia omnis boni conjuncta eſt cum ſui ipſius agnitione & ſuavi delectatione, Pſ. XVI, 11. Reddit ſimul rationales creaturas ſui ipſius fruitionis ſ. beatitudinis participes, ut ex Pſ. IV, 7. 8. & Pſ. XXXVI, 9. 10. conjicere licet.

Deus ob hanc beatitudinem ſuam nullis *affectibus animi* commovetur, neque proprie loquendo, hominum peccatis contriſtatur, ſed ſemper idem eſt & manet. Adſcribuntur quidem ei in ſacris literis affectus & commotiones animi, nec non dolor & ſenſus ingrati, ſed fit hoc ἀνθρωποπαθῶς & improprie, ut homines eo majorem exinde capiant timorem atque reverentiam erga Deum, ſibique magis caveant, ipſum peccatis ſuis offendere.

CAPUT VII.

DE
UNITATE DEI.

Si Deus ens summum & perfectissimum est, non nisi *unus* esse potest. Produnt hic ethnici rationis suæ tenebras, cum tot finxerint Deos, quot Romana Ecclesia jam Sanctos veneratur.

Est autem *unus* tantum *verus Deus*, cui non alium æquiparare possumus. Hic est ille Dominus Deus noster, de quo populus Israël audiebat, quod sit unus, Deut. VI, 4. Præter eum non alius datur, Deut. IV, 35. 1 Cor. VIII, 4. Jes. XLIV, 6. c. XLV, 5. 14. Marc XII, 32. Dicitur propterea *μόνος ἀληθὴς Θεός*, i. e. solus verus Deus, Joh. XVII, 3. Eph. IV, 6. 1 Tim. II, 5. Ipse Diabolus de hac veritate non dubitat, Jac. II, 19.

Non est in Deo *unitas speciei*, quæ plura individua admittit, nec *unitas partium*, sicuti corpus & anima unum hominem constituunt, nec *unitas subjecti & accidentis*, uti creati spiritus habent, qui cum sua essentia certa conjungunt accidentia, sed *unitas* prorsus *singularis* & *transscendentalis*.

Distinguitur hæc unitas in *absolutam* & *exclusivam*. *Absoluta* est, qua Deus non dividi potest, uti in sequenti capite pluribus docebimus; *exclusiva* vero, qua Deus omnes species & omnia individua excludit; quæ unitas proprie

prie hujus loci eſt. Non tamen tollit iſta 1) pluralitatem nominum, nec 2) pluralitatem attributorum, nec 3) pluralitatem perſonarum.

Sociniani errant, quando non modo contendunt, plures eſſe poſſe Deos, ſed etiam fingunt, Deum verum partim dependentem, partim independentem eſſe. Provocant ad 1 Cor. VIII, 5. ubi tamen de falſis diis tantum ſermo eſt.

Errant etiam *Calixtus* & ejus aſſeclæ Regiomontani, qui Deum in V. T. tanquam *μονυπόςατον*, in N. T. vero tanquam *τρισυπόςατον* cognitum fuiſſe perhibent. Sed unus idemque Deus omni tempore fuit. Nec aliter in V. T. agnitus & adoratus eſt, quam in N. T. etſi in hoc myſterium Trinitatis magis manifeſtatum ſit, quam in illo.

Si unus Deus eſt, unice etiam coli debet, Deut. VI, 13. 14. Matth. IV, 10.

CAPUT VIII.

DE SIMPLICITATE DEI.

Cum Deus ens primum & a ſe exiſtens ſit, quod nec oriri nec interire ullo modo queat, *ens* omnino etiam *ſimplex* & *incorporeum* eſſe debet. Nuncupatur Deus propterea *ſpiritus* in ſenſu eminentiori; item *ero, qui ero*, Exod. III, 14.

Simplicitas Dei non modo excludit omnem extensionem & compositionem ex partibus corporeis, sed etiam eam compositionem, quam in mente fingimus respectu materiæ & formæ, aut respectu substantiæ & accidentis, quia veritas, sapientia, amor &c. in Deo non accidentia sunt, sed ad ipsam ejus essentiam pertinent. Valde hinc differt simplicitas Dei a simplicitate spirituum, utpote in quibus omnino dantur accidentia. Vocatur propterea simplicitas Dei *absoluta*, spirituum vero simplicitas *determinata* & *dependens*.

Propter hanc simplicitatem Deus non modo *invisibilis* dicitur Exod. XXXIII, 20. 23. Joh. I, 18. Rom. I, 20. 1 Tim. I, 17. c. VI, 16. sed etiam incorruptibilis, Rom. I, 23. 1 Tim. I, 17. neque pingi, aut sub imagine aliqua adorari vult, Exod. XX, 4. Jes. XL, 18. Omnes vero, quæ in Scriptura S. occurrunt, repræsentationes invisibilis Dei, sunt figuræ hieroglyphicæ, quæ per similitudinem generalem aliquid repræsentant.

Patet exinde, cur Deus sub figura aliqua in mente ficta non adorari nec invocari velit. Est enim species idololatriæ. Aliter autem cum Christo comparatum est. Istum sub quavis figura, in qua se manifestavit, in mente nobis repræsentare possumus, quando adorationis cultum ei præstamus.

Soci-

Sociniani objiciunt contra ſimplicitatem Dei, 1) Deum conſtare ex tribus perſonis: at non ſunt tres eſſentiæ; Deus quidem trinus, non vero triplex eſt; 2) Deum ex ſubſtantia & accidentibus ſ. relationibus conſtare; at diſtinguendum eſt inter relationes prædicamentales & transſcendentales; illæ ſunt accidentia, hæ vero tantum modi; modus autem non accidens, ſed affectio entis eſt; 3) in Deo dari multitudinem attributorum, adeoque etiam compoſitionem: at multitudo hæc non eſt realis, ſed idealis; attributa quoque non ſunt in Deo accidentia.

VORSTIUS in *Tract. de Deo p. 191 ſq.* ad iſtos eosdem ſe ſociat, dum reſpectu perſonarum, decretorum, potentiæ activæ & paſſivæ, nec non materiæ & formæ compoſitionem in Deo fingit, quod etiam certo modo *Arminiani* faciunt, ſimplicitatem Dei vellicantes. Vide *Exam. cenſ. c. 2. p. 41.*

Omnibus hiſce adverſariis reſpondemus diſtinguendo inter compoſitionem idealem & realem. Valet hic quoque canon; *Quicquid in Deo eſt, eſt ipſe Deus;* qui tamen ita limitari debet, ut non id, quod ſecundum noſtrum concipiendi modum Deo tribuitur, Deum ipſum eſſe dicamus. Diſtinguendum enim eſt inter rem ipſam & noſtram concipiendi modum.

CAPUT IX.

DE INFINITATE ET IMMENSITATE DEI.

Infinitas Deo adſcribitur, quatenus perfectiones ejus nullos limites habent, ita, ut nec augeri, nec minui, nec ullo modo circumſcribi poſſint. Tribuitur ea tam eſſentiæ, quam attributis ejus, quia non peculiare attributum eſt, ſed commune, quod ſimul ad alia attributa poſitiva ſe extendit, ita, ut non modo eſſentia, ſed etiam ſcientia, bonitas & potentia ejus *infinita* dici queat.

Vocatur Deus propterea *magnus*, Jer. X, 6. Pſ. CXXXV, 5. Pſ. CXLV, 3. Pſ. CXLVII, 5. Hiob. XXXVI, 26. Eſr. V, 8. eique talis magnitudo adſcribitur, quæ ineffabilis & inexplorabilis, Pſ. CXLV, 3. Hiob. XI, 8. 9. nullique ſimilis eſt, Exod. XVIII, 11.

Vocatur etiam ob infinitatem ſuam *altiſſimus*, Gen. XIV, 22. Pſ. LXXXIII, 19. Pſ. XCII, 9. & qui habitet in ſumma altitudine, Jeſ. XXXIII, 5. Pſ. CXIII, 5.

Immenſitas illud Dei attributum eſt, quo infinite omnia implet & cuique ſpatio interminate præexiſtit, Jer. XXIII, 24. Hiob. XI, 8. 9. Eph. I, 23.

Duplex datur *ſpatium*, vacuum & locus. *Vacuum* eſt, ubi creatura exiſtere poteſt, *locus* vero, ubi creatura vere exiſtit. Reſpectu vacui Deus

Deus dicitur *immensus*, respectu autem loci *omnipræsens*

Secundum immensitatem suam omni possibili spatio præexistit, & quidem nec per *multiplicationem*, quia unus est, *nec per divisionem*, quia simplicissimus est, *nec per circumscriptionem*, quia infinitus est. Est itaque Deus non modo totus in toto mundo & in qualibet ejus parte, nullique spatio inclusus, nec ullo spatio exclusus, sed totus etiam extra & supra mundum.

Num Deus etiam in iis sit spatiis, quæ in mente fingimus? quæstio inanis est, si id, quod in mente fingitur, non idem, ac possibile esse, significat

Deus *immensus* est *non extensive*, ut aër, *non inclusive*, ut cœlum, *non commixtive* ut effluvia atmosphæræ, *non diffusive* ut mare, sed per ubietatem interminabilem.

VORSTIUS errat, quando Deum non per essentiam, sed tantum per potentiam & operationem immensum esse contendit.

CAPUT X.

DE OMNIPRÆSENTIA DEI.

Omnipræsentia est species immensitatis. Deus secundum eam omni creaturæ coëxistit.

Immensitas in Deum absolute convenit & ab æterno est, nec non de Deo abstractive dicitur: omnipræsentia vero certum respectum ha-

bet, in tempore cœpit & tantum concretive de Deo dicitur.

Si nulla unquam creatura extitisset, aut omnia in nihilum redderentur, Deus tamen immensus, non vero omnipræsens nuncupandus foret.

Quicquid vel sensibus externis percipimus, vel per intellectum interne sentimus, nobis *præsens* esse dicitur. Priori modo corpus & materia, posteriori vero spiritus & res idealis nobis præsens est.

Neuter modus ad præsentiam Dei quadrat. Cum enim Deus propter immensitatem nullibi localiter habitet, ejus præsentia etiam prorsus singularis & magis impropria, quam propria est. Deus non est in *loco*, etsi sit, ubi locus est. Corpora *circumscriptive* & spiritus *indefinite* in loco sunt, Deus vero *repletive*, ita tamen, ut quidem ubique adsit, non vero ulli rei insit eique permisceatur.

Triplici respectu Deus *omnipræsens* dicitur, 1) respectu *cognitionis* per præsentiam visionis, Ps. CXXXIX, 1-4. 2) respectu *operationis* per præsentiam operativam, Act. XVII, 25. 27. 28. & 3) respectu *substantiæ* per præsentiam substantialem, Jer. XXIII, 23. 24. Ps. CXXXIX, 7-12. Proprie una eademque est omnipræsentia. Dum enim Deus substantialiter omni creaturæ præsens est, omnia quoque cognoscit & quidem non sine operatione, quia summum, quod omnia moderatur, Numen nunquam otiosum esse potest.

Jure

Jure meritoque igitur omnipræſentia Dei definitur per *adeſſentiam operativam*, quia duo includit 1) ἀδιαςασίαν, qua Deus a nullo loco diſtat, & 2) ἐνέργειαν, qua nullibi otioſus eſt. Alii nominant haſce partes ſubſtantialem Dei propinquitatem & efficacem ejus operationem.

Dividitur etiam *omnipræſentia Dei* in generalem & ſpecialem, ſ. abſolutam & modificatam. *Generalis* ſ. *abſoluta*, qua Deus omnibus creaturis æquali modo præſens eſt, *ſpecialis* vero ſ. *modificata*, qua tantum hominibus, & quidem vel ſecundum gratiam vel iram ſpecialiter propinquus eſt, Pſ. XXXIV, 19. Pſ. CXLV, 18. Jeſ. LV, 6. Jer. XXIII, 23. Phil. IV, 5.

Propinquitas hæc *divina* habet ſua intervalla. Dicitur enim Deus ab iis, qui non in fide & pietate conſtantes ſunt, recedere, ad eos vero accedere vel redire, qui ſeſe convertunt. Per ἀνθρωποπάθειαν hoc de Deo dicitur, quia Deus per ſe immutabilis eſt. Manifeſtat præſentiam ſuam hominibus ita, ut ad ſtatum & vitæ genus cujusvis hominis quaſi accommodata eſſe videatur. Vult enim per eam homines eo deducere, ut vel reſipiſcant, vel vitam ſuam ad Dei voluntatem ſemper componant. A piis hominibus Deus non recedit, Joſ. I, 5. Jeſ. LIV, 10. ſed tantum ab impiis, Jeſ. LIX, 2. Hoſ. IX, 12. Rex Saulus hoc præ aliis expertus eſt, 1 Sam. XXVII, 15.

Specialem Dei appropinquationem ad homines Scriptura S. *viſitationem* nominat. Dicitur enim

enim Deus invisere & pios & impios. *Pios* invisit, quando gratiam, beneficentiam & auxilium iis præstat. Sic invisit Saram, cum in senectute gravidam redderet, Gen. XXI, 1. populum Israëliticum, cum suspiria ejus in Ægypto exaudiret, Exod. III, 16. terram Canaan, cum eam fœcundaret, Ps. LXV, 10. & Judæos, cum promissum Messiam iis mitteret, Luc. I, 68. c. VII, 16. c. XIX, 44. *Impios* vero invisit Deus, quando judicia sua & justas pœnas in iis exequitur, Exod. XX, 5. c. XXXII, 34. Lev. XXVI, 16. Jes. XIII, 11. c. XXVI, 21. Jer. IX, 9. Hos. IV, 9.

Hæc Dei visitatio vocatur alias etiam *adventus*, qui respectu piorum ipsam gratiæ & beneficentiæ divinæ exhibitionem, respectu impiorum vero iræ divinæ & justitiæ vindicativæ executionem significat. De priori agitur Exod. XX, 24. de posteriori vero Jes. III, 14. Matth. XXIV, 27.

Præsentia Dei specialissima diverse se habet pro diverso statu eorum, qui eadem gaudent. *Humanæ Christi naturæ* præsens est Deus per unionem personalem, Col. II, 9. *fidelibus* per spiritum inhabitantem, Rom. VIII, 14-17. *Prophetis* per singularem revelationem, 1 Petr. I, 11. *electis* per manifestationem gloriæ & majestatis suæ, Jes. LXVI, 1. & *damnatis* in inferno per manifestationem justitiæ suæ vindicativæ, Ps. CXXXIX, 8. 2 Thess. I, 9.

Mul-

Multum inter Theologos disputatum est de *specialissima Dei approximatione ad substantiam fidelium*, quam Christus indicare videtur dicendo: *veniemus ad eos & mansionem ibi faciemus*, Joh. XIV, 23.

Sed verba hæc ad metaphoricas referenda sunt locutiones, quibuscum Deus ad nos quasi descendit, & verbis humanis mysteria sua cœlestia exponit. Non enim proprie motus localis in Deum convenit, quia immensus est. Diversos igitur præsentiæ divinæ gradus non per diversas approximationes essentiæ divinæ, sed per diversas operationes Dei, qui per immensitatem essentiæ suæ æqualiter & semper præsentissimus est, describere debemus. Sic Deus apud fideles est in omnibus periculis, Jes. XLI, 10. c. XLIII, 2. Ps. XCI, 15. in arduis negotiis, Exod. III, 12. in carceribus, XXXIX, 21. in persecutionibus, Ps. XLVI, 6. & in ipsa morte, Ps. XXIII, 4.

CAPUT XI.

DE ÆTERNITATE DEI.

Æternitas est vel *fixa* vel *successiva*.

Æternitas fixa est ea duratio, quæ non modo sine initio & sine fine, sed etiam sine omni successione & vicissitudine est.

Æternitas successiva est duratio, quæ quidem non finem habet, sed tamen perpetuis successionibus obnoxia est.

Suc-

Successio autem est, ubi unum sequitur alterum.

Prior æternitas excludit omne tempus, *posterior* vero sese ad tempus accommodat, quamdiu istud existit. *Prior* est absoluta, *posterior* vero determinata. *Prior* est necessaria, *posterior* vero accidentalis. *Prior* nullam status mutationem admittit, *posterior* vero mutationi status obnoxia est.

Si igitur quærimus: *quæ æternitas Deo tribuenda sit?* facile conjici licet, non successivam, sed fixam Deo adscribendam esse. Est enim sine principio & sine fine, & quidem necessario & absolute. Est etiam nulli successioni aut vicissitudini obnoxius. Est quoque supra & extra *tempus*, utpote quod determinata duratio est, quæ initium & finem habet, statumque eorum, qui in ea vivunt, variat & mutat.

Dantur quidem in Dei æternitate successiones, quæ autem non intrinsecæ, sed extrinsecæ sunt, & ad ipsam æternitatis formam non pertinent. Deus quidem omnibus temporibus coëxistit, non vero in sua æternitate tempus ipsum s. successionum, qua talium, ordinem admittit.

Probatur hæc æternitas Dei ex Psalm. CII, 28. ubi in oppositione ad cœlum & terram Deus perstare aut unus idemque semper esse & manere dicitur.

Probatur porro ex Ps. XC. 2 & 4. ubi non modo ante conditum mundum jam Deus ab æterno in æternum fuisse fertur, sed etiam asse-

asseritur, quod mille anni apud eum sint uti dies præterlapsa, ad indicandum, quod apud Deum nulla dentur temporum intervalla, sed coram eo omnium seculorum tempus quasi sit unum tantum ἀδιάιρετον νῦν, s. indiscretum momentum.

Probatur quoque ex Jes. LVII, 15: ubi Deus inhabitare & possidere æternitatem dicitur; item ex Apoc. I, 11. & Jes. XLIV, 6: ubi primus & ultimus, α & ω vocatur.

Probatur ex Apoc. I, 4. 8. c. XI, 17. & c. XVI, 5: ubi appellatur is, qui est, qui erat & qui futurus est; ex Ps. IX, 8: ubi in æternum mansurus & ex Gen. XXI, 33: & Jes. XL, 28. ubi Deus æternitatis nominatur.

Probatur denique ex 1 Tim. I, 17. Jer. X, 10: & Dan. VI, 26: ubi æternitatis regnique nunquam interituri rex nuncupatur. Hæc fixa æternitas soli Deo omnique, quod in Deo est, propria est: Hinc etiam Patris generatio & Spiritus S. processio æterna est, etsi utraque semper consummata sit habenda.

Errant, qui vel cum VORSTIO *locum*, vel cum MOSCOROVIO *materiam primam* & *lucem inaccessibilem*, vel cum WEIGELIO *mundum* perhibent esse coæternum. Extra Deum nil est, quod non in tempore cœperit.

Multum quidem nostris temporibus â Philosophis disputatum est de *mundi æterni possibilitate*; sed jure inter inanes quæstiones refertur, quia omnis possibilitas rei talem auctorem

ſupponit, qui voluntatem & potentiam habet determinatam. Cum vero Deus omne, quod creare voluit, ex liberrima & abſoluta voluntate per omnipotentiam ſuam revera creaverit, non dari poteſt res divina poſſibilis. Poſſibilitas enim non, niſi in noſtra mente, exiſtit. Mens vero hominis quomodo fingere, aut ſibi repræſentare poſſit aliquid, quod ſuum captum ſuperet?

Vox *æternus* in Scriptura S. multis quidem tribuitur rebus, ſed fit improprie. Uſurpatur enim de duratione non definita, e. g. Gen. XIII, 15. Lev. XXV, 30. nec non de interrupto ætatis tempore, Exod. XXI, 6.

Si ſpiritibus & animabus hominum, nec non vitæ cœleſti & ſtatui damnationis Matth. XXV, 46. æternitas tribuitur, talis intelligitur, quam ſupra *ſucceſſivam* nuncupavimus, quæ initium quidem, non vero finem habet & perpetuis ſucceſſionibus obnoxia eſt.

CAPUT XII.

DE VITA DEI.

V*ita* cujusvis entis in ſubſiſtentia ſui ipſius conſiſtit. Præſtat ſe per actuoſitatem ſ. operationes ſuas.

Ens materiale operatur vegetative & ſenſitive, *ens ſpirituale* vero rationaliter & intellectualiter.

Vita

Vita itaque *Dei primario* ipſa ejus eſſentia eſt, quatenus ſcilicet per ſe ſubſiſtit, ſequè ipſam certo modo movet, *ſecundario* vero indicat ejus operationem immanentem, ab eſſentia ſua dependentem.

Vita igitur Dei ab ejus eſſentia non diſtincta eſt, quia omne id, quod in Deo eſt, ipſe Deus eſt. Quando itaque Deus per vitam ſuam jurat, Ezech. XXXIII, 6. Deut. XXXII, 40. idem eſt, ac ſi per ſe ipſum juret, 1 Reg. XVII, 1.

Vita hæc *Dei eſt a ſe ipſo*, quia Deus ens independens eſt. Dicitur enim expreſſe vitam habere ἐν ἑαυτῷ, i. e. in ſe ipſo, Joh. V, 26.

Vita Dei eſt infinita & æterna, Deut. XXXII, 40. Tribuitur propterea Deo immortalitas & quidem talis, quæ ipſi ſoli propria eſt, 1 Tim. VI, 16.

Vita Dei nil in ſe habet compoſiti. Eſt enim Deus non modo ſpiritus, ſed etiam ens ſimpliciſſimum. Jure meritoque hinc opponitur deaſtris, Act. XIV, 15. Pſ. XLII, 3. Pſ. CXV, 3-9. Jer. X, 3-5.

Vita Dei eſt fons omnis alius vitæ, quia omnia ab ipſo originem habent ac dependent, Act. XVII, 25. 28. Hoc autem non in ſenſu Fanaticorum intelligi debet, qui rerum creatarum originem in divina eſſentia ponunt.

Deus propterea in ſenſu eminentiſſimo & κατ' ἐξοχὴν *Vivus* vocatur, Gen. XVI, 14. Joſ. III, 10. Pſ. XLII, 3. Pſ. LXXXIV, 3. Jeſ. XXXVII, 4. Act. XIV, 15.

Sicut vero Spiritus vitam suam cogitando & volendo præstat, ita quoque Deo non potest non & intellectus & voluntas tribui, de quibus nunc specialiter acturi sumus.

CAPUT XIII.

DE INTELLECTU DEI.

Deus omnino *intellectum* habet, Jes. XL, 28. Hic intellectus in Scriptura S. plerumque *mens* s. *νοῦς*, interdum etiam *cor* vocatur.

Est autem *intellectus* facultas cogitandi s. aliquid sibi distincte repræsentandi. Cum igitur Deus sit ens infinitum, facultas hæc quoque in eo infinita est.

Intellectus itaque *Dei* est facultas, omnia sibi uno actu distinctissime repræsentandi.

Quod in mente repræsentatur, sunt *ideæ*, quæ non modo præsentes esse, sed etiam percipi debent. Duo igitur intellectus involvit, 1) idearum *præsentiam* & 2) earundem *perceptionem*.

Substantia finita non per se habet ideas. Oriuntur istæ per sensuum usum. Idearum igitur præsentia in tali substantia non accidentalis & determinata est. Cum Deo autem hac in re aliter comparatum est. Sicut omnia coram oculis ejus nuda & resupina sunt, Hebr. IV, 13. ita etiam res jam in mente ejus existunt, antequam vere existunt. Est igitur *idearum præ-*

sentia

ſentia in Deo eſſentialis & abſoluta, quia imago rei prius in mente ejus eſt, quam res ipſa.

Homines ſine ratiocinatione, qua ideas juxta ſe ponunt & ex earum collatione veritatem eliciunt, non aliam quam obſcuram & confuſam habent rerum cognitionem. In divino vero intellectu *idearum perceptio* nullos habet limites. Eſt diſtinctiſſima, perfectiſſima & infallibilis. Omnia uno intuitu Deus in intellectu ſuo percipit, nec aliquam ratiocinationem aut aliud adminiculum ad percipiendum ideas neceſſe habet, Rom. XI, 33. vocatur propterea *Deus ſcientiarum*, 1 Sam. II, 3. comparaturque cum *luce*, 1 Joh. I, 5.

Intellectus igitur *Dei* jure meritoque dici poteſt 1) *immenſus*, quia intelligentiæ ejus non eſt terminus, Pſ. CXLVII, 5. 2) *independens*, quia omnia a ſe ipſo cognoſcit & nullius conſilio indiget, Rom. XI, 34. 3) *ſimpliciſſimus*, quia uno actu ſine ratiocinatione omnia intuetur, 4) *immutabilis*, quia ſemper idem eſt ac manet, nec ejus cognitioni unquam aliquid accreſcit aut decreſcit, 5) *infinitus*, quia ipſam ſuam infinitam eſſentiam percipit, 6) *puriſſimus*, quia ſenſualem figuratamque rerum repræſentationem non neceſſe habet, & 7) *imperſcrutabilis*, quia effectus ejus noſtrum mentis captum ſuperant, Rom. XI, 33. Jeſ. XL, 28.

Reſpectu hujus intellectus Deo adſcribitur & *ſcientia* & *ſapientia*, de quibus nunc in duobus capitibus agemus.

CAPUT XIV.

DE SCIENTIA DEI.

Scientia *Dei* ab *intellectu* ejus proprie non differt, quia facultas & actus in ente simplicissimo unum idemque sunt. In creatura actus quidem sequitur facultatem, at non tamen a facultate ad actum valet consequentia. Cum Deo autem prorsus aliter comparatum est. Quod intelligere potest, revera etiam intelligit.

Et hæc intelligentia est id, quod *scientiam* nominare solemus. Est repræsentatio rei in mente, quae per ideas fit. In Dei mente omnia perfectissime repræsentantur. Jure meritoque hinc Deo *omniscientia* adscribitur, 1 Joh. III, 20. Hebr. IV, 13. Ps. CXXXIX, 1-4. 1 Sam. II, 3. Sir. XXIII, 28. 29.

Multum itaque *scientia Dei* a scientia humana, tam respectu objecti, quam respectu modi differt.

Respectu *modi* Deus uno eoque simplicissimo actu omnia per se immediate sine specie intelligibili aut præmissa ratiocinatione cognoscit, Hebr. IV, 13. Deus igitur, proprie loquendo, non habet ideas seu cogitationes, etsi eædem illi tribuantur, Ps. CXXXIX, 17. Jes. LV, 8. Jer. XXIX, 11. Omnia enim nuda & resupina coram ipso sunt.

Quanquam vero *scientia Dei* per se simplicissima sit, diverso tamen respectu dici potest & *generalis* & *specialis*: *generalis*, quando omnes

crea-

creaturas; *specialis* vero, quando imprimis fideles novit, 2 Tim. II, 19. Distingui etiam potest in scientiam *theoreticam* & *practicam*. *Theoretica* est, quando Deus aliquid simpliciter novit, *practica* vero, quando simul operatur & quidem vel cum affectu benevolo, Ps. I, 6. vel cum affectu irato & averso, Apoc. III, 15. quod Scriptura S. interdum per *non nosse* exprimit, Matth. VII, 23.

Respectu *objecti* scientia Dei rectissime dicitur *omniscientia*, quia non modo se ipsum, sed etiam omnes res extra se, quæ non modo existunt & extituræ sunt, sed etiam existere possunt, cognoscit.

Primarium scientiæ divinæ *objectum* est ipse Deus. Cognoscit se ipsum, Matth. XI, 27. Joh. I, 18. 1 Cor. II, 10. 11. & omnes suas actiones, Act. XV, 18. Vocatur hæc scientia *comprehensiva*.

Secundarium objectum sunt res extra Deum, quæ respectu temporis vel in præterita vel præsentia vel futura dividuntur.

Respectu *præteritorum* divina scientia nominatur *recordatio* s. *reminiscentia*, Act. X, 4. Ps. XXV, 6. 7. Jer. XXXI, 20.

Adscribitur propterea Deo *memoria*, quæ vel essentialis vel judicialis vel fœderalis est.

Essentialis memoria est ipsa divina scientia, *judicialis* respectum habet ad remunerationem aut punitionem operum hominum, Ps. IX, 13. Neh. V, 19. Hebr. VI, 10. & *fœderalis* spectat

ad servanda promissa, Ps. CXI, 5. Luc. I, 72. Si Deo *oblivio* tribuitur Ps. XIII, 2. XLII, 10. LXXVII, 10. Jes. XLIX, 15. fit respectu memoriæ judicialis, Jer. XXXI, 34.

Respectu *præsentium rerum* scientia Dei vocatur *visio* & *intuitio* s. *scientia visionis*, quia coram oculis ejus omnia nuda sunt, Prov. XV, 3. Jer. XXXII, 19. Sir. XXIII, 28. Hebr. IV, 13. Ps. X, 14.

Respectu *futurorum* scientia Dei est vel *naturalis* s. simplicis intelligentiæ, vel *libera* s. visionis. Illa non cum certo voluntatis decreto, hæc vero cum certo voluntatis decreto conjuncta est. Prior appellatur *scientia naturalis*, quia in Deum per naturam & necessario competit. Opponitur *scientiæ liberæ*, quæ Deo soli tribuitur, quatenus secundum liberum suum decretum in rebus futuris concurrit.

Futura contingentia s. res possibiles & conditionatas, quas alii *futuribilia* nominant, Deus per *scientiam mediam* novit. Hæc ea est scientia, qua Deus omnia, quæ sub hac vel illa conditione futura sunt, certo prævidet, etsi ob non impletam conditionem non eveniant. Vocatur scientia hæc *media*, quia futura conditionata medium quasi habent locum inter res possibiles & actu existentes s. inter res simpliciter & necessario futuras.

Plurimi *Calviniani* mediam hanc Dei scientiam negant. Sed nos affirmamus eam. Sic Deus prævidit, quod David capiendus fuisset, si Kegilæ

gilæ mansisset, 1 Sam. XXIII, 11. 12. nec non Christus, quod Tyrii & Sidonii, item Sodomitæ pœnitentiam egissent, si talia miracula apud eos facta fuissent, uti in urbibus Chorazim, Bethsaida & Capernaum facta sunt, Matth. XI, 21. 23. Plura exempla occurrunt Act. XXVII, 24. 31. Ezech. III, 6.

Præscientia est character veri Dei, Jes. XLI, 21. 23. c. XLII, 9.

Objectum ejus sunt omnes res futuræ, quæ vel effectus corporum ex structura eorum necessario proficiscentes, vel effectus animalium, secundum sensuales repræsentationes ex insito instinctu sese moventium, vel effectus voluntatis hominum ex libero arbitrio agentium sunt.

Deum priores duos effectus prævidere, nobis creditu non difficile est, quia ex libertate voluntatis fiunt; sed eum etiam actiones hominum liberas prævidere, rationi non comprehensibile est.

Non dependet divina præscientia a divina ordinatione aut decreto efficaci, Deut. XXX, 19, Gen. IV, 7, nec est conjecturalis, ut Sociniani & Pelagiani perhibent.

Neutiquam quoque præscientia & prævisio Dei *necessitatem* rei & actionis causantur. Est enim utraque actus intellectus, qui non extra se agit. Sicut eclipses solis & lunæ non ideo fiunt, quia astronomus eas præsciat & prævideat: ita etiam non res futuræ fiunt, quia Deus illas præscit & prædixit. Deus futura cognoscit,

ut præſentia. Uti vero id, quod in præſenti video & cognoſco, non ideo, quia video & cognoſco, exiſtit; ſic quoque futura non propterea eveniunt, quia Deus prævidet.

Præſcientia itaque non tollit libertatem actionum humanarum. Nam Deus res futuras non præſcit, ut eveniant, ſed quia eveniunt. Non aliam neceſſitatem ea rebus infert, quam quæ dicitur *neceſſitas eventus* ſ. *conſequentiæ*, non vero *conſequentis*, Act. I, 16.

VORSTIUS cum Socinianis futurorum contingentium *præſcientiam divinam* eamque *infallibilem* & *intuitivam*, quæ a *ratiocinativa*, quam ii admittunt, diſtincta eſt, prorſus negat, cum tamen ex Pſ. CXXXIX, 2 ſq. ſatis ſuperque probari queat.

Si igitur Deus omnia contingentia, quæ per determinationem cauſarum liberarum fiunt, cognoſcit, non dubium eſt, quin quoque omnes alias res & quæ ex nexu ſubſtantiarum veniunt, cognoſcat. Cognoſcit itaque ſubſtantialia & circumſtantialia; facta, verba & cogitata; univerſalia & ſingularia, genera & ſpecies, omnia individua, omnes partes, imo minutiſſima, Matth. X, 30.

CAPUT XV.

DE SAPIENTIA DEI.

Sapientia eſt habitus, non modo bonum finem, ſed etiam media ad eum idonea eligendi, eaque

eaque applicandi. Includit *prudentiam*, quæ ſpeciatim circa applicationem mediorum verſatur, Deo autem proprie non tribuitur, quia imbecillitatem intellectus & proclivitatem ad errandum ſupponit.

Sapientia Dei itaque ſumma intellectus divini perfectio eſt, qua omnes cauſas & effectus admirabiliter ad ſuum finem diſponere ordinareque ſcit. Dicitur alias in Scriptura S. etiam *conſilium Dei*, Prov. I, 25. c. VIII, 14. Jeſ. XLVIII, 29. Jer. XXXII, 19.

Duplicem Deus habet *finem*, 1) gloriam ſui nominis & 2) bonum creaturarum ſuarum. Ambo fines ſibi invicem ita ſubordinati ſunt, ut unus alteri vel ultimus vel intermedius ſit.

Tribuitur *ſapientia* Deo 1) ὑποςατικῶς, quatenus Filius Dei ita nominatur, Prov. VIII, 12. &c. 2) tanquam attributum, ſecundum quod Deus *μόνος σοφὸς*, ſ. ſolus ſapiens, Rom. XVI, 27. 1 Tim. I, 17. & magnus conſilio, Jer. XXXII, 19. vocatur.

Secundum ſapientiam ſuam Deus ſemper, quod optimum eſt, eligit, idque approbat, &, ut eveniat, omnia ſic dirigit, ut modus nobis quidem plerumque ſit imperſcrutabilis, ſummæ tamen ejus perfectioni optime conveniens, Rom. XI, 33. 34. Hiob. XII, 13. c. XXVIII, 20-28. Jeſ. XXVIII, 29.

Ad conſequendum finem ſuum Deus omnia in regno naturæ ita ordinavit, ut unum alterius eſſe poſſit modo finis, modo medium.

Omnium

Omnium optime sese manifestat sapientia Dei 1) in *opere creationis*, Pſ. CIV, 24. inprimis hominum, Pſ. CXXXIX, 14. 15. Hiob. X, 8-12. 2) in *opere gubernationis & providentiæ*, 3) in *opere redemtionis*, 4) in *administratione ecclesiæ*, Eph. III, 10. & 5) in cujusvis hominis *vitæ curriculo*, si sollicite ad vestigia ejus animum attendere volumus, Pſ. IV, 4. Pſ. LXXIII, 24.

Τὸ μωρὸν τȣ̃ Θεȣ̃ ſ. *ſtultitia Dei*, 1 Cor. I, 25. non secundum veritatem, sed erroneam mundi opinionem accipi debet.

CAPUT XVI.

DE VOLUNTATE DEI IN GENERE.

Voluntas modo *facultatem*, modo *actum* indicat. Omnis actus autem est facultatis effectus. Utrumque sub voluntate comprehenditur.

Voluntas in priori significatu facultas est tam appetendi cognitum bonum, quam aversandi cognitum malum. Pertinet ad essentiam substantiæ intelligibilis & versatur circa duplex objectum, quod vel appetibile vel aversabile est.

A *naturali instinctu* ſ. *appetitu senſitivo*, qui omnibus animalibus communis est, probe discernenda est voluntas, quia intellectum ſ. facultatem judicandi de eo, quod bonum vel malum, aut gratum vel ingratum est, supponit. Dependet

pendet igitur voluntas plerumque ab intellectus dominio, cujus dictatis obtemperare solet. Ipse appetitus sensitivus voluntatem non ad obsequium adigere potest, nisi intellectus antea per certas rationes victus sit. Quo excellentior igitur intellectus & quo major sapientia in ente intelligente est, eo puriores & justiores sunt voluntatis inclinationes & aversationes.

Patet exinde satis, quid de *voluntate Dei* sentiendum sit. Quatenus voluntas Dei facultas est, eadem ab ipsa ejus essentia non differt; quatenus vero actus est, significat sapientissimam ejus propensionem ad omne verum bonum, & justissimam aversationem ab omni vero malo.

Deum omnino *voluntatem* habere, probatur ex Ps. CXV, 3. Rom. IX, 18. 19. Eph. I, 9. 11. Matth. XI, 26. 1 Tim. II, 4. Act. XXI, 14. & Rom. XII, 2. ubi Deus aliquid *velle*, & ex 2 Petr. III, 9. ubi aliquid *non velle* dicitur.

Proprie voluntas tantum circa *bonum* versatur *objectum*, quod vel vere tale est, vel pro tali habetur. Quia vero bonum cum malo pugnat, versatur quidem voluntas etiam circa *malum objectum*, sed non nisi aversando, quatenus id vel verum malum est, vel pro malo habetur. Dicunt hoc nonnulli *noluntatem*, quæ vox autem tam barbara est, ut jure rejiciatur.

Objectum voluntatis divinæ *primarium* est ipse Deus, qui per se summum Bonum est, Matth. XIX, 17. *secundarium* vero sunt creaturæ ejus. Quicquid igitur

igitur Deus vel vult, vel non vult, ſpectat ad gloriam ſui nominis & ad ſalutem creaturarum, ita tamen, ut priorem ſemper præferat poſteriori.

Si Deus aliquid abſolute vult, ad regnum potentiæ, Pſ. XXXIII, 9. ſi vero conditionate aliquid vult, ad regnum gratiæ reſpectum habet.

Coram Deo non datur aliud *malum*, quam quod dicimus *morale*. Intelligitur autem per illud omne, quod in liberis creaturis cum ejus voluntate pugnat, Pſ. V, 5.

Quicquid Deus vult, ab æterno vult, nec aliud quid vult, quam quod ipſum decet.

Cognitio & voluntas in Deo unum conſtituunt actum.

Voluntas Dei eſt principium exiſtentiæ omnium rerum, quæ extra Deum ſunt, Apoc. IV, 11.

Proprie voluntas Dei non admittit *affectus*, quia cum ejus perfectione, immutabilitate & ſumma beatitudine pugnant. Adſcribuntur quidem Deo in ſacris literis aliqui *affectus*, e. g. ira, amor, gaudium, triſtitia &c. Sed fit hoc ad exprimendum potentiores divinæ voluntatis operationes, quia nobis verba deſunt, quibus proprie id exprimamus. Deus ipſe non quidem affectus ſentit, at nos tamen eorum effectus ſentire ſinit.

Voluntas divina eſt *independens & abſoluta*, quia Deus neminem habet ſupra ſe, nulliusque indiget conſilio, Rom. XI, 34. 35.

Volun-

Voluntas divina eſt *ſimpliciſſima*, quia Deus uno actu & ſine prævia meditatione eam præſtat.

Voluntas divina eſt *immutabilis*, quia ſemper conſiſtit, Jeſ. XLVI, 10. nec ei reſiſti poteſt.

Voluntas divina eſt *infinita*, quia non modo ab æterno eſt, ſed eam etiam nullo modo expiſcari poſſumus.

Voluntas divina eſt *liberrima*, quia non cauſam formaliter moventem habet, Deusque nemini rationem de ſuis decretis & actionibus dare debet, Pſ. CXV, 3.

Voluntas divina eſt *efficaciſſima*, quia Deus per omnipotentiam ſuam omnia, quæcunque vult, efficere poteſt, Pſ. XXXIII, 9.

Quanquam *una* tantum detur *voluntas Dei*, a Theologis tamen multifariam diſtinguitur, ut ex tricis nos eo melius expediamus, in quas ex imbecillitate rationis conjicimur. Diſtinguitur itaque in *voluntatem* Dei *naturalem* & *liberam*, in *efficacem* & *inefficacem*, in *abſolutam* & *conditionatam* ſ. *ordinatam*, in *antecedentem* & *conſequentem*, in *arcanam* & *revelatam* &c.

Omnes hæ voluntates non realiter in Deo differunt, ſed tantum ſecundum noſtrum concipiendi modum. Verſantur circa unum idemque objectum, non vero ſub eadem ratione formali.

Præcipua, quæ de tam multiplici Dei voluntate notanda ſunt, in ſequentibus capitibus,

quæ

quæ de libertate, de efficacia & de decretis divinæ voluntatis agunt, docebimus.

Tribuuntur etiam Deo respectu voluntatis ejus certa *attributa*, nempe 1) amor, 2) justitia, 3) sanctitas, 4) veracitas & 5) omnipotentia, de quibus pari modo singulatim acturi sumus.

CAPUT XVII.

DE LIBERTATE DEI.

Præcipua Voluntatis proprietas est *libertas*. Hæc si cessat, voluntas in captivitate versatur. Hac de causa brutis non voluntas adscribi potest, quia eorum inclinationes non ex libero arbitrio, sed ex instinctu naturali proficiscuntur.

Deficiente intellectu deficit etiam voluntatis actus, quia omnis voluntas circa objectum intellectus versatur.

Uti vero in totum hominem se diffundit corruptio naturalis, sic etiam libertas voluntatis ob inordinatum intellectus regimen valde imminuta & debilitata est.

In Deo omnia perfecta sunt. Hinc etiam ejus voluntati summa tribuitur *libertas* & quidem tam *contradictionis* quam *contrarietatis*.

Libertas contradictionis est, quando homo agere & non agere potest, *libertas contrarietatis* vero, quando hoc vel illud agere, aut bonum

bonum pro malo, melius pro bono & optimum pro meliori eligere poteſt.

Diſtinguitur quidem inter *voluntatem Dei naturalem* & *liberam*. Verum prior verſatur tantum circa ſe ipſum, qui, cum ſummum Bonum ſit, in ſe quoque ſolo acquieſcit. Dicitur hæc voluntas *neceſſaria*, quia non poteſt non ea omnia velle, quæ ſummæ ſuæ perfectioni conveniunt, ea vero averſari, quæ eidem repugnant. Nominare illam quoque poſſumus *voluntatem complacentiæ*, qua e. g. filium ſuum unigenitum amplectitur, Matth. III, 17.

Voluntas Dei libera proprie voluntas dicenda eſt. Verſatur circa res creatas & quæ extra eum conſtitutæ ſunt. Sicut contingenter iſtæ exiſtunt & bonitatem tantum finitam habent, ita quoque eas non neceſſario velle debet. Vult iſtas potius *libere* & quidem *abſolute*, quia voluntas ejus non cauſam formaliter aut phyſice moventem admittit, Pſ. CXV, 3.

Nil vult *ſine fine*. *Finis* autem eſt relatio voluntatis ad objectum, propter quod aliquid volumus. Dicitur alias cauſa virtualiter movens.

Vult etiam Deus nil *ſine certo ordine* a ſe ipſo liberrime conſtituto, ita quidem, ut interdum ex ſapienti ſuo arbitrio, per miracula ab eo diſcedat.

Cum libertate Dei *ſumma moralis neceſſitas* conjuncta eſt, ſecundum quam non modo morales Dei proprietates, e. g. veracitas, amor,

sanctitas &c. immutabiles manent, sed etiam Deus ipse non potest non ab æterno omne bonum velle & omne malum nolle.

Libertas itaque *Dei* est ea voluntatis ejus proprietas, qua absolute & independenter, in certo tamen ordine a se ipso constituto, omne id facit aut eligit, quod secundum summam suam sapientiam optimum esse cognoscit.

CAPUT XVIII.

DE EFFICACIA VOLUNTATIS DIVINÆ.

Etsi distinctio inter *voluntatem Dei efficacem & inefficacem* pugnare videatur cum omnipotentia divina, non tamen rejicienda est. Deus multa vult sub certa conditione & in certo ordine. Cessante itaque hoc ordine, hacque conditione, cessat etiam efficacia divinæ voluntatis.

Efficax Dei voluntas est, quando Deus aliquid absolute & sine respectu ad causas secundas aut ad ordinem mediorum vult; *inefficax* vero, quando aliquid sub certa conditione, aut secundum causas secundas & certum mediorum ordinem a se ipso constitutum, aut secundum solum suum Beneplacitum vult.

Si Deus secundum suum Beneplacitum aliquid vult, *voluntas simplicis complacentiæ*; si sub certa

certa conditione aliquid vult, *voluntas conditionata*, & si secundum causas secundas aut certum mediorum ordinem aliquid vult, *voluntas ordinata* appellatur, quæ tamen inter se parum differunt.

Opponitur triplex hæc voluntas *voluntati Dei absolutæ*, secundum quam non modo mundum creavit, sed etiam omnia miracula facit.

Voluntas Dei conditionata & ordinata *inefficax* nominatur, quatenus non impletur conditio, aut ordo, quo fundatur voluntas. Tali modo vult Deus omnes homines salvare, 1 Tim. II, 4. neminem perdere, Ezech. XXXIII, 11. populum suum omnibus bonis cumulare, Deut. XXVIII, 1. 2. at si conditiones, sub quibus hæcce omnia facere vult, non implentur ab hominibus, voluntas Dei hoc respectu inefficax est.

Hac ratione vult etiam preces exaudire, in calamitatibus auxilium ferre, opulentam messem largiri, proventui & opificio nostro benedicere & multa alia facere. Sed cum partim ad causas secundas, partim ad certa media voluntatem suam quasi alligaverit, voluntas non nisi per hasce causas secundas aut præscripta media efficax fieri potest. Et hac de causa dicitur voluntas hæc *ordinata*.

Desinit autem ordinata esse, si Deus supra dicta omnia posthabitis causis secundis aut præscriptis mediis absolute vult, ut fiant. In *ab-*

ſolutam tunc *voluntatem* permutatur ordinata, cui non reſiſti poteſt.

Voluntati autem *ordinatæ* reſiſtere poſſe, nemo, qui locum Matth. XXIII, 37 perpendit, negat, niſi Calviniſta. Ab hominum quaſi libero arbitrio Deum ſic dependere putat; quod tamen neutiquam ſequitur, quia Deus tantum ordinem, quem ipſe libere hominibus præſcripſit, ſervare vult. Liberas enim creaturas non ut truncos & lapides tractat, Deut. XXX, 15 ſq.

Locum hic habet diſtinctio in *voluntatem Dei approbantem*, *efficientem* & *permittentem*. Prior voluntas ad bonum per ſe, altera ad id, quod Deus ipſe intendit aut ordinat, & ultima ad malum, quatenus propter bonum, inde expectandum, non impeditur, reſpectum habet.

Diſtinguitur etiam in *voluntatem ſigni* & *beneplaciti*. Prior eſt quaſi voluntas externa ſeu manifeſtatio voluntatis, poſterior vero voluntas interna. In ſenſu orthodoxo diſtinctio hæc admitti poteſt, quando e. g. Deus juſſit Abrahamum, filium ſuum immolare; in ſenſu vero heterodoxo, uti a Calvinianis in doctrina de hominum ſalute uſurpatur, jure meritoque rejicitur.

Diſtinctio in *voluntatem Dei arcanam* & *revelatam* etiam huc ſpectat. Duplex hæc voluntas non ſecum pugnare debet, alias Deus hypocriſeos arguendus foret. *Voluntas arcana* circa varia Dei judicia, quæ inexplorabilia dicuntur, Rom. XI, 33. *voluntas* vero *revelata* circa negotium

gotium salutis nostræ & circa res, quas Deus nobis cognitas reddere voluit, versatur. Non igitur unum idemque objectum habent.

Distinguere etiam solent Theologi respectu efficaciæ voluntatis divinæ in *voluntatem antecedentem* & *consequentem*, cujus distinctionis autor DAMASCENUS fuit. Prior est universalis & respicit media, quatenus a Deo offeruntur, posterior vero particularis & respicit media, quatenus ab hominibus aut accipiuntur aut rejiciuntur.

Pertinet hæc distinctio ad doctrinam de divina electione & reprobatione in opere salutis hominum, quapropter missam hic facimus & ad Locum Theologicum, qui de hac distinctione præcipue agit, reservamus.

CAPUT XIX.

DE DECRETIS DEI.

Voluntas latioris notionis est, quam *decretum*. *Voluntas* enim tendit ad omnia per se appetibilia, etsi pro ratione circumstantiarum non animum ad ea intendimus, *decretum* vero est certum voluntatis propositum, hoc vel illud faciendi aut omittendi.

Decretum itaque *Dei* est actus divinæ voluntatis, quo aliquid ut certo fiat, secum firmiter & immutabiliter constituit. Dicitur in Scri-

ptura S. πρόθεσις, Rom. VIII, 28. 2 Tim. I, 9. προορίζειν. Rom. VIII, 29. 30. πρόγνωσις, Act. II, 23. Rom. VIII, 29. 1 Petr. I, 20. & εὐδοκία, Matth. XI, 26. Eph. I, 5. 9.

Quod Deus in tempore fecit, ab æterno decrevit, & quod decrevit, id eo etiam tempore & ordine, uti decrevit, evenit, Jes. XIV, 27. c. XLVI, 10. 11. Non aliter itaque de decretis divinis, quam ex eventu, judicare licet.

Etsi decreta effectus voluntatis sint, in Dei tamen decretis intellectus ejus per infallibilem prævisionem eventuum concurrit. Et hæc prævisio causa est, cur decretum decretum sequatur. Sic prævisio lapsus in decreto de condendo homine causa fuit decreti de redimendo homine, & prævisio salutis cujuslibet hominis ad decretum de electione & reprobatione hominum ansam dedit.

Proprie omnia *decreta immutabilia* sunt. Quia vero Deus interdum aliquid sub certa conditione decernit, e. g. mortem Hiskiæ, Jes. XXXVIII, 1. 5. & destructionem urbis Ninive, Jon. III, 4. 10. dici id potest decretum mutabile, quia Deus impleta conditione decretum suum quasi mutavit. Verum hominibus hoc tantum ita videtur, cum Dei voluntas per se sit immutabilis.

Non autem tollunt decreta divina libertatem hominum, etsi Deus multa permittere decernat, quæ non possunt non fieri. Deus enim, dum aliquid permittere decernit, jam actiones præ-

prævidet, quas decretum permissionis involvit. Hæc prævisio autem non necessitatem actionis, sed tantum necessitatem eventus causatur. Huc referendus est lapsus hominum, nec non proditio Jesu per Judam, quæ expresse inter decreta divina numeratur, Act. II, 23. c. IV, 28.

Præcipua Dei decreta sunt 1) decretum de homine ad suam imaginem condendo, 2) decretum de redimendo genere humano per Filium suum & 3) decretum de eligendis finaliter credentibus & reprobandis finaliter incredulis.

CAPUT XX.

DE AMORE DEI.

Amor est inclinatio animi ad id, quod nobis placet. Placet vero omne, quod bonum nobis esse videtur. *Bonum* autem dicimus, quod non modo per se pulchrum & perfectum esse judicamus, sed quod etiam nobis delicium creat, finique nostro conforme est & in rem nostram conducit.

Amor involvit & *benevolentiam* & *beneficentiam*, quatenus nempe inclinatio animi vel in se vel extra se consideratur.

Oppositum amoris vocamus *odium*, quod aversatio animi est ab eo, quod nobis displicet. Displicet vero omne, quod nobis malum esse vide-

videtur. *Malum* autem eſt, quod vel per ſe imperfectum & deforme eſſe putamus, vel nobis nauſeam creat, vel propoſito contrarium eſt, vel damnum infert.

Deo & *amor* & *odium* tribuitur, Pſ. XLV, 8. Habet enim iſte inclinationem ad omne bonum & averſationem ab omni malo. *Bonum* autem ipſi eſt omne, quod perfectum eſt & convenientiam cum ſua voluntate habet, *malum* vero, quod imperfectum & voluntati ſuæ contrarium eſt.

Odium Dei eſt vel affectus vel effectus. Si eſt affectus, idem eſt ac voluntas a malo averſa, ſi vero eſt effectus, conſiſtit in punitione mali, quod tamen a Deo ſine ulla perturbatione animi fit.

Sicut *amor* apud homines omnium affectuum & virtutum ſumma eſt, 1 Cor. XIII, 13. Col. III, 14. Matth. XXII, 36-39. ita etiam in Deo amor omnia, quæ de ipſius benevolentia & perfectione animi dici poſſunt, continet, quapropter in ſenſu eminentiori Deus ipſe nominatur *Amor*, 1 Joh. IV, 8. 6.

Præcipuum amoris divini *objectum* eſt ipſe *Deus*, quia non modo amor a ſe ipſo incipere ſolet, ſed etiam Deus extra ſe nil nobilius & perfectius novit. Si itaque *creaturas* amat, fit non niſi ex amore ſui ipſius, quatenus nempe creaturæ aliquid ad promovendam ejus gloriam conferunt, Prov. VIII, 17.

Amor Dei eſt vel *immanens*, vel *tranſiens*.

Amor

Amor Dei immanens eſt ipſa Dei voluntas, quatenus benevole propendet in bonum. Involvit 1) deſiderium ſe uniendi, 2) conatum benefaciendi, & 3) voluptatem internam ſuper objecto, in quod inclinatio propendet.

Amor Dei tranſiens eſt ipſa beneficentia ſ. benignitas, qua ſe erga creaturas ſuas per varia beneficia in regno naturæ & gratiæ benignum præſtat.

Benignitas hæc appellatur *univerſalis*, quatenus ſuper omnes creaturas, Pſ. XXXVI, 6. Pſ. CXXXVI, & *communis*, quatenus ſuper omnes homines, Matth. V, 45. 1 Tim. VI, 17. *ſpecialis* vero, quatenus ſuper ſolos fideles, Pſ. XXXII, 10. Nah. I, 7. ſe extendit.

Amor Dei tranſiens pro diverſo hominum ſtatu diverſa quoque accipit nomina. Reſpectu defectus meriti *gratia*, Exod. XXXIV, 6. Eph. II, 7. Tit. II, 11. reſpectu hominum miſeriæ *miſericordia*, 2 Sam. XXIV, 14. Dan. IX, 18. Jer. XXXI, 20. reſpectu peccatorum tolerantiæ *patientia*, Rom. XV, 5. 2 Petr. III, 9. reſpectu dilationis pœnarum *longanimitas*, Exod. XXXIV, 6. Rom. II, 4. & reſpectu beneficiorum hominibus præſtitorum, *Φιλανθρωπία*, Tit. III, 4. nuncupatur.

Miſericordia Dei in gratia erga miſeros conſiſtit. Proprie Deus non commovetur per miſeriam noſtram, quia commiſeratio ſpecies infirmitatis humanæ eſt. Cum vero Chriſtus, noſtram induerit naturam, is in ſe quoque quaſi

sentit miseriam, qua nos in hac vita afficimur. Uti vero *miseria hominis* duplex est, vel *turpis* respectu peccati, vel *tristis* respectu pœnæ, ita etiam misericordia Dei partim in abolendo reatu dominioque peccati, partim in condonandis & moderandis pœnis occupata est, Exod. XXXIV, 6. 7. Ps. LI, 3. Ps. LXXXVI, 15. Jer. III, 12. Thren. III, 22. Luc. I, 50. 2 Cor. I, 3. Eph. II, 4. 1 Petr. I, 3 &c.

CAPUT XXI.

DE JUSTITIA DEI.

Justitia a *jure* derivatur. *Jus* vero dicimus, quicquid cum lege vel præscripta vel naturali convenit.

Justitia igitur circa omnia, quæ ad implendam legem spectant, versatur, & quia lex non modo promittendo bonum, sed etiam comminando malum ad præstandum obsequium nos instigat, justitia tam in dandis præmiis quam infligendis pœnis occupatur.

Hanc justitiam qui exercet, *judex* vocatur. Officium vero judicis legislatori incumbit & cui id legislator committit. Dicitur autem justitia hæc *forensis*, quia a justitia *civili* distinguenda est, quæ non soli judici, quatenus suum cuique secundum normam præscriptæ legis tribuit, incumbit, sed etiam cuilibet civi ac homini,

mini, quatenus ad normam legis vivit, neminem lædit & jura alterius quovis modo promovet.

Utraque justitia Deo tribuitur. Prior proprie fert nomen *justitiæ*, posterior vero sub nomine *sanctitatis* intelligitur, de qua posthæc singulariter acturi sumus.

Justitia proprie sic dicta Deo adscribitur tanquam summo legislatori. Fluit ex amore sui ipsius, secundum quem vult, ut creaturæ intelligentes gloriam ejus promoveant & ad voluntatem ipsius accurate & diligenter vivant. Leges, quas vel promulgavit, vel cordi inscripsit, sunt norma voluntatis ejus, ad quam si vivimus, præmiis nos cumulat, eam vero si negligimus, nobis pœnas infligit.

Secundum justitiam hanc legislatoriam s. judiciariam Deus 1) legem s. normam agendi præscribit, 2) per promissiones & comminationes eam obsignat & 3) promissiones & comminationes legi additas partim remunerando, partim vindicando implet & exequitur. Hæ vero executiones in Scriptura S. plerumque *judicia Dei* vocantur, Apoc. XVI, 7. Ps. CXIX, 75. Rom. XI, 33.

Justitia Dei itaque respicit actiones creaturarum intelligibilium, quatenus voluntati divinæ consentaneæ sunt. Est vel *communicativa*, vel *dispositiva* vel *compensativa*.

Justi-

Justitia Dei communicativa idem est ac benignitas favorque Dei & quicquid exinde ad creaturas profluit.

Justitia dispositiva ad Dei providentiam pertinet.

Justitia compensativa est vel remunerativa vel vindicativa.

Justitia remunerativa non meritis nostris, sed sola Dei promissione gratuita fundatur. Proprie hinc non justitia dici potest, quia potius ad Dei bonitatem & veracitatem refertur. Interim cum Deo placuerit, non modo impletionem promissionum, Jes. XLV, 23. Rom. III, 4. 5. 7. sed etiam largitionem vitæ æternæ, Rom. II, 2. 6. 7. & auxilium in ærumnis & calamitatibus, 2 Thess. I, 6. 7. inter exempla justitiæ suæ numerare, non est, cur dubitemus, Deo justitiam tribuere remunerativam.

Justitia vindicativa, quæ alias etiam *punitiva & ultrix* nuncupatur, rectius Deo adscribitur, quia actiones hominum magis pœnam, quam præmium merentur. Versatur circa pœnas infligendas, quæ tum respectu Dei punientis, tum respectu punitorum hominum justissimæ sunt. Finis pœnarum est gloria Dei, quia id, quod per peccatum gloriæ divinæ detrahitur, per pœnam quasi restituitur.

Respectu justitiæ vindicativæ tribuitur Deo *ira*, Ps. XC, 7. Rom. I, 18. quæ fervor est, peccata puniendi. Involvit ira 1) propositum puniendi, 2) comminationes, quibus propositum

tum puniendi declaratur, & 3) ſtudium, comminationes exequendi. Comparatur hinc in ſacris literis ira Dei cum igne comburente, Hebr. XII, 29.

Tribuitur Deo etiam *vindicta*, quæ jus eſt, transgreſſionem legis puniendi. In ſolum Deum, tanquam ſummum legislatorem, iſtud competit, Deut. XXXII, 35. Pſ. XCIV, 11. Rom. XII, 19. Magiſtratus politicus executor tantum hujus vindictæ eſt.

CAPUT XXII.

DE SANCTITATE DEI.

Sanctitas eſt excellentia Dei moralis, qua non modo ſegregatus & alienus eſt ab omni malo morali, ſibique ipſi deditus, ſed etiam omnem perfectionem in ſe habet, quam in lege ſua præſcripſit.

Tribuitur Deo, non ut acceſſorium aliquod, nec ut peculiare attributum, ſed ut ipſa ejus eſſentia, Amos IV, 2. Penetrat enim omnia Dei attributa, ita, ut quodlibet eorum ſanctum dici queat.

Diſtinguitur in Deo a *juſtitia*, uti in hominibus integritas vitæ a juſtitia diſtingui ſolet, comparaturque in ſacris literis cum *luce*, 1 Joh. I, 5. Jac. I, 17. ab igne comburente probe diſcernenda, qui juſtitiam Dei repræſentat.

Mani-

Manifestat Deus *sanctitatem* suam 1) in suis decretis, 2) in suo verbo, Rom. VII, 12. Ps. CV, 42. Joh. XVII, 16. 3) in suis operibus, Ps. CXLV, 17. 4) in suis ministris, qui propterea in cœlo *sancti angeli*, Act. X, 22. & in terra *sancti homines* vocantur, 2 Petr. I, 21. 5) in sua Ecclesia, Ps. XCIII, 5. & inprimis 6) in suo Filio, ejusque opere redemtionis & sanctificationis.

Deus κατ' ἐξοχὴν sanctus nominatur, Jes. XL, 25. Hos. XI, 9. Apoc. III, 7. eique tale nomen tribuitur, quod præ aliis *sanctum* & venerandum est, Ps. CXI, 9. Ejus quoque habitatio in *sancto* est, Jes. LVII, 15. cujus typus olim *Sanctum sanctorum* in templo fuit. Tanta autem est Dei sanctitas, ut respectu ejus non habeat sui similem, 1 Sam. II, 2.

Hinc non modo tota *Trinitas* sancta vocatur, Jes. VI, 3. Apoc. IV, 8. sed etiam quælibet Trinitatis persona, & quidem *Pater*, Joh. XVII, 11. *Filius*, Luc. I, 35. Hebr. VII, 25. Dan. IX, 34. & *Spiritus* ob perfectionem suam, qua omnes alios spiritus antecedit, nec non, quia opus sanctificationis apud homines obit, in sensu eminentissimo *sanctus* vocatur.

Dei sanctitas nostræ sanctitatis fons est, Rom. I, 4. 2 Thess. V, 23. & exemplar, 1 Petr. I, 15. Lev. XIX, 2. impellitque nos ad sanctificandum Deum, utpote qui nobis semper sanctus esse debet, Jes. VIII, 13. 1 Petr. III, 15. Fit hoc, dum sanctitatem ejus 1) cognoscimus, 2) laudamus & 3) imitamur.

CAPUT

CAPUT XXIII.

DE

VERACITATE DEI.

Veracitas eſt habitus veritatem dicendi.

Triplex datur *veritas*, 1) *metaphyſica*, quæ eſt convenientia rei cum idea noſtra, 2) *logica*, quæ eſt convenientia mentis cum re & 3) *ethica*, quæ eſt convenientia verborum cum mente. Ultima eſt hujus loci.

Adſcribitur veracitas Deo, quatenus conſtans eſt in dicendo vero & ſervandis promiſſis. Vocatur alias *veritas in dicendo* & diſtinguitur a veritate, in eſſendo & cognoſcendo, quarum utraque etiam in Deum competit. Prior ad ejus exiſtentiam & poſterior ad ejus omniſcientiam ſpectat.

Veracitas Dei fluit ex ejus juſtitia & ſanctitate, pertinetque ad ejus immutabilitatem.

Tribuitur Deo 1) *poſitive*, dum dicitur verus, verax & fidelis, Deut. XXXII, 4. Rom. III, 3. 4. Pſ. XXXIII, 4. 2) *negative*, dum removetur ab eo a) omne falſiloquium & mendacium, Hebr. VI, 18. 1 Sam. XV, 26. Tit. I, 2. b) omnis fraus & dolus & c) omnis hypocriſis & ſimulatio. Datur quidem apparens ſimulatio Dei, quæ autem proprie nil aliud eſt, quam occultatio.

Deus multoties in verbo ſuo veritatem jurejurando teſtatur, e. g. Ezech. XXXIII, 11. Pſ. LXXXIX, 36. id vero non ad removendam men-

mendacii suspicionem facit, sed potius ut homines eo magis ad fidem ei habendam commoveat.

Testatur Deus veracitatem suam 1) in narratione historiarum, 2) in prædictione futurorum, Jes. XXXIV, 16. 3) in explicatione dogmatum, Ps. XIX, 8. 4) in promissione præmiorum & 5) in comminatione pœnarum.

Quatenus Deus promissa servat, *fidelis*, quatenus vero comminationes implet, *severus* nominatur.

Fidelitas Dei ex 2 Cor. I, 18. 20. & 1 Cor. X, 13. *severitas* vero ex Deut. IV, 24. & c. V, 9. probatur.

CAPUT XXIV.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

P*otentia* est facultas, aliquid propria virtute existens reddendi.

Differt a *potestate*. *Potentia* enim versatur tantum circa vires, *potestas* vero simul includit jus ac dominium. In Deo semper potentia cum potestate conjuncta est.

Proprie nec potentia nec potestate gaudet ulla creatura, quia non modo destituta est viribus propriis, aliquid existens reddendi, sed in eam etiam nullum proprium jus ac dominium super aliquid competit.

Tribuitur quidem *hominibus* in sacris literis tam potentia aliqua, quam potestas, sed utraque

que est dependens, imperfecta, a Deo concessa, ideoque valde limitata.

Solus itaque *Deus* is est, cui proprie & potentia & potestas tribuenda est. Jure ideo *potentissimus* dici meretur, quia non modo omnem potestatem in cœlis & terris habet, Matth. XXVIII, 18. sed etiam facere potest, quæ supra omnem intellectum finitum sunt, Eph. III, 20. Multi hinc nomen אֵל שַׁדַּי, Gen. XVII, 1. a radice Arabica שדד, *potentem esse* derivant, quasi se ipsum nominaverit *Dominum potentissimum*. Idem significat vox παντοκράτωρ, quam Paulus de Deo usurpat, 2 Cor. VI, 18.

Duo itaque in *Deo* hic consideranda sunt, 1) *potentia* ejus & 2) *potestas* ejus.

Potentia Dei jure meritoque *omnipotentia* vocatur, quia non habet terminum in amplitudine suorum effectuum. Est extensive infinita & describitur per facultatem, omne, quod vult, propria virtute existens reddendi. Probatur ex Matth. XIX, 26. & Luc. I, 37. ubi omnia apud Deum possibilia, nil vero impossibile esse, docetur. Exercet autem potentiam suam non nisi secundum sapientiam suam, quapropter non semper id, quod possibile est, existens reddit. Exercet etiam illam tanta facilitate, ut uno momento per voluntatem suam omnia efficiat, Gen. I, 3. Ps. XXXIII, 9. Jes. XLVIII, 13. Apoc. IV, 11.

Objectum potentiæ divinæ omnia sunt, quæ 1) non apertam contradictionem in se habent, e.g.

triangulum duos habens angulos; 2) summis suis perfectionibus non repugnant, e.g. peccatum, aut mendacium, Hebr. VI, 18. & 3) cum voluntate sua non conveniunt, aut cum divino decreto pugnant, e. g. ablatio calicis a Christo, Matth. XXVI, 39. Interim non dici debet, tale quid Deum non facere posse, sed potius, tale quid non fieri posse.

Etsi una tantum & simplicissima sit *potentia Dei*, distingui tamen solet in *absolutam* & *ordinatam*.

Potentia Dei absoluta fit per indeterminatam ejus voluntatem & quidem in solo regno naturæ, *potentia* vero *ordinata* per causas secundas & secundum ordinem a se constitutum, & quidem tam in regno naturæ, quam in regno gratiæ. Quod Deus per potentiam absolutam facit, vulgo *miraculum* appellatur.

Est potentia hæc Deo essentialis, quapropter ipsi & *brachium* & *dextra* adscribitur, Psalm. LXXXIX, 14. Jer. XXXII, 17.

Potest non modo facere, quicquid vult, Ps. CXXXV, 6. sed etiam quod non vult, Matth. XXVI, 53. & ubi nihil est, Rom. IV, 17. & quidem sine ulla defatigatione, Jes. XL, 28.

Potestas s. ἘΞΟΥΣΊΑ *Dei*, est jus ac dominium ejus universale & independens in omnes creaturas, quo secundum voluntatem suam absolutam iis dominatur, summaque auctoritate

cum


cum illis agit, nec non inter eas quicquid ei libet, 1 Chron. XXX, 11. 12. Pſ. L, 10-12. Dan. IV; 31. 32. c. V, 19. Hag. II, 9. conſtituit & ordinat. In primis extendit ſe poteſtas hæc ſuper homines, Rom. XIV, 7. 8. in genere autem ſuper cœlum & terram, Pſ. CXXXV, 6.

Vocatur Deus propterea *rex*, Pſ. X, 16. Jeſ. II, 7. *magnus rex in toto terrarum orbe*, Pſalm. XLVII, 3. Pſ. XCVI, 10. *rex gentium*, Pſ. XLVII, 9. Jer. X, 7. *rex æternus*, 1 Tim. I, 17. & *rex regum*, 1 Tim. VI, 15. Apoc. XIX, 16.

Adſcribitur ipſi etiam propterea *regnum*, 1 Chron. XXX, 11. Pſ. CIII, 19. quod ſpecialiter *regnum potentiæ* nominatur.

Verſatur Dei *poteſtas* 1) circa omnes res & creaturas, dum iſtas ſervat, iisque utitur, quomodo & quamdiu vult, 2) circa omnes hominum ſtatus, dum regna dat, cui vult, & mutat tempora & fortunam, Dan. II, 21. c. IV, 32. c. V, 18-21. & 3) circa ſingulos homines, dum non modo eorum motus & inclinationes actu phyſico eo flectit, quo vult, Prov. XXXI, 1. Lev. XXVI, 36. Pſ. XXXIII, 15. ſed etiam actu morali eorum voluntatem per præſcriptas leges dirigit.





SECTIO II.
DE
DEO UNITRINO
IN SPECIE.

CAPUT I.
DE
MYSTERIO TRINITATIS
IN GENERE.

Doctrina *de sacro-sancta Trinitate* non a patribus Concilii Nicæni excogitata, nec ex Platonis Philosophia desumta, sed divinitus revelata & in Scriptura S. satis fundata & stabilita est, etsi usurpati termini maxima ex parte ecclesiastici & ἄγραφοι sint.

Versatur doctrina hæc circa maximum fidei mysterium, dum *Trinitas in unitate* omnem rationis captum transcendit. Nemini itaque naturaliter istud cognitum est, Matth. XI, 27. nec per imagines aut picturas sine offensione nominis divini adumbrari potest, Exod. XX, 4.

Est autem doctrina de hoc mysterio ad salutem creditu quam maxime necessaria, quia 1) is, qui Deum non ut Patrem, Filium & Spiritum

tum S. in unitate trinum adorat, non verum Deum adorat, Joh. V, 25. 1 Joh. II, 23. 1 Cor. XII, 3. & 2) quia ſine cognitione Trinitatis nec opus redemtionis, quo ſalus noſtra nititur, cognoſci poteſt.

Dantur autem multi SS. Trinitatis hoſtes, qui communi nomine *Anti-Trinitarii* vocantur. Præcipui noſtro tempore ſunt *Sociniani*, qui a Lælio & Fauſto Socino, duobus cognatis & patriciis Senenſibus, Seculo XVI viventibus, nomen & originem acceperunt.

In veteri Eccleſia inprimis *Samoſateni*, *Photiniani* & *Sabelliani* myſterium Trinitatis impugnaverunt, qui autem Eccleſiæ non tam magna inflixerunt vulnera, quam *Ariani*, quorum peſtiferam doctrinam ante aliquot annos in Anglia *Guilielmus Whiſton* ex orco quaſi revocavit.

Muhamedani & *Judæi* etiam inter hodiernos Anti-Trinitarios numerari poſſunt. Sed quia Jeſu Chriſti doctrinam & nomen prorſus reſpuunt, inter ethnicos magis quam hæreticos referri merentur.

Ex veterum Rabbinorum Scriptis ſatis patet, doctrinam de Trinitate *Judæis in V. T.* non incognitam fuiſſe. Interim non negandum eſt, quod eadem multo clarius ex ſacris literis N. T. quam ex ſcriptis V. T. demonſtrari queat, fideleſque V. T. non tam luculentam de iſto myſterio cognitionem habuerint, quam fideles N. T. habere poſſunt. Neutiquam tamen aſſeri debet, eos myſterium hocce prorſus ignoraſſe,

quia satis perspicua de illo in scriptis Prophetarum occurrunt testimonia.

Certi *Pontificii* Mariam virginem, & certi *Fanatici* suam Sophiam in divinam quasi recipiunt Trinitatem, sed magis propterea ridentur, quam refutantur.

CAPUT II.

DE PERSONIS DEITATIS IN GENERE.

Dari aliquot & quidem *tres* in Deitate *personas*, ex Scriptura S. tam V. quam N. Testamenti satis superque probari potest, etsi ipsum nomen *personæ* in ea non usurpetur. Est enim vox ecclesiastica, quam primum *Tertullianus* in doctrina de Trinitate adhibuit. Græce per ὑπόστασιν, Hebr. I, 3. exprimitur, quatenus scilicet vox hæc a voce οὐσία distinguitur.

Voces & *termini*, quos ad vindicandum verum Scripturæ S. sensum in hac gravi doctrina doctores Ecclesiæ usurpant, non respuendi sunt, dummodo recte explicantur & intelliguntur. Per eos enim succincte exprimitur, quod alias fusius exprimendum foret. Non autem in concione publica adhibendi sunt, sed tantum in scholis Theologorum & quando in arenam cum hæreticis descendimus. Interim non quidem vocum, sed rerum diversitas hæresis est, etsi non raro monstri aliquid in ipsa doctrina is alat, qui temere nova verba fingit.

Per-

Persona est substantia, quæ non modo intelligens, sed etiam incommunicabilis est. Alstedius istam dictam putat quasi *per se unam*, Hebræi vero per פָּנִים, & נֶפֶשׁ exprimunt.

Substantia est ens, facultate agendi præditum. Vetustiores Metaphysici nominabant substantiam ens, quod non existit in alio, tanquam in suo subjecto.

Substantia, quæ de pluribus dicitur, *communicabilis*, quæ vero non de pluribus dicitur, *incommunicabilis* appellatur. In priori sensu homo, mensa, ovis &c. in posteriori vero David, arca Noæ, asinus Bileami &c. substantia dici potest.

Deus in utroque sensu, diverso tamen respectu substantia vocatur. Respectu essentiæ suæ *substantia incommunicabilis*, respectu autem personalitatis *substantia communicabilis* est.

Substantia incommunicabilis alias vocatur *suppositum*.

Suppositum est quicquid substantialiter, individualiter, complete & incommunicabiliter existit.

Etsi *Deus* ob suam incommunicabilitatem suppositum dici nequeat, quælibet tamen Deitatis persona suppositum est.

Persona enim est suppositum intelligens.

Sumitur autem vox *personæ* modo *abstractive* s. formaliter, modo *concretive* s. materialiter.

Si *abstractive* sumitur, significat ὑπάρξιν h. e. *subsistentiam* s. personalitatem, in qua significatione usurpatur in doctrina de Trinitate, ubi

Trinitas tres ſubſiſtentias incommunicabiles individuæ Dei naturæ denotat, quæ per ſe ita indiviſibilis eſt, ut in qualibet perſona, concretive ſpectata, tam eſſentia divina, omnibus communis, quam ὑπάρξις ſ. ſubſiſtentia ſingulis propria adſit. Attamen cum abſtractum ſemper lateat in concreto, tanquam ſuo ſubjecto, parum intereſt, num vocem perſonæ in myſterio Trinitatis abſtractive, an concretive accipiamus.

Pluralitatem & ſpecialiter *Trinitatem* perſonarum ex ſacris N. Teſtamenti literis probare ſupervacaneum eſt, cum ex omnibus paginis id ſatis pateat. Præcipua tamen loca, quæ myſterium hoc expreſſe indicant, ſunt: 1 Joh. V, 7. Matth. III, 16. 17. c. XXVIII, 19. Joh. XIV, 16. 2 Cor. XIII, 13.

Ex ſcriptis vero V. Teſtamenti difficilius iis videtur veritas hujus ſanctiſſimi myſterii demonſtrari poſſe, quorum intellectus jam multis erroribus & præjudiciis circa dogma iſtud obumbratus eſt; at qui ex ſancto veritatis ſtudio ſacrum codicem evolvit, ſat multa tam de pluralitate quam trinitate diverſarum Deitatis perſonarum teſtimonia inveniet, quæ luculenter eum docere poſſunt, myſterium hoc neutiquam fidelibus V. T. incognitum fuiſſe.

Probatur autem *pluralitas divinarum perſonarum* in V. Teſtamento, 1) ex nomine אלוהים, quod non tantum terminatione, ſed etiam ſignifica-

fication pluralis numeri eſt, e. g. Deut. VI, 4. Gen. XXXV, 7. 1 Sam. XVII, 26. 2 Sam. VII, 23. 2) ex locis, ubi Deus de ſe ipſo in plurali loquitur, e. g. Gen. I, 26. c. III, 22. c. XI, 7. Jeſ. VI, 8. quod ab ipſo non ad majeſtatem ſuam declarandam fit, alias id in promulgatione legis feciſſet, Exod. XX. 3) ex locis, ubi Deus a Deo diſtinguitur, e. g. Gen. XIX, 24. Exod. III, 4. c. XI, 3. c. XXIV, 1. c. XXXIII, 19. c. XXXIV, 5. 6. Jer. XXIII, 33. Dan. IX, 17. Hoſ. I, 7. Zach. III, 2. Pſ. CX, 1. Hiob. XXXIII, 4. Pſ. XLV, 8.

Trinitas perſonarum probatur ex Jeſ. IV, 2. 4. c. XXXIII, 22. c. XLII, 1. Hagg. II, 5-8. Pſalm. XXXIII, 6. Zach. XII, 10. Habet etiam trina benedictio Num. VI, 24-26. Pſ. LXVII, 7. 8. ad tres perſonas reſpectum, quæ alias etiam ſingulariter tribui ſolet & Patri Eph. I, 3. & Filio, Act. III, 26. & Spiritui S. Gal. III, 14. Huc ſpectant quoque loca, ubi Deus ter ſanctus dicitur, e. g. Jeſ. VI, 3. Apoc. IV, 8.

Ex *Libris Apocryphis* inprimis ſequentia loca Trinitatem nobis innuunt, Sap. VII, 26. coll. Hebr. I, 3. & Col. I, 15. it. Sap. IX, 1. coll. Pſ. XXXIII, 6. & Joh. I, 1. 2. it. Cap. XVI, 12. coll. Exod. XV, 26. it. Sap. I, 7. & cap. VII, 7. 22. 28. ubi in ſpecie Spiritus Dei mentio fit.

CAPUT III.

DE
TRIUM DEITATIS PERSONARUM REALI DIFFERENTIA ET ESSENTIÆ UNITATE.

Duo circa dogma de Trinitate considerandasunt 1) quod tres Deitatis personæ realiter inter se differant & 2) quod eædem personæ unam tantum essentiam constituant.

Tres Deitatis personæ omnino inter se realiter ita differunt, ut alia persona sit Pater, alia Filius & alia Spiritus S. Non autem sunt distincta tantum nomina aut testimonia, nec diversæ emanationes aut relationes, nec meræ virtutes Deitatis, sed vera supposita s. distinctæ personæ.

Male igitur agunt, qui earum *differentiam* ita depingunt, ut quasi *Pater* sit ignis, *Filius* lux & *Spiritus S.* utriusque viva virtus, aut qui *Patrem* vocant Dei voluntatem, *Filium* Dei voluptatem & *Spiritum* S. egressum ex Dei voluntate & voluptate.

Probatur autem *realis* divinarum personarum *differentia* 1) *ex nominibus personalibus*, quibus in scriptura S. a se invicem distinguuntur. Pater enim non simul esse potest Filius, nec Filius simul esse potest Pater.

Probatur 2) *ex characteribus personalibus*. Est enim in qualibet persona aliquid, quod non in altera

altera eſt. Paternitas nec eſt in Filio nec in Spiritu S. Filiatio eſt nec in Patre nec in Spiritu S. & Spiratio paſſiva nec in Patre nec in Filio. Probatur 3) *ex reali perſonarum disjunctione*, qua Pater a Filio vocatur ἄλλος ſ. alius, Joh. V, 32. 37. & Spiritus S. ἄλλος παράκλητος, Joh. XVI, 16. 17. Patres primitivæ eccleſiæ hinc anſam ſumſerunt dicendi, quod in Trinitate detur ἄλλος καὶ ἄλλος ὑποςατικῶς, non vero ἄλλο καὶ ἄλλο ουσιωδῶς. Probatur 4) *ex operibus externis*, quorum quælibet perſona ſibi aliquid in ſua divina œconomia quaſi appropriat, & ſe per iſtud manifeſtat. Sic *Pater* opus creationis & univerſæ gubernationis, *Filius* opus redemptionis & *Spiritus S.* opus ſanctificationis ſibi appropriat, ſeque per iſtud a cæteris perſonis certo modo diſtinguit.

Hæc *perſonarum differentia* cognoſcitur etiam ex cultu religioſo, quia quælibet Deitatis perſona ſeorſim adorari & religioſe coli ſolet & poteſt.

Interim differentia perſonarum realis non tollit unitatem eſſentiæ. Omnes enim tres perſonæ *unam candemque eſſentiam divinam* habent, licet ſub diverſis relationibus & reſpectibus.

Sunt in qualibet divina perſona duo attendenda: 1) eſſentia divina omnibus tribus perſonis communis, & 2) relatio, cuilibet perſonæ propria. Scholaſtici propterea dixerunt,

perſo-

personam divinam compositam esse ex essentia & relationibus.

Illustratur *Trinitas in unitate* simili, a *sole* desumto. Sol per se est unum quid. Datur vero in eo ignis, fulgor & calor. Sic unum certo modo etiam est trinum.

Est autem *unitas essentiæ in tribus personis* ita comparata, ut nec ex iis composita, nec inter istas divisa sit. Facit illa personas inter se ita coæquales & coëssentiales, ut non nisi ratione ordinis in subsistendo & operando una alteri præponatur.

Neutiquam igitur apud personas divinas aliqua subordinatio locum habet, quasi persona personam perfectione & dignitate superet, ut certi Angli & Arminiani docent, qui propterea mollis Arianismi arguuntur.

Tritheitæ olim ex tribus personis tres fecerunt Deos.

Veteres Græci usurpant de divina essentia vocem οὐσία, quam distinguunt a voce ὑπόστασις, quæ iis idem est ac persona. Exprimunt igitur unitatem essentiæ tribus personis communem per ὁμοουσίαν, qua testantur, unamquamque personam unius ejusdemque essentiæ cum altera esse, non quidem specie, sed numero. Cum enim essentia divina non ad modum speciei in pluribus individuis multiplicabilis sit, nulla etiam persona divina alteri ὁμοούσιος esse potest specie.

Præci-

Præcipuus scripturæ S. locus, qui Trinitatem in unitate probat, est 1 Joh. V, 7. ubi de tribus Deitatis personis hæc verba occurrunt: καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, h. e. *& hi tres unum sunt*. Anti-Trinitarii locum hunc valde suspectum reddunt perhibendo, eum non esse avthenticum, sed ex pia fraude a certis ecclesiæ patribus intercalatum. At a multis Theologis & Philologis satis superque locus hic vindicatus est. Aliqui non de unitate essentiæ, sed de unitate consensus illum interpretantur. Faciunt id autem cum aperta textus violatione, uti ex verbis sequentibus patet.

Quicquid ad essentiam Dei pertinet, in tribus personis commune est. Ita e. g. datur in Deo tantum unus intellectus, 1 Cor. II, 11.

Ad pleniorem hujus mysterii expositionem nunc de singulis personis seorsim agemus & qua ratione a se invicem differant, ostendemus.

CAPUT IV.

DE PATRE, PRIMA DEITATIS PERSONA.

Pater fons quasi est & principium totius Deitatis, quia absolute & independenter a se ipso est, essentiamque suam cum cæteris Deitatis personis communicat.

Voca-

Vocatur *Pater* propter Filium ſ. alteram Deitatis perſonam, quam ex eſſentia ſua ab æterno genuit, Pſ. II, 7. Hebr. I, 5.

Totus Deus triunus alias in ſcriptura S. *Pater* nuncupatur, ſed fit reſpectu creaturarum & inprimis hominum, quibus non modo vitam dedit, ſed etiam omnem pro iis curam paternam fovet, eosque alit & veſtit, Matth. VI, 25. 26. 31. 32. Nemo hinc majori jure nomen *patris* meretur, quam Deus, Matth. XXIII, 9. Uti vero omnem Deo debemus honorem, timorem & amorem filialem, ita etiam nomen Patris ſibi imponere voluit Deus, ut nos officii noſtri per iſtud nomen ſemper admoneat, Mal. I, 6.

Nemo autem Deum, ut Patrem, magis timuit & dilexit, quam Chriſtus. In omnibus operibus ſuis honorem ejus promovit. Exemplo nobis non modo eſſe voluit, ſed nos quoque docere, ſe verum Dei filium eſſe.

Vocatur vero *Pater cæleſtis*, ut diſtinguatur a patribus terreſtribus, Eph. III, 15. Matth. V, 48. nec non a falſis ethnicorum Diis, qui non de cœlo, ſed de terra ſunt, Jer. X, 3-10. Pſ. CXV, 3-8.

Et idem hic Pater cœleſtis non modo Chriſti, quatenus ſecunda Deitatis perſona eſt, Pater dicendus eſt, ſed eſt quoque ille, *ἐξ οὗ πᾶσα πατρια ἐν οὐρανοῖς και ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται*, h. e. a quo omnis paternitas in cœlo & terra originem habet, tam reſpectu Filii ſui æterni, quam

reſpectu

respectu omnium fidelium, imo omnium hominum, Eph. III, 15. c. IV, 6.

Patris divinitatem probare supervacaneum est, quia omnes, qui existentiam Dei non negant, eandem quoque ei concedunt, putantes, patris nomen ipsi tribui, quia omnium rerum autor & moderator sit, omniaque ab eo dependeant.

Nos, qui evangelicam veritatem profitemur, non modo Deum in genere, ut Patrem, colimus, sed etiam quatenus Filius Dei ex essentia ejus, tanquam secunda Deitatis persona, genitus est. Et hac ratione distinguimus, Patrem a Filio & Spiritu S. tanquam primam personam, cui divinitas æque ac toti divinæ essentiæ tribuenda est. Sufficienter id ex nominibus, attributis & operibus ejus, Joh. III, 16. c. XVII, 3. Matth. XI, 25. 26. patet.

Christus soli quidem Patri Deitatem adscribit, Joh. XVII, 3. sed non excluso se ipso & Spiritu S. Voluit quasi c. l. ita loqui: *Hæc est ad vitam æternam perveniendi via, ut cognoscamus Patrem, qui tantum verus Deus* (non vero simul homo) *est, & Jesum Christum, quem misit Pater, & qui non tantum Deus, sed etiam homo est.* Potest etiam loci hujus difficultas facile tolli, si per Patrem h. l. non primam Deitatis personam, sed totum Deum, cujus respectu Christus ab eo missus dicitur, intelligimus.

Nominatur autem Pater *prima Deitatis persona* respectu tantum ordinis in subsistendo & ope-

rando,

rando, neutiquam vero respectu perfectionis, virtutis agendi ad extra, temporis & dignitatis, quia omnes tres personæ in hisce sibi æquales sunt.

CAPUT V.

DE
DE FILIO, SECUNDA DEITATIS PERSONA.

Secunda Deitatis persona *Filius* nuncupatur, quia ex essentia primæ personæ, quæ ob hanc causam Pater dicitur, genitus est, Ps. II, 7. Hebr. I, 5. Vocatur propterea Filius Dei *unigenitus*, Joh. I, 14. 18. c. III, 16. *proprius*, Rom. VIII, 32. *primogenitus*, Col. I, 15. 18. & *dilectus*, Matth. III, 17. Joh. V, 20. Col. I, 13.

In V. T. nomen *Filii Dei*, in locis Ps. II, 7. 12. Jes. IX, 6. Prov. XXX, 4. 1 Sam. VII, 14. coll. Hebr. I, 5. in N. T. vero plus centies occurrit. Non modo Pater & Filius ipse, sed etiam angeli, homines & diaboli Christum sic nominant.

Vocantur quidem inter creaturas etiam *angeli*, Hiob. XXXVIII, 7. *magistratus*, Ps. LXXXII, 6. & *fideles*, Joh. I, 12. filii Dei, sed non sunt proprie tales. Prærogativæ *proprii Dei Filii* ex 1 Joh. III, 8. Hebr. I, 3 sq. c. III, 3 sq. Luc. X, 22. Joh. I, 18. c. X, 30. & Apoc. II, 18. satis patent.

Cætera

Cætera Filii Dei nomina sunt *verbum Dei*, Pſ. XXXIII, 6. Pſ. CVII, 20. Joh. I, 1. *ſol juſtitiæ*, Mal. IV, 2. *ſapientia*, Prov. VIII, 1. 1 Cor. I, 24. *imago Dei*, Col. I, 15. Hebr. I, 3. *virtus Dei*, 1 Cor. I, 24. Luc. I, 35. *ſplendor gloriæ divinæ*, Hebr. I, 3. *principium & finis* ſ. *α & ω*, *primus & ultimus*, Apoc. I, 8. 11. c. XXI, 6. c. XXII, 13. item *angelus fœderis*, Mal. III, 1. & inprimis *Meſſias* ſ. *Chriſtus*, 2 Sam. XXIII, 1. Dan. IX, 25. 26. Joh. I, 41. 45. 49. c. IV, 25.

In V. T. ſæpius Filius Dei ſe in forma angeli manifeſtavit, Exod. III, 2. c. XIV, 19. c. XXIII, 20 ſq. Act. VII, 38. ſed id ſemper ita factum eſt, ut quilibet eum ab angelo creato diſtinguere potuerit.

Vocatur *ſecunda Deitatis perſona*, 1) quia omnis filius proximus a patre eſt, & 2) quia immediate a Patre ſuam ſubſiſtentiam habet. Quod vero ordo hic non inæqualitatem dignitatis involvat, teſtatur Paulus, dum Filium interdum Patri e. g. 2 Cor. XIII, 13. præponit.

Filium Dei itaque perſonam a Patre diſtinctam eſſe, nemo, qui ſacrarum literarum fidem non penitus reſpuit, negat, ſed quod ſimul verus Deus & certa Deitatis perſona ſit, multi in dubium vocant. Communi nomine hoſtes Deitatis Chriſti *Anti-Trinitarii* appellantur, quia ſimul totum SS. Trinitatis myſterium peſſimis ſuis dogmatibus impugnant. Operæ igitur pretium erit, iſtos non modo cognitos reddere, ſed etiam Deitatem Chriſti ſ. Filii Dei contra

eosdem probare. Prius in hoc capite, posterius vero in sequenti facturi sumus.

Hostes Deitatis Christi s. Filii Dei in *tres classes* distingui possunt. Vel *Arii*, vel *Photini*, vel *Socini* castra sequuntur. De omnibus aliqua dicemus.

Ariani ab *Ario*, presbytero Alexandrino, qui seculo IV vixit, originem habent. Docebat iste, Christum ante conditum mundum a Deo ex nihilo creatum, adoptatum, omnibusque angelis & creaturis præpositum esse, nec non instrumentum divinæ creationis fuisse.

Assecl æ hujus Arii dividuntur in crassos, mitiores & subtiles. Priores Filium Patri per omnia dissimilem vocaverunt, quorum duces *Aëtius* & *Eunomius* fuerunt. Alteri Filium quidem Patri similem dixerunt, at non respectu essentiæ, sed tantum respectu voluntatis ejus id esse perhibuerunt. Horum caput fuit *Acacius*, Cæsareensis Episcopus. Ultimi, qui etiam *Semi-Ariani* audiunt, Filium Patri ὁμοιούσιον, h. e. essentiæ similem, non vero ὁμοούσιον, h. e. ejusdem cum Patre essentiæ esse, asseruerunt. Quanquam Arianismus dudum in ecclesia exspiravit, in Anglia tamen nostris temporibus hæresis hæc a Wilhelmi

helmi Whiſtonis & Samuelis Clarkii aſſeclis adhuc & propugnatur & propagatur.

Photiniani a *Photino*, Epiſcopo Sirmienſi in Pannonia, nomen & originem acceperunt. Floruit hic hæreſiarcha itidem ſeculo IV, & docebat, Chriſtum nudum hominem fuiſſe, eumque omnem ſuam eſſentiam in Maria accepiſſe. Diſtinguebat Λόγον a Chriſto & aſſerebat, Λόγον ab æterno in Patre quidem fuiſſe, ſed non ab ipſo diſtinguendum eſſe. Nomen horum hæreticorum nunc prorſus in eccleſia evanuit.

Sociniani a duobus *Socinis*, *Lælio* & *Fauſto*, utroque Senenſi, qui ſeculo XVI vixerunt, originem traxerunt. Dogmata eorum continentur in Catecheſi Racovienſi, ex qua patet, Chriſtum iis tantum eſſe nudum hominem, divinis virtutibus ex Dei gratia præditum & ad ſummam dignitatem evectum. Infauſta hæc ſecta proh dolor! noſtris adhuc temporibus viget. Non ſolum hic illic in tenebris graſſatur, ſed etiam in Polonia & Tranſylvania publice toleratur. Nunc nomen *unitariorum* ferre malunt.

CAPUT VI.

DE DEITATE FILII DEI IN SPECIE.

Christum & *Filium Dei* unam esse personam, nemo facile negat, qui Christi nomen profitetur. Dicitur *Christus* s. *Messias* respectu officii mediatorii sui, *Filius Dei* vero respectu generationis a Patre, propter quam secunda Deitatis persona est.

Hunc Filium Dei autem *verum Deum* esse, probatur 1) ex *nominibus divinis*, quæ ei in Scriptura S. tribuuntur. Hæc sunt inprimis *Deus* & *Jehovah*. Illud est nomen divinæ naturæ, hoc vero divinæ essentiæ. Prius occurrit Joh. I, 1. Act. XX, 28. 1 Joh. V, 20. Tit. II, 13. Rom. IX, 5. Hebr. I, 9. 1 Tim. III, 16. Joh. XX, 28. Ps. LXVIII, 18. 19. posterius autem Jer. XXIII, 5. 6. ubi aperte de Christo agitur. Cætera V. T. loca, quæ hic allegari solent, ita comparata sunt, ut, qui non jam de Christo in iis sermonem esse credit, non invenerit fundamentum probationis. In N. T. plus quam centies Christus dicitur *κύριος*, quæ vox cum nomine Jehova convenit. Cætera divina nomina, quæ ei tribuuntur, sunt *dominator*, Mich. V, 2. *rex*

regum

regum & dominus dominantium, Apoc. XVII, 14. *pater æternus*, Jeſ. IX, 6. *princeps vitæ*, Act. III, 15. *dux ſalutis*, Hebr. II, 10. *rex gloriæ*, Pſ. XXIV, 7 ſq. coll. Zach. IX, 9. & Matth XXI, 5. *princeps pacis*, Jeſ. IX, 6. *lux mundi*, Joh. I, 9. coll. 1 Joh. I, 5. & *dominus gloriæ*, 1 Cor. II, 8.

Probatur Deitas Chriſti ſ. Filii Dei 2) *ex generatione ejus a Patre*, quæ actus Dei ad intra eſt & in Patris æterna communicatione divinæ ſuæ eſſentiæ cum Filio conſiſtit. Vocatur propterea proprius Dei Filius, ut ſupra oſtendimus. Hæc generatio autem non tollit divinam independentiam ſoli Deo propriam. Filius Dei æque ac Pater de ſe dicere poteſt, ſe a ſeipſo eſſe, Joh. V, 26. Habet quidem Filius Dei hanc independentiam & aſeitatem non abſolute, at vere tamen per æternam generationem. Jure meritoque igitur Chriſto tota tribuitur divina natura, ut ex Joh. I, 1. 4. c. X, 30. 38. c. XIV, 10. 11. c. XVI, 15. c. XVII, 10. 21. & inprimis ex Col. II, 9. patet, ubi expreſſe legimus, quod in eo πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, h. e. tota Deitas vere & realiter in perſona ejus habitet. Conf. 2 Cor. V, 19.

Probatur Deitas Chriſti ſ. Filii Dei 3) *ex divinis attributis*, quæ ei adſcribuntur. Hæc

sunt a) *æternitas*, Joh. I, 1. Apoc. I, 8. 11. 17. 18. Jes. IX, 6. 7. Prov. VIII, 22. Mich. V, 1. Joh. XVII, 5. Hebr. XIII, 8. b) *omnipotentia*, Joh. X, 28. Apoc. I, 8. Phil. III, 21. Eph. I, 22. Matth. XXVIII, 18. c) *omniscientia*, Joh. XXI, 17. Matth. IX, 4. Joh. II, 24. 25. c. IV, 29. c. XVI, 30. 1 Cor. IV, 5. Col. II, 3. d) *immutabilitas*, Hebr. I, 11. e) *voluntas liberrima*, Joh. V, 21. f) *omnipræsentia*, Matth. XXVIII, 20. Joh. III, 13. g) *summa justitia*, Hebr. I, 8. 9. Jes. IX, 7. Act. XVII, 31. h) *summa sufficientia*, Joh. XVI, 15. & i) *gloria divina*, Joh. XVII, 5. Hebr. I, 3.

Probatur Christi divinitas 4) *ex operibus ejus vere divinis*, quorum præcipua sunt a) *creatio hujus universi*, Joh. I, 3. Col. I, 16. Hebr. I, 2. 10. Eph. III, 9. ubi observandum est, quod particula διὰ hic non causam instrumentalem, sed causam efficientem principalem indicet, uti de ipso Patre usurpatur, Rom. XI, 36. Hebr. II, 10. b) *conservatio hujus universi*, Coloss. I, 17. Hebr. I, 3. omnia enim portare, est regale divinum, 1 Chron. XXX, 11. 2 Chron. VI, 18. c) *resuscitatio mortuorum*, & quidem per liberam voluntatem & per modum causæ principalis, Joh. V, 21. 28. Exempla sunt juvenis Nainiticus Luc. VII, 14. 15. filia Jairi, Marc. V, 41. Luc. VIII, 53.

54.

54. & Lazarus, Joh. XI, 43. Memoratu dignum eſt, quod Jeſus ſemper ſibi ipſi poteſtatem reſuſcitandi tribuat per verba: *ego dico tibi.* Vocat ſe propterea *ἀνάϛασιν* ſ. reſurrectionem, Joh. XI, 25. quia autor eſt omnis reſurrectionis, atque adeo etiam ſui ipſius, Joh. II, 19. c. X, 18. d) *deſtructio regni diabolici*, Gen. III, 15. Luc. XI, 20. Col. II, 15. e) *redemptio generis humani*, Rom. III, 24. 1 Tim. II, 5. 6. Hebr. IX, 12. Pſ. XLIX, 8. 9. f) *glorificatio corporum*, Phil. III, 21. g) *regeneratio & converſio hominum*, Act. III, 26. h) *illuminatio*, Joh. I, 9. c. XII, 46. Jeſ. XLII, 6. 7. i) *accenſio fidei*, Hebr. XII, 2. k) *remiſſio peccatorum*, Matth. IX, 6. l) *ſanctificatio*, Hebr. II, 11. m) *largitio vitæ æternæ*, Joh. X, 28. & quæ ſunt cætera. Huc etiam ſpectant ejus *miracula*, Joh. III, 2. c. V, 20. c. X, 38. c. XX, 30. 31.

Probatur denique 5) divinitas Chriſti *ex cultu religioſo*, qui ei tribuitur Joh. V, 23. Phil. II, 9-11. Præter Deum nemo adorari debet, Exod. XX, 3. 5. c. XXXIV, 14. Matth. IV, 10. Jeſ. XLII, 8. Chriſtus vero adorandus dicitur tam ab Angelis Hebr. I, 6. Pſ. XCVII, 7. Apoc. V, 13. quam ab hominibus & quidem tam viventibus, 1 Cor. I, 2. Luc. XXIV, 52. Act. VII, 58. 59. Matth. XIV, 33.

Pſ. II, 12. quam defunctis, Phil. II, 10. Eſt quoque in ſecula laudandus, Rom. IX, 5. Nos etiam in eum & credere, Joh. III, 16. & ſperare jubemur, Rom. XV, 12. 1 Cor. XV, 19. Huc ſpectat, quod etiam in nomine ejus non modo benedictio, 1 Cor. XVI, 23. ſed quoque baptiſmus fiat, Matth. XXVIII, 19.

Quis itaque dubitet de divinitate Chriſti ſ. Filii Dei? Ipſe ſe verum Deum eſſe confeſſus eſt, Joh. V, 18. c. X, 30. 36. ſq. confeſſionemque hanc morte ſua obſignavit, Matth. XXVI, 63. 64. Luc. XXII, 70.

CAPUT VII.

DE SPIRITU S. TERTIA DEITATIS PERSONA.

Tertia *Deitatis perſona* non propter eſſentiam ſuam, ſed propter perſonalitatem *Spiritus* vocatur. Eſt enim ſpiraculum omnipotentis, Hiob. XXXIII, 4. & ſpiritus oris divini, Pſ. XXXIII, 6. *Sanctus* appellatur, ut diſtinguatur ab omni alio ſpiritu, qui divina caret ſanctitate, nec non ut indicetur operatio ejus in hominibus, quæ in ſanctificatione conſiſtit.

Mentio fit *Spiritus Sancti* in literis V. T. Gen. I, 2. Hiob. XXXIII, 4. Pſ. XXXIII, 6. Pſ. XXXIX, 7. Mich. II, 7. 2 Chron. XV, 1. c. XX, 14. c. XXIV, 20. Jeſ. XI, 2. c. XL, 13. c. LXIII, 10. 1 Sam. X, 10. 1 Reg. XVIII, 12.

Κατ' ἐξοχὴν dicitur *ſpiritus*, Joh. VI, 63. Matth. IV, 1. c. XII, 31. Marc. I, 20. & quidem 1) a modo ſubſiſtendi, quia per ſpirationem ineffabilem ſubſiſtit, Pſ. XXXIII, 6. & 2) a modo operandi, quia ejus operationes in movendo, vivificando, & refocillando conſiſtunt, quæ proprie vento & flatui tribuuntur, Joh. III, 8. Manifeſtavit ſe propterea ſub ſymbolo venti valde ſpirantis, Act. II, 2.

Hoſtes myſterii Trinitatis ſunt etiam hoſtes Spiritus S. dum negant, eum diſtinctam a Patre & Filio perſonam unius ejusdemque eſſentiæ & dignitatis eſſe.

Sociniani iſtum appellant virtutem Dei ſ. qualitatem intermediam inter divinam potentiam & ejus effectus, hominibus communicabilem. *Muhamedani* per eum ſuum Mahometh intelligunt, quem ex Joh. XV, 26. & c. XVI, 7. paracletum nominant. *Ariani* & *Macedoniani* creaturam Filii nuncupabant. *Sabellius* & *Photinus* pro una eademque cum Patre & Filio perſona habebant. *Montanus* ſe ipſum Spiritum S. vocabat. *Michael Ser-*

 vetus

vetus non in Deo, ſed in hominibus Spiritum S. quærendum eſſe docebat. *Joh. Bidellus* pro præcipuo quodam angelo, quocum Deus in ſingulari familiaritate vixerit, & *Chriſtophorus Sandius* pro tota ſanctorum angelorum cohorte eum habebat. *Joh. Caſpar Weſtphalus* tertiam hominis partem, 1 Theſſ. V, 23. certus *Anglicanus Anti-Trinitarius* ἐνέργειαν Dei in creaturis, *Mennonita Abrahamſen* virtutem divinam a Chriſto, hominibus largiendam, & *Petrus Poiret* cum aliquibus Patribus eccleſiæ amorem divinum nominaverunt.

Verum omnes orthodoxi eccleſiæ doctores docent, Spiritum S. non modo veram a Patre & Filio diſtinctam perſonam, ſed quoque cum utroque unius ejusdemque eſſentiæ divinæ eſſe. Hoc ut firmiter credamus, nobis probandum incumbit, 1) quod Spiritus S. ſit verus Deus, & 2) quod ſit a Patre & Filio perſonaliter diſtinctus: Prius in hoc capite, poſterius vero infra faciemus.

Spiritum S. verum Deum eſſe probatur 1) ex *nominibus ejus divinis.* Dicitur enim a) *Jehovah*, Jer. I, 9. coll. 2 Petr. I, 21. it. Deut. XXXII, 12. coll. Jeſ. LXIII, 10. ſq. it. Jeſ. VI, 8. coll. Act. XXVIII, 25. it. Pſ. XCV, 6. 7. coll. Hebr. III, 7. b) ΚΥΡΙΟΣ, 2 Cor. III, 17. 1 Cor.

1 Cor. XII, 4-6. & c) *Deus*, Act. V, 3. 4. 1 Cor. III, 16. 17.

Probatur Spiritus S. divinitas 2) ex *processione ejus a Patre & Filio*, de qua infra pluribus agetur.

Probatur eadem 3) ex *attributis ejus divinis*. Tribuitur enim ei a) *æternitas*, Gen. I, 2. coll. Prov. VIII, 27. Joh. I, 1. b) *omnipotentia*, Jes. XI, 2. Mich. II, 7. Matth. XII, 28. c) *omnipræsentia* & *immensitas*, Ps. CXXXIX, 7. d) *omniscientia*, 1 Cor. II, 10. Jes. XI, 2. e) *omnisapientia*, Jes. XL, 13. 14. f) *liberrima voluntas*, 1 Cor. XII, 11. g) *summa veracitas*, Joh. XIV, 17. & h) *sanctitas*, quapropter κατ' ἐξοχὴν *Spiritus Sanctus* dicitur.

Probatur 4) ex *operibus ejus divinis*. Hæc sunt a) *creatio hujus universi*, Gen. I, 2. Hiob. XXXIII, 4. Ps. XXXIII, 6. b) *conceptio Christi in utero materno*, Luc. I, 35. c) *resuscitatio mortuorum*, Rom. VIII, 11. d) *inspiratio prophetica*, 2 Petr. I, 21. e) *regeneratio*, Joh. III, 15. coll. Joh. I, 13. f) *renovatio* & *sanctificatio*, Tit. III, 8. g) *missio & unctio doctorum ecclesiæ*, Act. XX, 28. c. XIII, 2. 4. & h) *largitio* & *distributio donorum Dei* tam communium, quam extraordinariorum, 1 Cor. XII, 4-11. *Dona* hæc sæpe in Actis Apostolorum sub ipso Spiritus S. nomine intelliguntur, Joh. V,

V, 39. Et de hisce donis etiam Act. XIX, 2. sermo est, quando de fidelibus Ephesinis dicitur, quod nesciverint, an detur Spiritus S.

Probatur denique ista 5) ex *cultu ejus religioso*, dum a) in nomine ejus baptizamur, Matth XXVIII, 19. b) in eum irremissibiliter peccare possumus, Matth. XII, 31. c) salus & gratia ab eo impetratur, 2 Cor. XIII, 13. d) ad eum, tanquam testem & vindicem provocatur, Rom. IX, 1. & e) a Seraphinis ejus sanctitas celebratur, Jes. VI, 2. 3.

CAPUT VIII.

DE DIVINIS ACTIBUS, PROPRIETATIBUS ET NOTIONIBUS PERSONALIBUS, QUIBUS TRES DEITATIS PERSONÆ INTER SE DISTINGVUNTUR.

Personæ divinæ distinguuntur a se invicem 1) per *actus personales*, 2) per *proprietates personales* & 3) per *notiones personales*.

Actus s. *opera Dei* sunt vel *ad intra*, vel *ad extra*. *Actus Dei ad intra*, qui omnes æterni sunt, dicuntur ii, quorum objectum ipse Deus est, *actus* vero *ad extra*, sunt ii, quorum objectum res extra Deum sunt.

Actus

Actus Dei ad intra ſunt vel *eſſentiales* vel *perſonales. Eſſentiales* ſpectant ad eſſentiam Dei ſine reſtrictione ad certam perſonam, *perſonales* vero reſpectum habent ad certam Deitatis perſonam producendam. Ad *eſſentiales actus ad intra* pertinet e. g. amor Dei erga ſe ipſum; *perſonales* vero *actus ad intra* ſunt generatio & ſpiratio, de quibus in ſequentibus capitibus plura dicemus.

Actus Dei ad intra perſonales ſunt *diviſi*, quia non in omnes tres perſonas competunt, cæteri vero actus omnes & ad intra & ad extra ſunt *indiviſi*.

Actus Dei ad extra ſunt vel *immanentes* vel *tranſeuntes. Immanentes* vocantur, quorum objectum intra eſſentiam Dei perficitur, *transeuntes* vero, quorum objectum extra Dei eſſentiam perficitur. Ad illos pertinent actus intellectus & voluntatis Dei, ad hos vero e. g. inſpiratio ſacrarum literarum, creatio, redemptio, conſervatio &c.

Actus Dei ad extra tranſeuntes diſtinguuntur in eſſentiales & perſonales. *Perſonales* ſunt, quorum objectum quidem res eſt, quæ extra Deum perficitur, in aliqua tamen Deitatis perſona terminatur, *eſſentiales* vero, quorum objectum res eſt, quæ extra Deum perficitur, & neque inchoative, neque termina-

tive certæ divinæ perſonæ ſingulatim tribuenda eſt. Ad hoſce actus referuntur e. g. ſupra dicti actus creationis, inſpirationis, conſervationis &c. ad illos vero e. g. productio humanitatis Chriſti, apparitio Spiritus S. columbina &c.

Proprietatum Dei perſonalium dantur *tres*, paternitas, filiatio & proceſſio.

Paternitas eſt proprietas primæ perſonæ, quæ propterea *Pater* dicitur, quia habet Filium, ex ſua eſſentia ab æterno genitum.

Filiatio eſt proprietas ſecundæ perſonæ, quæ propterea *Filius* dicitur, quia habet Patrem, ex cujus eſſentia ab æterno genitus eſt.

Proceſſio eſt proprietas tertiæ perſonæ, quæ propterea *ſpiritus* dicitur, quia ut ſpiraculum oris a prima & ſecunda perſona procedit.

Vocantur hæ *proprietates* etiam *relativæ*, & quidem *reales*, quia ad ſe invicem reſpectum habent.

Notiones Dei perſonales a proprietatibus perſonalibus non aliter differunt, quam quod per priores id ſtrictius de perſonis divinis dicatur, quod per poſteriores latius dicitur. Sic poteſt paternitas & filiatio pluribus quidem ſubſtantiis tribui, non vero *ἀγεννησία* ſ. innaſcibilitas, nec nativitas æterna, nec ſpiratio activa, quæ ſolis Deitatis perſonis tanquam certi characteres adſcribuntur.

Per *innaſcibilitatem* Pater ſolus is eſt, qui ab alio nec genitus eſt, nec procedit.

Per

Per *nativitatem æternam* Filius Dei ſolus eſt, qui ab æterno genitus eſt.

Per *ſpirationem activam* Spiritus S. ſolus eſt, qui ab æterno ut ſpiraculum divinum procedit.

Propter has notiones autem *Perſonæ Deitatis* neutiquam multiplicantur, quia ſecundum regulam Theologorum in divinis omnia ſunt unum, niſi obveniat relativa oppoſitio. Hac ratione nec ex parte Patris paternitas, innaſcibilitas & ſpiratio activa, nec ex parte Filii filiatio, nativitas æterna & ſpiratio activa ſibi invicem relative opponuntur.

CAPUT IX.

DE

DE GENERATIONE PATRIS ET FILII IN SPECIE.

Generatio eſt ea actio divina ad intra, qua *Pater* ex eſſentia ſua ab æterno genuit Filium, dum ab æterno eſſentiam ſuam divinam & omnia, quæ ad divinitatem ſpectant, cum eo communicat. Reſpectu *Filii* hæc actio vocatur *nativitas*, quæ alias etiam *generatio paſſiva* nominari ſolet.

Pater itaque non ſolum eſſentiam divinam, ſed etiam modum eſſentiam divinam habendi a ſe ipſo habet, quod de Filio & Spiritu S. non dicere poſſumus, quippe qui quidem eſſentiam divi-

divinam, non vero modum, divinam essentiam habendi, a se habent. Recte igitur Christus dixit, *Patrem dedisse Filio, vitam habere a se ipso*, Joh. V, 26.

Profluit exinde ordo subsistendi & operandi, secundum quem Filius a Patre differt. Sicut *Filius* subsistentiam suam, ita etiam ordinem operandi, Joh. V, 19. 20. a Patre habet.

Neutiquam autem *generatio* & *nativitas divina* cum Roëllio *tropica* aut *metaphorica* vocari debet, sed est *propria*, quia omnia requisita adsunt, quæ ad propriam generationem & nativitatem pertinent. Hæc sunt, 1) ut sibi simile producatur, 2) ut essentia cum altero communicetur & 3) ut relatio patris & filii inde oriatur. Improprie Filii nativitas *exitus* nominatur, Mich. V, 1. Joh. XVI, 27. 28.

Interim non negari potest, *divinam generationem* & *nativitatem* ab *humana* valde diversam esse. Hæc corporaliter, & finite ab ejusmodi substantiis fit, quæ separatam essentiam separatasque proprietates habent, illa vero incomprehensibili, infinito & prorsus singulari modo fit, quia Pater & Filius non modo unam eandemque essentiam, sed etiam una eademque attributa habent. Illustrari potest simili, a luce desumto, Hebr. I, 3. 1 Joh. I, 5. Est enim Filius quasi lux de luce genitus.

Hanc ob causam etiam hæc Filii generatio s. nativitas non nisi *ab æterno* esse potest. Probatur,

batur hoc 1) ex Pf. II, 7. ubi Pater ad Chriftum dicit: *Filius meus es, ego hodie genui te*, ubi vox הַיּוֹם præfentiffimum atque unicum æternitatis momentum fignificat. Probatur 2) ex Mich. V, 1. ubi Propheta egreffiones f. nativitatem Chrifti dicit effe, מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם, h. e. a principio dierum æternitatis. Probatur denique 3) ex Col. I, 15. ubi Chriftus vocatur *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*, h. e. *is, qui genitus eft, antequam ulla effet creatura.*

Durat hæc generatio & nativitas *in æternum*, non quidem fucceffive, fed ita, ut femper *ἐν τῷ νῦν* æternitatis fiat. Eft igitur femper pro confummata habenda.

CAPUT X.

DE PROCESSIONE SPIRITUS S. IN SPECIE.

Proceffio Spiritus S. eft actio divina ad intra, qua Pater & Filius ab æterno effentiam divinam cum Spiritu S. communicant ita, ut Spiritus diftincta quidem ab iis perfona fit, quæ unam tamen eandemque effentiam habet. Refpectu Patris & Filii vocatur *fpiratio*, refpectu vero fui ipfius *proceffio.*

Solus Pater effentiam divinam habet a fe ipfo. Quia vero Filius cum Patre unius ejusdemque effentiæ eft, Joh. X, 30. c. XVII, 10. 11. non

poteſt non Spiritus S. eſſentiam ſuam divinam ab utroque habere, ſ. procedere, ita, ut propterea & *Patris* & *Filii Spiritus* dicatur. Fit tamen in ejusmodi ordine, ut Spiritus non a Patre ſolo, ſed a Filio procedat. Hinc Chriſtus dixit, cum Spiritum mittere vellet: *Non loquetur is a ſemet ipſo, ſed quæcunque audierit, loquetur: ex meo accipiet & vobis annunciabit: omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt: propterea dixi: ex meo accipiet & annunciabit vobis*, Joh. XVI, 13-15.

Fit proceſſio hæc ab æterno & durat in æternum ſine ſucceſſione & viciſſitudine, quia apud Deum ſemper *hodie* eſt, Pſ. II, 7.

Habet itaque Pater & Filius cauſam Spiritus S. in ſe mediante ſpiratione, ita, ut uterque principium ſit Spiritus S. & quidem unicum, non duplex, quia ambo eadem virtute Spiritum S. ab æterno in æternum producunt.

In Græca Eccleſia negatur, Spiritum S. a Filio procedere, in Ruthenica vero proceſſio hæc a Filio inter opera Dei ad extra refertur, dum per eam ejusmodi largitio donorum intelligitur, quæ conſentiente Filio fit.

At cum Spiritus 1) expreſſe *Spiritus Filii* vocetur, Gal. IV, 6. Rom. VIII, 9. 1 Petr. I, 11. 2) a Filio mitti dicatur, Joh. XV, 26. Luc. XXIV, 49. 3) a Chriſto per afflationem ſymbolice repræſentetur, Joh. XX, 20. & 4) relativa alias inter Filium & Spiritum S. oppoſitio tolleretur, neutiquam Spiritûs S. proceſſio a Filio negari debet.

Neu-

Neutiquam quoque dicere debemus, Spiritum S. a Filio procedere respectu humanæ naturæ, quia hæc in tempore cœpit, Gal. IV, 4. Interim omnino procedit a Christo ϑεανϑρώπῳ, duas naturas habente.

Missio Spiritûs S. ab ejus processione & spiratione probe discernenda est. Habet illa quidem fundamentum in processione ejus substantiali, sed in hoc differt, ut in tempore fiat, cum processio & spiratio ab æterno sit. Illa magis manifestationem personalitatis divinæ, hæc vero ipsius essentiæ communicationem significat.

Qui mittitur, non necessario inferior est eo, qui mittit. Mittitur interdum etiam par a pari, Jes. XLVIII, 16.

Ex hisce satis constat, *Spiritum S. veram* Divinitatis *personam* esse, quia ei non modo nomina & idiomata personalia, sed etiam proprietates, apparitiones & operationes personales tribuuntur. Distinguitur enim a Patre & Filio, quia 1) ab utroque procedit, 2) ab utroque mittitur, 3) utrique opponitur, & 4) distincta nomina habet.

In œconomia cœlesti est Dei παράκλητος inter homines. Sicut Filius causam hominum coram Deo, sic Spiritus S. causam Dei apud homines agit.





LIBER III.

DE CREATIONE ET PROVIDENTIA DEI.

Conjungimus duos hos fidei articulos, quia unum quasi constituunt opus divinum ad extra. Quicquid enim Deus in principio rerum creavit, id per providentiam suam in ejus natura & ordine etiam conservat. Est propterea Providentia divina *creatio* quasi *continuata*.

Agemus igitur in *duabus Sectionibus*, 1) de *Creatione* & 2) de *Providentia*.

SECTIO I. DE CREATIONE.

CAPUT I. DE CREATIONE IN GENERE.

Vox *Creationis* h. l. non significationem moralem, uti de magistratûs electione & constitutione usurpatur, nec significationem spiri-

ſpiritualem, e. g. Pſ. LI, 12. nec ſignificationem aliam impropriam, e. g. Pſ. CIV, 30. & Num. XVI, 30. ſed prorſus ſingularem & propriam habet.

Significat enim *productionem* rei vel *ex nihilo* vel *ex materia prorſus inhabili.*

Productio ex nihilo vocatur *Creatio immediata* & productio ex materia inhabili *Creatio mediata.*

Non h. l. intelligitur *Nihil negativum*, ſed *privativum.* Illud eſt id, quod nec eſt, nec eſſe poteſt: hoc vero, quod quidem non eſt, ſed tamen eſſe poteſt. De illo valet canon: *ex nihilo nihil fit.*

Optime actus creationis per *exiſtens reddere* exprimitur, Rom. IV, 17. Si ex nihilo aliquid exiſtens redditur, vox Creationis *in ſenſu ſtrictiſſimo;* ſi ex materia præexiſtente, ſed inhabili exiſtens redditur, *latius*, & ſi per cauſas naturales exiſtens redditur, *in ſenſu latiſſimo* uſurpatur.

Tribus utitur Scriptura S. *vocibus* ad exprimendum actum Creationis, ſcilicet ברא, עשה, & יצר. Sunt ſynonyma, ſi ponuntur cum objecto Creationis.

Doctrina de Creatione omnino inter articulos fidei, ſed ſecundarios, refertur, quia non modo ex lumine naturæ non cognoſci poteſt, Hebr. XI, 3. ſed etiam ſalva ſalute æterna non negari debet.

Per lumen naturæ quidem cognoſcitur, mundum non eſſe æternum, ſed quando & quomodo mundus ortus ſit, ſine revelatione divina non liquet.

Hac de cauſa etiam non nimis curioſe modum creationis indagare debemus, ut *Thomas Burnet*, *Wilhelmus Whiſton*, *Detlev Cluverus* & alii fecerunt, quia opus creationis ad objecta fidei pertinet.

Sedem doctrinæ de hoc Dei opere invenimus, Gen. I & II. item Pſ. CIV. Præcipua vero dicta claſſica ſunt Jeſ. XL, 26. c. XLV, 12. Jer. X, 11 - 13. Act. IV, 24. c. XVII, 24. Hebr. XI, 3. Apoc. IV, 11.

Creatio itaque eſt actio divina, qua aliquid, quod nondum extitit, vel mediate vel immediate exiſtens redditur.

CAPUT II.

DE CREATORE.

Quia opus creationis omnes ſuperat vires naturales & determinatas, *omnipotentia* ad iſtud omnino requirebatur, quæ attributum eſt ſolius Dei.

Solus itaque *Deus* omnium rerum creator eſt, Jeſ. XLIV, 24. c. XLV, 12. 18. Gen. I, 1. Exod. XX, 11. Hiob. IX, 8. Neh. IX, 6. Rom. XI, 34. Jer. X, 11 - 13. Pſ. CXLVI, 6. Act. IV, 24. c. XVII, 24. Apoc. IV, 11.

Errat

Errat *Weigelius*, quando ex Pſ. CIV, 4. conjectat, aſtra & elementa ab angelis producta eſſe.

Tribuitur autem creatio non ſoli *Patri*, 1 Cor. VIII, 6. etſi in operando primus ſit, ſed etiam *Filio*, Joh. I, 3. Eph. III, 9. Col. I, 16. Hebr. I, 2. Prov. VIII, 27-30. Pſ. CII, 26. coll. Hebr. I, 10. & *Spiritui S.* Gen. I, 2. Pſ. XXXIII, 6. Hiob. XXXIII, 4.

Particula διά, *per*, quæ de *Filio* dicitur, non cauſam inſtrumentalem, ſed cauſam efficientem principalem indicat. Uſurpatur autem ea non de Patre, ſed tantum de Filio, ut exinde divinarum perſonarum ordo in operando eo magis pateat, Paterque eo melius a perſona Filii diſtinguatur. Non tamen propterea credi debet, quamlibet perſonam Deitatis certum operis penſum in creatione abſolviſſe, ita, ut quaſi *Pater* e. g. materiam aquoſam, *Filius* lucem primigeniam & *Spiritus S.* virtutem vitalem in principio rerum produxerit, ut nonnulli perhibent.

Deo non aliam creationis *cauſam moventem* tribuere poſſumus, quam manifeſtationem gloriæ ſuæ, quapropter etiam ſe per hujus univerſi creationem ab omnibus falſis Diis diſtinguere ſolet, Jer. X, 11. Jeſ. XLV, 18 ſq. Pſalm. XCVI, 5. Benedixit etiam ex hac cauſa diei ſeptimæ, ac voluit, ut homines iſtam ad ejus cultum, laudem & recordationem adhibeant, Gen. II, 3. Exod. XX, 11. Dicitur quieviſſe illa die. Sed *quies* hæc non aliter intelligenda eſt, quam quod Deus deſierit, aliquid novi creare.

 In-

Involvit vox hæc ſimul oblectamentum animi ſuper res creatas.

Alii Theologi *cauſam creationis impulſivam* in ſola Dei *bonitate* quærunt. Sed non ſatis accurate hoc dicitur. Quatenus quidem Deus creaturas ſuas ita creavit, ut omni jucunditate & felicitate frui, nec non ſibi invicem uſui & oblectamento eſſe queant, bonitas ejus omnino ex omnibus operibus elucet, Pſ. CXXXVI. at non tamen ea propterea cauſa creationis movens primaria vocari poteſt. Bonitas enim Dei ante mundum conditum jamjam fuit, quia attributum Dei eſſentiale eſt, quod per benignitatem manifeſtari ſolet.

Cauſam exemplarem creationis conſtituunt ideæ ſingularum creaturarum in intellectu divino expreſſæ. Subjungit propterea Moſes omni fere operi divino verba hæc; *vidit Deus, quod bonum ſit.*

CAPUT III.

DE

MUNDO IN GENERE.

Mundus ſignificat integram compagem rerum creatarum, ex materia & forma conſtantem.

Materia ſunt partes, ex quibus mundus compoſitus eſt. Sunt iſtæ partim *continentes*, ſcilicet cœlum, terra & mare, Act. IV, 24. partim

tim *contentæ*, ſcilicet omnia, quæ cœlum, terra & mare continent.

Res contentæ ſunt iterum vel materiales vel immateriales. *Immateriales* ſunt ſpiritus, *materiales* vero, quæ ex partibus materialibus compoſitæ ſunt. Spiritus alias dicuntur *mundus intelligibilis*, qui *mundo viſibili*, ad quem omnes corporeæ creaturæ pertinent, opponitur.

Forma mundi conſiſtit in ordine, nexu & harmonia partium, ex quibus mundus compoſitus eſt.

Mundus nomen habet a *mundo* ſ. ornatu muliebri, quia pulcher is eſt & venuſtus. Hebræi eum עלם & Græci *αἰών*, Hebr. I, 2. nec non *κόσμον* Act. XVII, 24. vocant. Vox ultima a *κοσμεῖν*, *ornare*, deſcendit.

Ad mundum omnia pertinent, quæ extra Deum ſunt. Extra ipſum autem nil eſt, quod non intra ſextiduum creatum ſit, Apoc. IV, 11.

Excipiuntur *qualitates privativæ*, quæ non ad creaturas divinas referri debent, quia fructus ſunt lapſus hominum, e. g. peccatum, Sir. X, 22. & mors, Sap. I, 13.

Quæſtio: *num præſens mundus inter omnes poſſibiles optimus ſit?* noſtris quidem temporibus valde ventilatur, ſed jure meritoque inter futiles & inanes refertur. Unicus enim tantum datur mundus, nec Deus plures uno creare voluit. Cur igitur de poſſibilitate plurium mundorum multa diſputemus, cum unius tantum mundi idea in divino intellectu locum ha-

 buerit?

buerit? Nomen *mundus* est quasi nomen proprium, quod soli præsenti structuræ hujus universi, cujus generis non datur alia, tribuitur. Interim Philosophi, qui dictam quæstionem proferunt, nil aliud indicare volunt, quam quod præsens mundus ita comparatus sit, ut ad manifestandam Dei gloriam melior esse nequeat. Supponunt prævisionem lapsus hominum. Inde concludunt, quod Deus eum nec voluerit nec potuerit impedire, quia id fini suo, qui est gloriæ ejus manifestatio, haud conveniens fuisset. Potuisset itaque præsens mundus fini Dei haud convenientior fieri. Bonum enim dicunt, quod fini conveniens est, optimum vero, quod fini convenientissimum. Cum igitur Deus semper optimum eligat, sequi inde credunt, præsentem mundum inter omnes possibiles omnino optimum esse.

Attamen cum mundus in intellectu divino secundum primam ejus ideam, quam Creator de eo habuit, omnino melior fuerit, quam postea factus est, jure meritoque quæstio hæc tanquam scandalosa & Deo incongruens rejicitur.

Vox *mundus* in sacris literis interdum etiam improprium habet sensum. Significat enim modo totum hominum genus, Joh. III, 16. 1 Joh. V, 19. Jos. XXIII, 14. 1 Reg. II, 2. modo solos impios & incredulos, Joh. XVI, 20. Rom. XII, 2. 1 Joh. III, 13. c. IV, 5. modo bona tem-

temporaria, 1 Cor. VII, 31. 1 Joh. II, 15-17. modo etiam malum in mundo, Gal. I, 4. 2 Tim. IV, 10. 1 Joh. V, 4. Jac. IV, 4.

CAPUT IV.

DE TEMPORE CREATIONIS ET PRINCIPIO MUNDI.

Nec mundum, nec materiam primam ab æterno esse, ratio & revelatio docent. *In principio* enim *creavit Deus cœlum & terram*, Gen. I, 1.

In *tempore* itaque mundus cœpit. Est vero *tempus* nil aliud, quam determinata uniuscujusvis rei duratio. Quicquid igitur principium & finem habet, illud etiam habet tempus.

Extra tempus nil est, nisi *Deus*, qui propterea *æternus* dicitur, Ps. XCIII, 2. Ps. CII, 25. 28. Æternitas enim excludit tempus, quod cum ipso mundo originem cepit.

Mundus & *tempus* ita secum conjuncta sunt, ut neutrum sine altero existere queat. Nec *mundus* sine tempore mundus, nec *tempus* sine mundo tempus esse potest. Sicut autem temporis cursus omnes mundi formas & mutationes determinat, ita etiam temporum vicissitudines & periodi a mundi mutabilitate & rerum variatione dependent.

Neutiquam igitur mundus *in æternum* durare potest, quia ad tempus alligatus est, cujus respe-

respectu impossibile est, mundum non habere finem.

Dum Deus præcipuum mundi incolam, scilicet *hominem*, non ad mundanam, sed cœlestem condidit vitam, ab initio etiam voluit cœlum & terram aliquando iterum annihilare.

Mundus vero cum non ab æterno sit, quæritur: *quo anni tempore iste initum ceperit?* Quidam verno, alii autumnali tempore id factum esse perhibent.

Primi parentes in zona temperata septentrionali conditi sunt. Hinc probabile est, mundum creatum esse tempore autumni, quo etiam antiquissimi populi e. g. Chaldæi & Ægyptii, nec non ipsi Israëlitæ ante eductionem ex Ægypto annum inceperunt, Exod. XXIII, 16. coll. c. XXXIV, 22. Judæi quidem post egressum ex Ægypto annum verno tempore auspicari a Deo jussi sunt, sed factum id est propter Festum Paschatos, Exod. XII, 2. ad quod omnia alia Festa accommodanda erant. Alias satis notum est, Judæos in rebus civilibus pristinam Calendarum rationem retinuisse. Distinguebant propterea *annum* in *ecclesiasticum* & *civilem*. Illum cum mense Nisan verno tempore, hunc vero cum mense Tisri autumnali tempore incipiebant, quo etiam secundum JOSEPHUM in *Antiq. Jud. Lib. I, c. 4.* diluvium factum esse creditur, cujus initium Moses in primis anni mensibus ponit, Gen. VII, 11.

Præ-

Præter hunc anni computum etiam maturitas frugum, quæ autumnali tempore solita est, sententiam eorum, qui initium mundi in autumno ponunt, probabilem reddit. Omnes tunc arbores fructus ferunt, tellusque omnia, quæ ad animalium nutrimentum serviunt, abundanter & copiose suppeditat.

CAPUT V.
DE
ORDINE CREATIONIS.

Deus in creatione usus est *ordine architectonico*. Usurpatur propterea de mundi origine vox καταβολὴ, Matth. XIII, 35. Joh. XVII, 24. Luc. XI, 50. quæ vox a καταβάλλεσθαι, Hebr. VI, 1. derivatur, quod idem significat, ac aliquid præmoliri, aut opus aliquod prudenti consilio suscipere.

Καταβολὴ igitur & delineationem operis, & jactum ejus fundamentum denotat.

Delineatio ab æterno facta est, cum Deus ideas rerum creandarum sibi repræsentaverit, *fundamentum* vero *jactum* est sub initio temporis & quidem secundum dictam delineationem. Mundus itaque non ortus est per casum fortuitum, sed est effectus consilii sapientissimi.

Actus creationis in ordine ita sequuntur: 1) productio materiæ primæ, 2) materiæ hujus digestio in certum systema, 3) systematis hujus exornatio, & 4) totius operis perfectio.

Versi-

Versiculus libri Geneseos primus continet totius historiæ creationis summam.

Deus facile omnia uno momento producere potuisset; at placuit ipsi, intra *sex dierum spatium* opus creationis perficere.

Causas, cur Deus id fecit, non nobis revelavit. Forsitan fecit, 1) ut infinitam sapientiam suam quasi per partes in suis effectibus ostenderet, 2) ut se Deum ordinis præberet nobisque amorem ordinis infunderet, 3) ut nos a creatione naturali ad spiritualem duceret, & 4) ut tempus in dies & hebdomadas ad sui nominis gloriam & hominum commodum divideret.

Prima die Deus primam materiam, lucem primigeniam & spiritus, *secunda die* aërem & ætherem, *tertia* mare & terram cum arboribus & plantis, *quarta* sidera cœlestia, *quinta* animantia aquatilia & volatilia, & *sexta* animantia terrestria, tam quadrupeda, quam reptilia, nec non ipsum hominem creavit. Consummato creationis opere sequebatur *dies septimus*, quem Deus quieti hominum & suo cultui dicavit. Exponit nobis hoc Moses in capite I. libri sui Geneseos.

Errant, qui *sex dies* per tot annos aut milliaria interpretantur. Fuerunt enim omnino naturales dies, quarum quælibet ex 24 horis constat. A sensu autem proprio & literali in relationibus historicis nunquam recedere debemus.

Errant

Errant etiam, qui ex Sir. XVIII, 1. judicant, Deum omnia *uno momento* creasse, Mosem vero ob stupida Judæorum ingenia totum opus creationis in sex intervalla divisisse. Verum vox *κοινῇ* h. l. non per *simul*, sed per *communiter*, (quasi dicatur: *omnia & singula*) interpretanda est. Non obstant hic quoque loca Gen. II, 4. & Jes. XLVIII, 13.

In priori quidem occurrit vox ביום. At יום non semper unicum diem, sed etiam tempus plurium dierum, e. g. Jer. XXXI, 32. denotat.

In posteriori loco dicitur quidem Deus omnia fecisse יחדו h. e. *simul*. At יחד non semper temporis simultaneitatem, sed sæpe etiam idem ac *pariter*, e. g. Ps. XXXIII, 15. Jes. XL, 5. significat.

Hominem Deus ultimam voluit esse creaturam, quia cætera omnia in ejus commodum creavit. Voluit enim, ut ista partim homini habitaculum præbeant, partim eum oblectent, & nutriant, partim ei serviant, partim eum ad glorificandum creatorem incitent.

CAPUT VI.

DE

MODO CREATIONIS.

Nulla datur *causa materialis* creationis, quia Deus spiritus & materiam primam ex nihilo

hilo produxit, Hebr. XI, 3. Nec ex essentia sua Deus mundum creavit, quia ens simplicissimum est.

Modus, quo in productione hujus universi Deus usus est, non per emanationem, nec secundum leges mechanicas explicandus est: fuit tamen ordini naturæ congruus, quia primum simplicia & postea composita corpora creavit.

Ex liberrima voluntate omnipotentiam suam ad operandum applicuit, dum dixit: *fiat!* verbum hoc statim in effectum transiit, ita, ut illico factum sit, quod dixit, Gen. I, 3. Psalm. XXXIII, 9.

Vox ויאמר, *& dixit*, non modo λόγον προφορικὸν s. ipsum voluntatis divinæ actum, sed etiam λόγον ὑποςατικὸν s. Filium Dei significat, qui alias in Scriptura S. expresse λόγος s. Verbum dicitur, Joh. I, 3. Ps. XXXIII, 6. Hebr. XI, 3.

Non autem propterea Filius Dei causa instrumentalis creationis dicendus est. Certi hæretici id faciunt, provocantes ad Joh. I, 3. Eph. III, 9. Col. I, 16. Sed ex Prov. VIII, 27-30. Jes. XLV, 18. coll. v. 23. & Phil. II, 10. item ex Ps. CII, 26. coll. Hebr. I, 10. satis patet, particulam διὰ in citatis locis non causam instrumentalem, sed causam efficientem principalem indicare.

Deus nullo instrumento in opere creationis usus est. Solo enim voluntatis ductu per omnipotentiam suam mundum & omnes creaturas condidit, nec alicujus ope ac consilio indi-

indiguit. Nemini etiam de ſuis factis rationem reddere debet, aut alicui aliquid retribuere, quod prius acceperit, Rom. XI, 34. 35.

Nemo quoque in principio rerum adfuit, quem conſuleret, cum nec angeli, nec alia ſubſtantia ante conditum mundum extiterit. Errant autem, qui angelos Deo in opere creationis adſtitiſſe aſſerunt.

CAPUT VII.

DE MATERIA PRIMA MUNDI.

Datur omnino *materia prima*, ex qua omnia corpora producta ſunt, quæ tamen non æterna eſt. Ethnici iſtam olim vocarunt *primum Chaos*, quæ vox idem fere ac, תֹהוּ וָבֹהוּ ſ. informem, rudem ac indigeſtam molem ſignificat, cujus Moſes in hiſtoria creationis Gen. I, 2. mentionem facit. Ab æterno materiam primam fuiſſe, quidam ſomniaverunt. Verum aperte errant contra Scripturam S. quæ non modo ſoli Deo tribuit æternitatem, ſed etiam clare nos docet, mundum in principio temporis originem cepiſſe & a Deo ex nihilo productum eſſe.

Materia prima nil aliud eſt, quam quod alias Phyſici prima elementa ſ. vim plaſticam nominant. Non præexiſtens, nec æterna dicenda eſt, quia in primo creationis momento orta; nec pro aliqua ſubſtantia habenda, quæ for-

mam habeat ſpecificam; ſed fuit *principium elementare*, quod omnes res creatas, omniaque corpora materialiter inter ſe connectit.

Principium hoc in creaturis propagatur, ſeque diffundit in omnia, quæ vel naturaliter vel artificialiter adhuc formantur. Durat usque ad interitum mundi, nec ceſſat in ſolutione corporum. Formæ rerum quotidie quidem pereunt, non vero elementum hoc materiale. Deus qui ex nihilo id produxit, ſolus quoque eſt, qui in nihilum iterum rediget. Philoſophi variis inſigniunt iſtud nominibus. Modo animam ſ. archæum mundi, modo ἐντελέχειαν vocarunt. Sed parum commode, quia talis denominatio facile ad Deismum & Spinoſismum ducit.

In creata *indigeſta mole* ſ. *maſſa* materia hæc prima ita latuit, ut, cum Deus eam poſtea quaſi elaboraret, materia hæc cum omnibus, quæ a Creatore in ſuo ordine producebantur, communicaretur. Conſtabat iſta ex particulis, *aqua, terra, igne* & *aëre* plenis, quæ vulgo quatuor mundi elementa vocantur. Inter hæc *aqua* copia ſua ſuperabat cætera. Habebat propterea totum primum Chaos formam aquoſæ ſubſtantiæ, qua de cauſa etiam Moſes, quando creationem cœli deſcribit, iſtud ſub nomine *aquarum* indicat, Gen. I, 6. 7.

Quidam tribuunt *materiæ primæ* duas ſingulares proprietates, ſcilicet vitalitatem & luciditatem. *Vitalitatem* nominant ſubtilem ejus

vir-

virtutem, qua indigeſta moles mobilis & viva; *luciditatem* vero, qua lucida & viſibilis facta ſit. Prior alias *ſpiritus vitalis*, poſterior vero *lux primigenia* nuncupatur.

Productio hujus primæ materiæ, quæ in indigeſta mole latuit, penſum erat primæ diei, cui ſeparatio lucis a tenebris addebatur.

CAPUT VIII.

DE

COELO ET SIDERIBUS.

Creatio *cœli* opus fuit ſecundæ diei. Cum enim Deus plurimam aëris partem a reliqua maſſa ſepararet & in unum colligeret, oriebatur inde in media indigeſta mole ejusmodi *aëreum Expanſum*, quod dictam molem in duas dividebat partes, quarum ſubtilior & levior pars in altum ſurgebat, gravior vero infra manebat.

Hoc expanſum accipiebat nomen *cœli*, quod teſte Paulo 2 Cor. XIII, 2. *triplex* eſt, *aëreum*, *ætbereum* & *empyreum*. Proprie quidem unum tantum datur cœlum. Cum vero particulæ elementares eo ſubtiliores & nobiliores fiant, quo altius ſurgunt, orta inde eſt diviſio in tres cœlos.

Primum cœlum globum terreſtrem circumdat, & *aëreum* dicitur, quia ejus particulæ a terrenis & aquoſis particulis minus purgatæ, & cum atmoſphæra ſ. colluvie humorum & vaporum

porum ex globo terreſtri indeſinenter in altum ſurgentium, commiſtæ ſunt. In hoc cœlo generantur nubes & nebula, nix & pluvia, fulgur & tonitru, ros, grando & pruina, venti & omnes tempeſtates ac meteora. Aves ſub eo volant, quæ tamen non de aëre vivunt, ſed genus ſunt animalium terreſtrium, quod de terra ſuſtentatur, quapropter ultra atmoſphæram volatum ſuum non extendunt.

Alterum cœlum nominamus *æthereum*, quia ex particulis æthereis conſtat, quæ multo ſubtiliores ſunt, quam aëreæ. Æther enim compoſitus quaſi eſt ex particulis aëreis & igneis nobilioribus, quas ob nimium calorem & ſubtilitatem nulla animantia tolerare poſſunt. Hinc eo difficilius reſpirant, quo magis in altis montibus cœlo æthereo appropinquant. Natant in eo quaſi planetæ & ſtellæ, quapropter etiam cœlum hoc a quibusdam *cœlum ſidereum* appellatur. Vaſtitas hujus cœli ex ſtupenda ſtellarum altitudine patet, cum ſecundum calculum Aſtronomorum proxima ſtella a terra noſtra plus quam 50000 millies centum milliaria diſtet.

Tertium cœlum vocatur *empyreum*, quia quaſi in mero igne conſiſtit. Conſtat ex nobiliſſimis particulis igneis ab omni aqua, terra & aëre ita purgatis, ut ſubtilitate & claritate ſua nil in tota natura detur, quod cum ea comparari queat. Cum enim ignis naturaliter non ſolum in altum ſurgat, ſed etiam ſurgendo purior fiat,

non

non mirum eſt, cœlum altiſſimum ex ſubtiliſſimo igne conſiſtere, quia nobiliſſimæ ejus particulæ in unum tunc quaſi coëunt.

Cœlum hoc cum extremam cœli regionem occupet, *cœlum cœlorum* vocatur, 1 Reg. VIII, 27. 2 Chron. II, 6. Plerumque in Scriptura S. typus eſt ſtatus beatitudinis æternæ, Luc. X, 20. Joh. III, 13. Phil. III, 20. nec non ſymbolum divinæ majeſtatis, Act. VII, 56. Pſ. XI, 5. Matth. III, 16. quapropter etiam *thronus Dei* nuncupatur, Jeſ. LXVI, 1. Matth. V, 34.

Sidera ex ea indigeſtæ molis parte orta ſunt, quæ aquæ dicuntur ſupracœleſtes, Gen. I, 7. Fiebat hoc die creationis quarta, v. 14 - 19. Cum enim maſſa hæc aquoſa plena fuerit particulis igneis, aëreis & terrenis, Deus maſſam iſtam ita elaboravit, ut terrenas & aquoſas particulas maxima ex parte ad formandos planetas & inprimis lunam, igneas vero ad formandum ſolem ſtellasque fixas adhiberet.

Neutiquam igitur ſidera hæc jam ante conditum mundum extiterunt, uti *Thomas Burnet*, & *Whiſton* perhibent dicentes, ea in creatione tantum viſibilia facta eſſe. Neque ex eorum poſitu aliquid præſagiendum eſt, Jer. X, 2. Deut. XVIII, 10.

Solis & *lunæ* ſpeciatim Moſes mentionem fecit in hiſtoria creationis, quia diem & noctem regunt, hominibusque anſam dant, tempus in annos, menſes & dies dividendi. Nominantur *magna lumina*, quia præ aliis ſideribus tan-

quam magna in cernendi ſenſum cadunt. Num vero *ſol* centrum totius ſyſtematis mundi ſit, circa quod non modo totum cœli firmamentum, ſed etiam terra ipſa, tanquam planeta, ſe quotidie moveat, an vero inter planetas numerandus ſit, qui intra certum temporis ſpatium curſum ſuum circa globum terreſtrem abſolvunt, in Scriptura S. non determinatur. Videtur tamen hæc poſteriori ſententiæ magis patrocinari, quam priori. Interim non negandum eſt, quod ſyſtema Copernicanum noſtris temporibus Aſtronomis maxime arrideat, quia obſervationibus eorum optime reſpondet.

Cometæ ad inferiorem cœli regionem pertinent, magisque ad ſingularia cœli phænomena, quam genuina ſidera numerantur, cum nec curſus, nec natura eorum unquam ab homine docto perveſtigari potuerit. Quod vero Johannes Heynius aliique novaturientes philoſophi de iis ſomniaverunt, inter aniles jure meritoque refertur fabulas. Vulgo variorum malorum prænuncii eſſe creduntur, quod tamen, quia non modo Deus interdixit, ſigna cœli metuere, ut ethnici faciant, Jer. X, 2. ſed etiam multæ interdum calamitates terram premunt, quas nullus cometa prædixit, nec non eorum apparitio univerſalis, bellum vero aut peſtis aut aliud malum publicum, quod cometam ſequi dicitur, particulare eſt.

CAPUT

CAPUT IX.

DE

TERRA ET MARI.

T*erra* magnum illum globum indicat, qui ſub cœlo quaſi fluctuat. In ſenſu generaliori *mare* includitur, in ſpecialiori vero ab eo diſtinguitur. Conſtat autem non ex meris terrenis particulis, ſed eſt ex omnibus quatuor elementis compoſita. Tam aqueæ, quam igneæ & aëreæ particulæ admixtæ ſunt terræ, quæ ideo nunquam pura eſt, etſi particulæ terrenæ copia ſuperent aqueas, igneas & aëreas.

Oriebatur terra, cum Deus aquas in certa loca colligeret & hac ratione materiam liquidam a materia ſicca & craſſiori ſepararet. Certa indigeſtæ molis pars tunc arida reddebatur, & hæc dicebatur *terra*, aquarum vero collectio nomen *maris* accipiebat, quod quidem ſuis cancellis ita incluſum eſt, ut iſtos transgredi nequeat, Hiob. XXXVIII, 10. 11. Jer. V, 21. non tamen propterea naturam mutat, quia ſalſa ejus acedo continuusque motus ab omni putredine & fœtore iſtud conſervat.

Terra occultos ſuos habet meatus, in quibus quaſi circulantur aër, aqua & ignis, per quorum commixtionem lapidum & mineralium generatio efficitur. Aëris & ignis copia interdum per terræ motus & ignivomos montes erumpit, aqua vero abundantiam ſuam per

fontes quasi ejicit & in fluminum alveos transmittit, quibus postea transfertur in mare.

Mare superat magnitudine terram continentem. Exinde patet, cur Moses indigestam molem, ex qua omnia condita sunt, *aquas* dixerit, Gen. I, 6. 7. Erat enim massa valde aquosa. Maximam hujus aquæ partem continet mare, quod suas occultas abscessiones habet, quibus in gremium terræ penetrat & non modo in eo aquam abscedentem supplet, sed etiam ejus conciliationem cum reliqua aqua conservat.

Constat autem mare & omnis aqua culinaria non ex mera aqua, sed admixtæ sunt ei particulæ tam terrenæ, quam igneæ & aëreæ. Priores dant aquæ tam gravitatem, quam virtutem nutriendi & gramina gignendi, alteræ dant calorem & luciditatem, & ultimæ elasticitatem & quod pisces & omnia animantia aquatica in ea respirare & natare queant.

Non autem Deus terram & mare tantum condere, sed etiam vario modo exornare voluit. Pertinent autem ad *ornamenta terræ* non modo omnis generis herbæ, arbores, frutices & flores, quos Deus progerminare jussit, Gen. I, 11, 12. sed etiam montes, silvæ, valles, flumina, lacus & fontes, quæ omnia jam ante diluvium extiterunt, etsi per illud magnam passa sint mutationem.

Sunt, qui cum Thoma Burneto *montes* ex diluvio exortos esse autumant. Sed errant, cum non solum eorum mentio fiat ante diluvium, Gen.

Gen. VII, 19. 20. ſed expreſſe etiam inter res creatas numerentur, Pſ. XC, 2. Pſ. CIV, 6. 8. Prov. VIII, 25. Terra certa receptacula habere debuit, in quibus ſe colligeret aqua ad irrigandum & fœcundandum ſolum, quod ſine montibus fieri nequit.

Ad ornamenta terræ ſpectat etiam *Paradiſus*, amœniſſimus ille hortus, quem Deus intra Tigridis & Euphratis confinia ſ. in regione Meſopotamiæ, quæ hodie *Irak*, in Scriptura S. vero *Eden* vocatur, eum in finem plantavit, ut primi homines in illo jucundiſſima vita fruantur. Plura de Paradiſo alibi dicemus.

Ad *ornamenta maris* pertinent non modo inſulæ, ſyrtes & plantæ marinæ, ſed quicquid etiam gremium maris fovet, & vel ab eo ejicitur, vel ex ejus fundo petitur. Huc ſpectant omnis generis conchæ, lapides & alia vegetabilia marina.

CAPUT X.
DE
ANIMALIBUS.

Animalia ſunt ſubſtantiæ, corpore organico & virtute tam ſentiendi, quam appetendi aut averſandi, nec non ſe de loco in locum movendi, præditæ.

Virtutis hujus principium *animam* dicere solemus, a Scriptura S. vero *spiritus vitæ* aut *flatus spiritus vitæ*, Gen. VII, 15. 22. nominatur.

Habet sic spiritus analogiam cum anima humana, quæ autem multo nobiliori ortu & natura gaudet. Interim *homines* omnino inter animalia numerantur, qui autem tam intellectu, quam aliis egregiis proprietatibus cætera omnia valde superant. Agemus de iis speciatim in peculiari libro.

Dividuntur *animalia* in *rationalia* & *bruta*. Illa sunt homines, hæc vero cætera omnia. In hoc omnia animalia conveniunt, quod duplicis sexus sint, commixtione seminis sese propagent, de terra nutrimenta capiant, sensuum organa habeant & facultate sentiendi, appetendi, aversandi & movendi gaudeant.

Bruta animalia ex multis generum millibus constant. Plerumque distinguuntur in *terrestria*, *aquatica* & *volatilia*, quorum iterum diversæ dantur species.

Terrestria sunt vel *quadrupedia* vel *reptilia*, quorum illa plerumque pilosam, hæc vero levem cutem habent.

Aquatica alias vocantur pisces & *volatilia* aves, quorum illi natando, hæ vero volando de loco in locum se conferunt. Accedunt varia *insecta* tam volantia quam repentia, quæ non minus de Creatoris omnipotentia

tentia & ſapientia teſtantur, quam animalia ſummæ magnitudinis, ex quibus Elephas & Rhinoceros inter terreſtria, Cete & Crocodilus vero ſ. Behemoth & Leviathan, Hiob. XL & XLI. inter aquatica & aquila ſtruthioque inter volatilia primum locum habent.

Omnia hæc animalia gaudent quidem cognitione ſenſuali, Jeſ. I, 3. nec non phantaſia & memoria, ſed carent intellectu, Hiob. XXXIX, 17. & voluntate libera. Sunt etiam naturaliter obnoxia morti & interitui, Eccl. III, 20. Pereunt enim non modo quoad corpus, ſed etiam quoad animam, quia hæc non genuinus ſpiritus eſt, uti anima humana, ſed tantum virtus aliqua iis concreata, quæ mechanice corpus tam movet, quam animat.

Non uno die creata ſunt animalia. *Aquatilia* & *volatilia* quinta die, *terreſtria* vero ſexta originem cœperunt. Aquatilia nec non aves aquaticas Deus ex mari, Gen. I, 20. cæteras vero aves ex terra, Gen. II, 19. produxit.

Ex terra etiam ſexta die Deus omnia pecora, jumenta, feras beſtias, ſerpentes & quicquid vel quatuor pedibus incedit, vel humi ſerpit, condidit, Gen. I, 24.



SECTIO



SECTIO II.

DE PROVIDENTIA.

CAPUT I.

DE PROVIDENTIA IN GENERE.

Providentia a *providendo* nomen habet. Denotat igitur hæc vox prævisionem s. cognitionem futurorum, quatenus cum cura aliqua salutis conjuncta est.

Providere hinc idem significat ac prospicere. Est igitur non merus actus intellectus, sed simul actus voluntatis.

DEO tribuitur, quatenus non modo omnia prævidet, sed omnium quoque rerum curam habet. Denotat itaque actum illum, quo Deus creaturis prospicit & earum saluti consulit. In Scriptura S. non occurrit vox aliqua, quæ actum hanc exprimat. Plerumque *videre* veteribus Hebræis idem fuit ac providere, Gen. XXII, 8. 14.

In libro Sapientiæ c. XIV, 3. vox πρόνοια legitur, quæ significatum vocis *providentiæ* optime

me exprimit. Interim non desunt *loca*, quæ satis superque de divina agunt providentia. Ex V. T. præcipua sunt Ps. XXXVI, 7. Ps. CIV, 5-30. Ps. CXXXVI, 4-25. Ps. CXLVII, 8. 9. Ps. CXIX, 1-16. Hiob. X, 9-12. Prov. XXI, 1. 2. & ex N. T. sequentia: Matth. VI, 25-32. c. X, 29-31. Act. XIV, 16. 17. c. XVII, 28. Rom. VIII, 28. c. XI, 36. Col. I, 17. Hebr. I, 3.

Fundamentum providentiæ divinæ partim in intellectu, partim in voluntate Dei locum habet. In *intellectu* scientia & sapientia, in *voluntate* vero sanctissima justissimaque ejus ad promovendam sui ipsius gloriam & hominum salutem consilia (quæ Eph. I, 11. βυλὴ τῦ θελήματος αὐτῦ dicuntur) id sunt, quo providentia fundatur. Accedunt Dei *bonitas* & *potentia*, ex quibus ejusmodi divinum regimen oritur, quo altissimus Dominus non modo statum creaturarum accuratissime novit, sed etiam optima media ad consequendum fines suos sanctissimos tam eligere quam adhibere potest.

Competit autem providentia in totam *SS. Trinitatem*. Sicut enim omnes tres Deitatis personæ in opere creationis convenerunt, ita etiam omnes in providentia circa creaturas, quæ quasi creatio continuata est, concurrunt. In specie adscribitur ea *Patri*, Matth. VI, 26, 32. *Filio*, Hebr. I, 3.. Col. I, 17. & *Spiritui S.* 1 Cor. XII,

XII, 11. Pf. CXXXIX, 7. item *Patri & Filio* conjunctim Joh. V, 17.

Nil aliud autem Deum ad providentiam fuam impellit, quam fumma ejus *bonitas* & *amor paternus*, Luc. XI, 13. Sap. XI, 25. David propterea multa reiteratione celebrat divinam bonitatem, quando in laudandis operibus ejus occupatus eft, Pf. CXXXVI.

Tres dantur providentiæ divinæ *actus*, πρόγνωσις, πρόθεσις & διοίκησις. Secundum πρόγνωσιν Deus omnia prævidet, Matth. VI, 32. fecundum πρόθεσιν omnia ad fuum finem decernit, Act. II, 23. & fecundum διοίκησιν decreta exequitur. Paulus ad omnes tres providentiæ actus alludit Eph. I, 11.

In fenfu ftrictiori fola διοίκησις id eft, quod proprie providentiam dicimus, quia πρόγνωσις ad Dei omnifcientiam & πρόθεσις ad ejus voluntatem pertinet.

Sunt autem *actus* divinæ providentiæ proprie *non divifi*, uti in hominum providentia, ubi actus actum fequitur, fed fiunt omnes una & quidem perfectiffime fine ulla hæfitantia, nec tamen fortuito.

Refpectu objecti *providentia divina* dividitur in *generalem*, *fpecialem* & *fpecialiffimam*, refpectu autem modi in *phyficam* & *moralem*.

Solet etiam in *ordinariam* & *extraordinariam* diftingui. Prior circa communem naturæ ordinem & curfum, pofterior vero circa miracula verfatur.

CAPUT

CAPUT II.

DE

PROVIDENTIA DEI GENERALI.

Providentiæ generalis objectum sunt omnes creaturæ. Vult enim Deus non modo hujus universi Autor & Creator, sed etiam ejus conservator esse, Act. XVII, 25. Col. I, 17. Rom. XI, 36. Hebr. I, 3.

Non modo *homines*, Act. XVII, 26-28. & *angeli*, Ps. CIV, 4. Matth. XVIII, 20. ad objectum providentiæ generalis pertinent, sed etiam 1) *omnia inanimata*, e. g. *nubes*, Ps. CXXXV, 7. Hiob. XXXVII, 12. Ps. CXLVII, 8. Jes. V, 6. *pluvia*, Deut. V, 17. Hiob. XXXVI, 27. 28. Ps. LXVIII, 10. Act. XIV, 17. *ventus*, Ps. CXXXV, 7. Jer. LI, 16. Amos. IV, 13. Hiob. XXVIII, 25. Sir. XLIII, 18. *aqua*, Hiob. XXVI, 10. Psalm. XXXIII, 7. *ignis*, Ps. XI, 7. Ps. CXLVIII, 8. Jer. XVII, 27. Sir. VII, 19. *tonitru*, Ps. XVIII, 14. Jes. XXIX, 6. Hiob. XXXVII, 2-5. *fulgur*, Ps. XCVII, 4. Jer. X, 13. Hiob. XXVIII, 26. c. XXX, 30. 32. c. XXXVIII, 25. *grando*, Exod. IX, 23. Ps. CXLVIII, 8. Hagg. II, 18. Sir. XLIII, 16. *nix*, Ps. CXLVII, 16. Hiob. VI, 16. Sir. XLIII, 19. *tempestas*, Ps. LXXXIII, 16. Jes. XXIX, 6. *sol & astra*, Ps. CIV, 19. Ps. CXLVII, 4. Ps. XIX, 5-7. Matth. V, 45.

Pertinent ad objectum providentiæ generalis 2) *omnia vegetabilia* & quicquid e terra progerminat, e. g. gramina, frutices, arbores, herbæ, plan-

plantæ, olera, frumenta, legumina & ejus generis alia, Pſ. CIV, 13-16. Matth. VI, 28. 30. 1 Cor. XV, 30.

Pertinent huc 3) *omnia animalia* cujuscunque generis & quidem non modo reſpectu totius generis, ſed etiam reſpectu ſingulorum individuorum Pſ. CIV, 27-30. Pſ. CXLV, 15. 16. Pſ. L, 10. Sir. XXXIX, 36. imo *omnes piſces* in mari & aquis, Luc. V, 6. Jon. II, 1. Pſ. LXXIV, 13. 14. Pſ. CIV, 25. 26. *omnes aves* & *volucres* ab aquila usque ad paſſerem & corvum, Matth. VI, 26. Hiob. XXXIX, 27-30. Pſ. CXLVII, 9. Matth. X, 29. Luc. XII, 6. *omnes belluæ* & *feræ*, Hiob. XXXIX, 1-12. Pſ. CIV, 18. 21. 22. *omnia reptilia* & *inſecta, vermes* & *ſerpentes*, Hab. I, 14. Amos. IX, 3. Pſ. CXLVIII, 10.

Pertinent denique ad objectum providentiæ generalis 4) *omnia minutiſſima & abjectiſſima*, e. g. *crinis*, Matth. X, 30.

Non enim indecens eſt Deo, res curare abjectas, quia non minus de ipſius ſapientia & potentia eæ teſtantur, quam res glorioſiſſimæ. Quod homini abjectum eſt, non propterea etiam a Deo abjicitur & ſpernitur. Uti nullum artificem ſui operis pudet, ſic etiam non Deum ſuarum creaturarum.

Errat igitur Plinius, quando *in Hiſt. Nat. L. I. c. 7.* ſcribit, *divinam majeſtatem pollui, ſi res abjectas curet;* Hieronymus vero *in Comment. in Habac. cap.* I. non ſine blasphematione ſcripſit: *fatuam Dei adulationem eſſe, qua Majeſtas ejus ad hoc*

hoc deducatur, ut ſciat per momenta ſingula, quot culices naſcantur, quotve moriantur, quota muſcarum ſit multitudo, quot piſces natent in aquis.

Quæritur nunc: *qua ratione Deus providentiam ſuam generalem in creaturas exerceat?* Fit conſervando, augendo, minuendo, multiplicando, fœcundando, protegendo, auxiliando, dirigendo, cibando, potando, bonam tempeſtatem largiendo & alia ratione, qua ſe tanquam ſummum mundi & olympi moderatorem præſtat. Omnia hæc ſunt effectus divinæ conſervationis & gubernationis. Antequam vero de utraque ſingulatim agimus, de providentia ſpeciali & ſpecialiſſima aliqua præmittemus.

CAPUT III.

DE PROVIDENTIA DEI SPECIALI ET SPECIALISSIMA.

O*bjectum providentiæ ſpecialis* ſunt *homines*, nobiliſſimum creaturarum terreſtrium genus, circa quos occupata eſt Dei providentia jam inde a conceptione usque ad mortem. *In Deo* enim *vivimus, movemur & ſumus*, Act. XVII, 28.

Theologi plerumque *tres* faciunt divinæ circa homines providentiæ *periodos*, dum conſiderant eorum ingreſſum in mundum, eorum progreſſum in mundo & eorum egreſſum ex mundo.

Respectu *ingressus in mundum* versatur providentia divina 1) circa hominis conceptionem & formationem, Ps. CXXXIX, 13-16. Hiob. X, 8-11. Jer. I, 5. & 2) circa ejus nativitatem, ut nascamur non modo feliciter, Ps. XXII, 10. Ps. LXXI, 6. sed etiam certo & opportuno tempore, uti Moses, Act. VII, 20. & Christus, Gal. IV, 4. Huc spectat etiam 3) quod mares & fœminæ in pari numero in lucem edantur. Novit quoque Deus quemlibet hominem jam ante ejus conceptionem & nativitatem, Jer. I, 5. Ps. CXXXIX, 16.

Respectu *progressus in mundo* versatur providentia divina 1) circa nutritionem, Matth. VI, 25. 31. 32. 2) circa conservationem, Hiob. X, 12. Act. XVII, 25. 3) circa amictum, Matth. VI, 25. 30. 4) circa conditionem & statum vitæ, Jer. I, 5. 1 Sam. XVI, 1. 7. 12. 1 Cor. VII, 17. 20. 5) circa conjugium, Gen. XXIV, 50. Prov. XIX, 14. Tob. III, 20. 21. c. VII, 12-14. 6) circa consilia, Ps. XX, 5. Prov. XVI, 3. Jes. XIX, 3. Act. V, 38. 7) circa varios vitæ ductus, Ps. IV, 4. Ps. XLVIII, 15. Ps. LXXIII, 24. Jes. XLVIII, 17. Ps. XXVII, 11. Ps. XXXVII, 5. 8) circa actiones, Ps. CXXXIX, 5. Jer. X, 23. 9) circa fortunæ casus, Amos. III, 6. Jes. XXXI, 2. 10) circa pericula, Ps. XCI, 3-7. 10-15. Jes. XLI, 10. c. XLIII, 2. 11) circa inopiam & egestatem, Hebr. XIII, 5. Ps. XXXVII, 25. Ps. XXXIII, 19. 1 Reg. XVII, 6. Ps. CXXXII, 15. Jes. XXX, 20. Marc. VIII, 17. Ps. CXLVI, 7.

1 Reg.

1 Reg. XVII, 14 - 16. 12) circa senectutem, Ps. LXXI, 9. 18. Jes. XLVI, 4. & 13) circa morbos, Exod. XV, 26. c. XXIII, 25. Ps. XLI, 4. Jes. XXXVIII, 5.

Respectu *egressus e mundo* versatur providentia divina tam circa mortis genus, 1 Reg. XXII, 34. coll. v. 17. c. XIII, 22. 24. 2 Reg. IX, 33. 36. quam circa mortis tempus, quod plerumque vocatur terminus vitæ, de quo infra pluribus agemus. In genere notandum est, quod nemo casu fortuito & sine voluntate Dei moriatur, Ps. XC, 3. Hiob. XIV, 5. c. XXXVIII, 2. Matth. X, 28 - 30.

Providentia Dei specialissima differt a speciali non nisi gradu, & versatur circa *fideles*, in quos oculus Domini inprimis intentus esse dicitur, Ps. XXXIII, 18. Non modo singuli fideles specialissima hac providentia gaudent, sed etiam totus eorum cœtus, qui appellatur *Ecclesia*, Eph. V, 29. & *Dei populus* & *peculium*, 1 Petr. II, 9. Caput ejus est *Christus*, qui specialissimæ quoque Dei providentiæ objectum fuit in statu suæ exinanitionis, Act. II, 23. Fuit enim lapis, in quem septem directi fuerunt oculi, Zach. III, 9.

CAPUT IV.

DE CONSERVATIONE DEI.

Deus, qui autor est creaturarum, earum quoque est conservator. Nomen *patris* pro-

 pterea

pterea gerit, Matth. VI, 32. Eph. III, 15. Ut vero patris est, non modo gignendo vitam dare, sed etiam geniti vitæ prospicere, sic etiam Deus non potest non paternum suum amorem, quo omnes amplectitur creaturas, Sap. XI, 25. prospicientia sua testificari. Confitemur hoc publice in confessione nostra fidei, quando in *Catechismo minori* ita dicimus: *Credo, quod Deus creaverit me una cum omnibus creaturis; quod corpus & animam, oculos, aures & omnia membra, rationem & omnes sensus mihi dederit & adhuc sustentet: ad hæc, quod vestes & calceos, cibum ac potum, domum, uxorem, liberos, agros, jumenta & omnia bona cum omnibus vitæ necessariis copiose & quotidie largiatur, me contra omnia pericula protegat & ab omnibus malis liberet & custodiat.*

Omnia hæc beneficia effectus sunt ejus *conservationis* f. *sustentationis*, quæ actio est, qua efficit Deus, ut quælibet creatura tamdiu duret & existat, quam ei placet. Respicit igitur illa non modo ad singularum creaturarum existentiam, sed etiam ad earum essentiam & vires operandi. Cessante hac sustentatione sequitur earum destructio. Involvit itaque *divina conservatio* indesinentem Dei influxum in creaturas ad largiendum singulis, quæ iis conducunt.

Optime hoc Paulus expressit phrasi, Φέρειν τὰ πάντα, Hebr. I, 3. Portat quasi Deus & gestat creaturas, ne collabantur, aut intereant, aut in nihilum redigantur. Convenit cum hac

phrasi

phrasi altera, quæ Col. I, 17. occurrit, ubi apostolus de Christo dicit: πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, h. e. *omnia in ipso consistunt*. Idem est ac dixisset, nos in eo vivere, moveri & esse, Act. XVII, 28. aut ipsum omnia in omnibus operari, 1 Cor. XII, 6. c. XV, 28.

Est autem Dei *conservatio* vel *mediata* vel *immediata*. *Immediata* est, qua Deus per se ipsum creaturis prospicit. Sic conservat spiritus, 1 Tim. V, 21. Jud. v. 6. sidera cœli, Hiob. IX, 7. 8. c. XXXVIII, 33. Ps. XIX, 5. 6. 7. Ps. CXLVII, 4. prima elementa & totam naturam in suo ordine & cursu, Gen. IX, 11 sq. Ps. CXIX, 90. 91. Hiob. XXXVIII, 22-38. nec non hunc vel illum hominem, e. g. Mosem, Eliam, Danielem &c. *Mediata* est, quæ fit per certa media, quæ plerumque *causæ secundæ* dicuntur. Huc spectat propagatio per semen, nutritio per cibum & potum, & progerminatio frugum per bonam tempestatem & semina.

Conservatio Dei etiam in *ordinariam* & *extraordinariam* dispesci solet. Illa fit per cursum naturæ & causas secundas, hæc vero per miracula s. extraordinarios omnipotentiæ Dei effectus.

Est itaque *mundus* neutiquam machina aliqua, quæ per se subsistit, nec quasi horologium, cujus motus a structura sua ita dependet, ut nullius indigeat adjumento. Errant igitur, qui cum Naturalistis perhibent, omnia in mundo fieri casu & per ordinem, naturæ impressum,

aut, qui cum Paracelsistis *archeum mundi* statuunt, qui quasi anima sit totius universi, a qua omnes mutationes & vicissitudines in mundo veniant.

Datur quidem generale aliquod principium vitalitatis in natura, quod nonnulli vim *plasticam* & *motricem* vocant, sed eadem non nisi cum influxu divino operationes suas exercet.

Indidit etiam Deus naturæ certas vires, secundum ejus voluntatem sese movendi, quæ quasi istius leges sunt, quas transgredi non vult in suo cursu: at non tamen Deus propterea otiosus spectator terrestrium rerum dicendus est, Joh. V, 17.

CAPUT V.

DE GUBERNATIONE DEI ET EJUS CONCURSU AD CAUSAS SECUNDAS.

Gubernatio Dei est ille divinæ providentiæ actus, quo omnium creaturarum motus & actiones ex libero arbitrio & sapientissimo consilio regit & gubernat.

Largitus est quidem Deus omnibus creaturis certas vires & virtutes, se ipsas movendi, deditque in specie hominibus liberum arbitrium faciendi quæcunque velint: sed ubique simul influxu suo iis ita præsto est, ut nec vires, nec liberum arbitrium sine voluntate ejus in actum veniant. Vocatur hoc a Theologis

logis admodum barbare *concursus ad causas secundas.*

Causæ secundæ sunt quasi causæ intermediæ, quibus Deus ad consequendos fines suos utitur. Ad hunc usum ipsi omnes vires & virtutes creaturarum serviunt. Est igitur *concursus Dei ad causas secundas* nil aliud, quam universalis Dei gubernatio totius mundi & singularum creaturarum mediantibus earum viribus & virtutibus, naturaliter ingenitis.

Duplex est *concursus Dei* ad causas secundas, *physicus* & *moralis.*

Concursus physicus versatur circa creaturarum motus & *moralis* circa earum actiones. Ille magis ad creaturarum conservationem, hic vero ad earum gubernationem spectat. Sicut vero omnis actio liberum arbitrium supponit, ita concursus Dei moralis tantum apud homines locum habet.

Gubernatio Dei aut sic dictus *concursus* versatur tam circa causas, quam circa earum effectus.

Causæ sunt vel *naturales*, vel *fortuitæ*, vel *morales.* Ad omnes Deus concurrit. Concurrit ad causas naturales, Deut. XI, 14. 15. Jer. V, 24. 2 Chron. VII, 13. c. XX, 37. Amos. IV, 7. 9 - 11. Concurrit ad causas fortuitas, Exod. XXI, 13. Prov. XVI, 33. Amos. III, 6. Concurrit denique ad causas morales, Prov. XXI, 1. c. XVI, 1. 9. c. XIX, 21. Jer. X, 23.

Malebranchius, qui auctor systematis causarum occasionalium est, concursum Dei ultra modum extendit docendo, Deum per membra & organa corporis omnia efficere, quæ anima facere velit. Daret quasi homo cogitando Deo occasionem, omnia in eo faciendi.

Concursus Dei ad effectus fit per quatuor actus, nempe permissionem, impeditionem, directionem & determinationem.

Permissio est actus gubernationis divinæ, quo Deus malas actiones fieri permittit. Objectum igitur hujus permissionis sunt malæ actiones, quas Deus permittit, non quidem moraliter, sed physice: non per omissam prohibitionem, sed per omissam impeditionem. Fit ex occultis, iisque sapientissimis, caussis, & quidem tam respectu piorum, ut exempla Davidis, Ps. CXIX, 67. 71. & Petri, Luc. XXII, 32. docent, quam impiorum, e. g. Pharaonis, Exod. IV, 21. c. VII, 3. c. X, 1. 2. c. XIV, 4. cujus memorabilis interitus gloriam Dei eximie promovit. Permittit autem Deus malas actiones, 1) ex justitia, Rom. I, 24 sq. Psalm. LXXXI, 12. 13. 2) ex sapientia, Gen. L, 20. 1 Cor. I, 23. 27 sq. & 3) ex studio correctionis, Jer. XXXI, 19. 2 Cor. XII, 7 sq.

Ad quæstionem: *num Deus ad malam actionem concurrat?* respondetur distinguendo inter actio-

nis

nis motum physicum & ejus moralitatem, quam multi Theologi ἀταξίαν nominant. Ad priorem, non vero ad posteriorem, quæ ab hominis determinatione dependet, Deus concurrit. Alii distinguunt etiam inter τὸ materiale & τὸ formale malæ actionis. Illud est mala actio, quatenus actio est, hoc vero determinatio actionis, quatenus mala est Ad prius, non vero ad posterius Deus concurrit.

Impeditio est alter actus divinæ gubernationis, quo Deus non fieri permittit id, quod sine læsione sui nominis permittere nequit. Impedit autem tam actus irrationalium creaturarum, Dan. VI, 22. c. III, 27. quam actiones rationalium & quidem tam bonas, Act. XVI, 6. 2 Sam. VII, 5. quam malas, 1 Sam. XXIII, 27. 28. c. XXV, 32. Fit hæc impeditio vel in ordine naturæ & gratiæ, vel extraordinarie, ut exempla Pharaonis, Gen. XII, 17. Bileami, Num. XXII. & Sauli Act. IX. probant. Distinguitur autem impeditio divina in moralem & physicam, quæ ultima plerumque violenta est.

Directio tertius est actus gubernationis Dei, quo aliquid ad certum finem ab eo intentum dirigit. Dirigit autem non modo bonas actiones, Matth. II, 1 sq. sed etiam malas, Gen. L, 20. Act. IV, 28. nec non consilia & cogitatio-

nes, Prov. XXI, 1. Pſ. XXXIII, 15. caſus fortuitos, Jud. XVI, 25. 30. & morbos, Joh. XI, 4. Omnia iis, qui Deum amant, in bonum vergunt, aut, ut Paulus hoc exprimit, πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν, Rom. VIII, 28.

Determinatio denique eſt quartus gubernationis divinæ actus, quo Deus id, quod creaturis accidit, ita determinat, ut voluntatis ſuæ conſtitutum terminum non ſuperet. Fit hoc tam reſpectu temporis, quam modi. Exempla ſunt Jobus c. I & II. & populus Iſrael, peſte percuſſus, 1 Chron. XXI, 27. Huc etiam ſpectant divinæ promiſſiones de minuendis pœnis & avertendis malis.

CAPUT VI.

DE

FORTUNA ET FATO.

F*ortunam* in genere dicimus nexum cauſarum incognitarum, qui eventus rerum nobis reddit inexpectatos.

Inexpectatus vero rerum eventus, quatenus nobis vel ex voto vel non ex voto accidit, reſpectu hominis, cui accidit, *fortuna* in ſpecie vocatur.

Si homini aliquid ex voto & ſententia accidit, *fortuna ſecunda* ſ. *proſpera* dicitur, & ſi ei non

non ex voto & ſententia accidit, *fortuna adverſa* nuncupatur.

Homines quotidie fortunæ ludibrio expoſiti ſunt. Res enim plerumque iis præter ſpem & opinionem accidunt. Dum enim vel rerum cauſas prorſus ignorant, vel falſos illis tribuunt effectus, res omnino multo aliter iis eveniunt, quam cogitarunt.

Ethnici *fortunam* inter Deas retulerunt & nudam globo inſiſtentem pinxerunt, ut ſignificent, eam non modo magnam inter homines habere poteſtatem, ſed etiam valde eſſe mutabilem. Chriſtiani utrumque experiuntur. Poteſtatem & mutabilitatem fortunæ per totam vitam conqueruntur; & quod maximum eſt, plerumque animadvertunt, fortunam tam injuſtam eſſe, ut in regimine ſuo nullorum meritorum rationem habeat.

Sed quæritur: *a quonam principio tanta fortunæ volubilitas & cæcitas dependeat?*

Ethnici plerumque *fato* adſcripſerunt inopinatos fortunæ caſus, cui inexſuperabilem & ineluctabilem tribuerunt vim. Fecerunt hoc inprimis Stoici Philoſophi, a quibus etiam nomen *fati ſtoici* ortum eſt. Intelligebant per iſtud fatalem illum cauſarum naturalium nexum, ſecundum quem credebant, omnia neceſſario, & quidem in ſuo ordine, ſtatoque tempore, fieri; & cum homines rariſſime id, quod fit, prævideant, per cœcam quaſi ſortem id ipſis eveniſſe videbatur.

At

At ſic tollitur omnis libertas agendi, Deoque non opus eſt, qui cuncta moderatur. Jure meritoque hinc rejicimus ejusmodi fatum, *ipſis* ethnicis, ſaniori mente præditis, exoſum, aliudque non ſtatuimus, quam quod ipſa Dei providentia concernit. Huic ſoli tribuimus ſortem & fata, quibus trahimur retrahimurque in vita noſtra.

Omnis fortuna noſtra tam proſpera, quam adverſa a Deo ejusque providentia dependet. Datur omnino quidem *fortuna*, ſeu ejusmodi cauſarum incognitarum nexus, qui rerum eventus nobis reddit inopinatos, Eccl. IX, 11. ſed verſatur ſub gubernatione Dei, Gen. XXIV, 50. c. XXXIX, 3. Deut. XXX, 9. Amos. III, 6. Prov. XVI, 33. Sir. XI, 14. Fortuna itaque non apud Deum, ſed tantum apud homines locum habet. Hi ſoli ſunt, quibus aliquid forte fortuna fieri videtur, quod tamen non niſi ſecundum ſapientem Dei providentiam evenit.

Homo quidem *ſuæ* ipſius *fortunæ faber* dicitur, ſed non in tali ſenſu, ut quaſi cauſarum nexum in ſua poteſtate habeat & rerum eventus determinare queat, ſed quatenus Deum per actiones ſuas commovet, ut rerum eventus vel ad ejus punitionem vel remunerationem dirigat, Hoſ. XIII, 9. Interdum etiam Deus cauſarum curſum in eo ordine progredi jubet, in quem homo ipſe res ſuas perverſo modo deducit.

CAPUT

CAPUT VII.

DE
CONCURSU DEI MORALI.

Operæ pretium eſt, aliquid ſpeciatim *de concurſu morali* addere, cum ſupra tantum de Dei concurſu phyſico egerimus.

Dicitur *providentia moralis*, quia non modo circa actiones hominum *morales*, ſed etiam *moraliter* circa easdem verſatur.

Actiones hominum vocantur *morales* reſpectu legum, ad quarum normam fieri debent. Si cum legibus conveniunt, *bonæ*, ſi vero ab is diſcrepant, *malæ* nominantur. Competit autem in omnem actionem certa moralitas, cujus reſpectu vel bona vel mala eſt. Sicuti vero leges non unius ejusdemque conditionis ſunt, quia aliæ ad civilem, aliæ ad ſpiritualem vitam nos ducunt, ita etiam actiones hominum tam bonæ quam malæ vel *civiliter* vel *ſpiritualiter* morales ſunt. Circa utrasque verſatur providentia moralis.

Modus vero, quo circa iſtas verſatur ea, itidem *moralis* eſt. Verſatur enim *moraliter* h. e. ita, ut hominum voluntas ad hoc vel illud commoveatur. Libertati hominum tamen non vim affert talis operatio divina. Utitur enim Deus ejusmodi rationibus, quæ non coacte, ſed libere voluntatem humanam flectere poſſunt.

Non quidem Deus providentiam hanc moralem ſemper *immediate* exercet per operatio-

nes

nes Spiritus S. internas, Rom. VIII, 14. Gal. V, 18. Pſ. CXLIII, 11. Luc. II, 27. ſed etiam & præcipue *mediate*, partim per *angelos*, Matth. II, 13. 19. Act. XXVII, 23. partim per *homines*, & quidem per miniſtros eccleſiæ, magiſtratus, patresfamilias & alias perſonas. Quando id, quod per homines in aliis moraliter efficitur, ad res ſpiritualiter bonas bonas pertinet, Spiritus S. cum ſua cooperatione ſemper præſto eſt.

Providentia moralis præſtatur per hortationes, ſuaſiones, obteſtationes, promiſſiones, comminationes, approbationes, remunerationes, redargutiones & alias ejusmodi actiones divinas, de quibus in Scriptura S. multa occurrunt exempla, quæ nos movere poſſunt, a malis actionibus abſtinere, bonis vero inſiſtere.

CAPUT VIII.

DE

TERMINO VITÆ.

Vitam humanam *terminum* habere, ex Hiob. XIV, 5. Pſ. XXXIX, 5. Pſ. CXXXIX, 16. Act. XVII, 26. & Deut. XXXI, 14. ſatis ſuperque patet.

Deus hujus termini quidem auctor eſt, at non abſolute, ſed certo tantum reſpectu.

Hominem mors nunquam invaſiſſet, niſi lapſus eſſet. Orto autem peccato, orta etiam eſt mors, omnium hominum vitam abrumpens.

Uti

Uti vero Deus per essentiam suam non potest non omnia, quæ in tempore fiunt, ab æterno prævidere: sic etiam prævidit & lapsum & mortem hominum, antequam eos crearet. Et hæc prævisio divina finem vitæ nostræ ita determinat, ut coram Deo omnino pro termino fixo habendus sit.

Homo ordinarie non moritur, nisi id, quod naturam & constitutionem corporis ejus conservat, cessat. Dicitur istud plerumque humidum radicale & calidum nativum. Utroque hoc cessante turbatur κρᾶσις corporis, viresque ejus sensim prosternuntur, donec tandem homo extinguitur. Ps. XC, 10. Interim cum Deus non modo exitum cujusvis hominis accurate præsciat, sed etiam ad causas secundas, quibus hominis valetudo sustentatur, concurrat, Deus omnino dici potest, ejusmodi hominis terminum vitæ præfixisse.

Est itaque *terminus vitæ* nec *fatalis* nec *fortuitus* dicendus.

Fatalis omnino foret, si absolute & immutabiliter ad certum mortis genus & tempus homo destinatus sit. Verum si mors tali modo nos eriperet e vita, nemo manus carnificis nec alium funestum vitæ exitum, cui obnoxius fuit, evitare posset. Interim non modo *Muhamedani*, sed etiam *Calviniani* terminum vitæ omnino fatalem & immutabilem esse perhibent. Sed hæc doctrina homines aut tristes & conturbatos, aut audaces & temerarios reddit.

Quod

Quod Deus prævidit, certiſſime quidem evenit, at non propterea id evenit, quia prævidit, ſed Deus prævidit, quia evenit. Si enim aliter eveniret, quam revera evenit, Deus etiam aliter id prævidiſſet.

Facile probari poteſt ex ſacris literis, terminum vitæ neutiquam fatalem eſſe, ſed ab ordine naturæ ex certis cauſis dependere, ſi exempla divinaque teſtimonia de mutato vitæ termino conſideramus.


Mutat Deus & mediate & immediate terminum vitæ. *Mediate* fit non modo ab homine ipſo vel craſſa vel ſubtili ratione, ſed etiam ab aliis hominibus. Utrumque Deus permittit. *Immediate* vero fit partim prolongando, partim abbreviando vitam.

Prolongat Deus interdum vitam hominum tam ex promiſſione generali, Exod. XX, 12. Prov. III, 1. 2. Deut. XXX, 20. 1 Reg. III, 14. quam ex cauſis ſpecialioribus, ut exempla Hiskiæ, Jeſ. XXXVIII, 5. Pauli, 2 Cor. I, 8-11. Epaphroditi, Phil. II, 27. & eorum, qui ex morte in vitam reducti ſunt, teſtantur.

Abbreviat etiam terminum vitæ, dum non modo *piorum* vitam ex ſingulari providentia decurtat, Sap. IV, 10-14. Jeſ. LVII, 1. 2. 1 Reg. XIV, 13. 2 Chron. XXXIV, 28. ſed etiam impios præmatura morte aufert, quod partim ordinarie per gladium magiſtratus fit, partim extraordinarie per varia judicia & morbos, Pſ. LV, 24. Pſ. CIX, 8. Prov. X, 27.

Ex-

Exinde patet, quod terminus vitæ neutiquam *fortuitus* vocari debeat, ut ab Epicureis, Naturalistis & Atheis fit, Sap. II, 2. Nil enim fit in mundo fortuito. Datur quidem fortuna, sed quid de ea judicandum sit, jam supra ostendimus.



LIBER IV.

DE ANGELIS.

Cum *angelorum* detur duplex status, doctrina de iis optime dividi potest in *tres Sectiones*, quarum *prima* de angelis in genere, *altera* de angelis bonis & *tertia* de angelis malis s. dæmonibus agit.

SECTIO I.

DE ANGELIS IN GENERE.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA ANGELORUM.

Existentia *angelorum* s. *spirituum* haud evidenter ex lumine naturæ patet. Istud enim nil aliud nos docet, quam quod sensus tangit

& cujus natura non intellectum nostrum transcendit. Interim cum existentia angelorum non pugnet cum lumine naturæ, sat probabilibus rationibus facile eo adigi potest homo, ut eos credat.

Qui *occultas* in mundo *operationes* non negat, nec negare potest occultas causas. Has vero sine subjecto inhæsionis cogitare, absurdum est. Exinde liquet, quod dentur substantiæ potentes, quibus operationes occultæ tribuendæ sunt.

Tales substantiæ vero non possunt esse materiales, quia operationes occultæ invisibiles sunt. Si non sunt materiales, nec sunt corporales. Quod autem nec materiale nec corporale est, id est spirituale. Exinde sequitur, dari *Spiritus* sive substantias incorporeas, quibus operationes in mundo occultæ adscribendæ sunt. Talis spiritus est ipse *Deus* & quidem in sensu excellentissimo, quippe qui spiritus independens est, omnia in mundo moderans.

Huic autem cum non omnia, quæ in mundo occulte fiunt, adscribere queamus, sequitur, dari etiam Spiritus, a quibus operationes occultæ, quæ cum voluntate Dei pugnant, proficiscuntur. Hoc posito, probabile est, existere etiam alios Spiritus, a quibus operationes occultæ, quæ non cum voluntate Dei pugnant, veniunt.

Vulgo sub nomine *mundi intelligibilis* comprehenditur, quicquid ad spirituum regnum & eorum operationes spectat. Opponitur *mundo*

sensi-

sensibili, sub quo creaturæ sensibiles, quæ vel sentiunt, vel sentiri possunt, intelliguntur. *Spiritus* mundum intelligibilem constituunt, quia intelligentia præcipua eorum facultas & virtus est.

Qui sacris literis imbutus est, existentiam spirituum & angelorum non in dubium vocabit. Occurrunt enim in Scriptura S. non modo multa de iis eorumque operationibus & apparitionibus divina testimonia, sed etiam fide dignissima exempla. Provocari quoque posset ad experientiam eorum, qui de spiritibus & spectris multa vidisse se jactant, si non ejusmodi visus & apparitiones plerumque effectus forent perterriti animi & deceptæ imaginationis.

Est quidem *doctrina de angelis* non ad primarios fidei articulos referenda, spirituum tamen existentia a nemine, nisi qui Naturalismi argui vult, negari potest, Act. XXIII, 8.

Præcipua Scripturæ S. loca, ex quibus existentia Spirituum s. angelorum probari potest, sunt Gen. XXXII, 1. Ps. XXXIV, 8. Ps. XCI, 11. Ps. CIII, 20. Ps. CIV, 4. Matth. IV, 11. c. XVIII, 20. c. XXII, 30. c. XXV, 31. c. XXVI, 53. Luc. XI, 25. c. XVI, 22. c. XXIV, 37. 39. Act. XXIII, 8. Gal. I, 8. Eph. VI, 12. 2 Petr. II, 4. Hebr. I, 4-7. Jud. v. 6.

Existentiam angelorum olim prorsus negarunt *Sadducæi*, Act. XXIII, 8. nec non *Samaritani*, qui per eos mandata & potentiam Dei in-

 tellexe-

tellexerunt. Negant eos etiam hodierno tempore omnes *Naturalistæ* & *Athei*.

Malorum spirituum operationes negavit BALTHASAR BECKERUS, spectra vero & magiam diabolicam CHRISTIANUS THOMASIUS.

DAVID JORIS cum suis asseclis per *angelos* cogitationes hominum & per *diabolum* corruptam hominum voluntatem intellexit.

Spiritus intermedii, qui quasi bruta in mundo intelligibili esse dicuntur, in Scriptura S. nullum fundamentum habent. Existunt tantum in cerebro eorum, qui decepta phantasia laborant, & studium novaturiendi amant. Operationes, quas iis tribuunt, diabolicam malitiam satis produnt.

CAPUT II.

DE ESSENTIA ET NATURA ANGELORUM.

Angeli vocantur *spiritus*, Ps. CIV, 4. Hebr. I, 7. 14. Eph. VI, 12. Nomen hoc eorum naturam & essentiam satis indicat.

Spiritus a *spirando* nominatur in omnibus linguis. In Hebraica vox רוּחַ a רָוַח, & in Græca vox πνεῦμα a πνεῖν descendit. Utrumque etymon idem ac *flare* & *spirare* significat. Proprie de vento & halitu usurpatur. Facile exinde cognoscitur, per *spiritum*, ab Hebræis רוּחַ

&a

& a Græcis πνεῦμα dictum, non aliam substantiam intelligi posse, quam corpore & figura destitutam & invisibilitate gaudentem.

Naturam talis substantiæ non quidem expiscari possumus, quia in hac vita nobis semper occulta manet. Sufficit tamen, quod opponatur substantiæ corporeæ. Sunt quidam, qui angelis *subtile* aliquod *corpus* tribuunt, ut veteres Platonici & certi Patres Ecclesiæ, nec non nostris temporibus Jo. CHRISTIANUS LOERS, Theologus Duisburgensis, & CAROLUS FRID. GOEDE, aliique ex eruditorum cohorte fecerunt. Sed cum Scriptura S. angelos nobis tanquam substantias delineet, quæ omnis materiæ expertes sunt, missam omnino sententiam hanc facimus.

Datur quidem materia tam subtilis, ut non in cernendi sensum cadat, e. g. aër. Attamen facile aliis sensibus percipi potest. Spiritum vero per se nullo modo percipere possumus, nec visu, nec auditu, nec olfactu, nec tactu, nisi extraordinarie induat corpus & operetur in & per materiam.

Est itaque spiritus *substantia simplex*, quia non ex materia compositus est. Christus propterea expresse dixit, spiritum non habere carnem & ossa, Luc. XXIV, 39. Dixit hoc eo tempore, cum discipulos suos de veritate corporis sui, quod tunc glorificatum erat, certos reddere voluit.

Cum igitur ſpiritus omnis materiæ expertes ſint, aliud quid eorum naturam conſtituere debet. Hoc ſunt iſtæ facultates, quibus exiſtentiam ſuam manifeſtant, quæ autem non posſunt non ita comparatæ eſſe, ut ſuo ſubjecto dignæ & convenientes ſint. Huc pertinent intellectus & voluntas, nec non potentia agendi.

Spiritus itaque eſt ſubſtantia materiæ expers, intellectu & voluntate, nec non potentia agendi prædita.

Nominantur vulgo *angeli* ab ἀγγέλλειν, *nunciare*, quia olim Dei nuncii ad homines fuerunt, Hebr. I, 14.

Deus & *anima hominis* inter ſpiritus quidem æque ac angeli numerantur, ſed ab iis valde diſtinguendi ſunt. *Deus* enim eſt ſpiritus independens & infinitus, angelus vero ſpiritus dependens & finitus. *Anima hominis* eſt quidem verus ſpiritus, ſed incompletus, quia non niſi cum corpore completam habet ſubſtantiam; angelus vero eſt ſpiritus completus, qui per ſe ſine corpore ſubſiſtit.

Spiritus, qui ſine corpore ſubſiſtit, tres habet *proprietates*, 1) incorruptibilitatem, 2) inviſibilitatem, 3) illocalitatem.

Angeli itaque ſunt incorruptibiles, inviſibiles & illocales.

Sunt 1) *incorruptibiles*, non quidem abſolute, ſed ex benignitate Creatoris, qui æquali facilitate id, quod ex nihilo produxit, iterum annihilare poteſt. Placuit autem Deo, eos ita

crea-

creare, ut per se nec mori nec interire queant, Luc. XX, 36. Sunt igitur substantiæ simplices, quæ non ex certis partibus compositæ sunt, ideoque dissolvi nequeunt.

Sunt 2) *invisibiles*, quia immaterialitate gaudent. Quicquid in cernendi sensum cadit, speciem & figuram habere debet. Hac vero cum angeli destituti sint, neutiquam cerni possunt. Quid vero de eorum apparitionibus judicandum sit, infra ostendetur.

Sunt denique 3) *illocales*, quia propter immaterialitatem nullo loco inclusi sunt. *Locus* dicitur spatium, quod a materia circumscripte & extensive repletur. Sicut vero totus mundus ex materia constat, ita quoque in mundo proprie non datur spatium, quod vacuum sit, quia secundum principia elasticitatis creatura creaturæ semper locum cedit. Angeli sunt quidem *in loco*, sed *indefinite*, h. e. ita, ut nec repleant, nec circumscribant locum, quia extensione & specie externa carent. Movent se quidem de loco in locum, Matth. IV, 10. 11. c. VIII, 32. Luc. XI, 24-26. sed non nisi indefinito & tali modo, qui eorum naturæ conveniens est, nec non tanta velocitate, ut instar cogitationum intra unius momenti spatium huc illuc se conferant. Tribuuntur iis propterea alæ, quibus quasi volant, Jes. VI, 2. Dan. IX, 21. Possunt ideo clausas portas & solidam materiam penetrare, Luc. XXIV, 36. 37.

CAPUT III.

DE ORIGINE ANGELORUM.

Angelos non ab æterno esse, sed in *tempore* originem cepisse, nemo negat, qui æternitatem inter solius Dei attributa numerat. Non Deus tantum, sed etiam Christus eorum Creator appellatur, Col. I, 16. Quo tempore autem a Deo, omnium rerum extra se existentium auctore, creati sint, non satis constat.

Eos autem nec ante, nec post, sed *intra sextiduum*, quo Deus cœlum & terram condidit, creatos esse, res extra omnem dubitationis aleam posita est. Nam ante mundum conditum nulla extitit creatura, Ps. XC, 2. nilque in principio rerum adfuit, nisi Deus, Joh. I, 1. 2. post sextiduum vero Deus ab omni opere creationis ordinario quievit, Gen. II, 2.

Certum igitur est, angelos intra primos sex dies creatos esse; *quo* autem *die*, ex historia creationis non liquet. Sine dubio sub exercitu cœli intelliguntur, Gen. II, 1. Neh. IX, 6. Luc. II, 13.

Sunt, qui ex Ps. CIV, 2-4. judicant, angelos die secunda originem cepisse. Alii vero probare student, eos sexta die creatos esse, quod inprimis D. Jo. BALTHASAR BERNHOLDUS statuit in *Dissertatione*, quam A. 1731. Altorfii habuit. Multis quoque ex Hiob. XXXVIII, 4-7. creditu non difficile visum est, angelos statim prima

prima die & quidem ante jactum mundi fundamentum conditos esse.

Sed omnes hæ opiniones argumentorum pondere laborant. Verisimillimum est, spiritus originem cepisse, antequam Deus homines creavit, quia non modo iis ministrare debebant, Hebr. I, 14. sed etiam jam ante eorum existentiam Deum laudasse dicuntur, Hiob. XXXVIII, 7.

Non datur *materia*, ex qua creaverit Deus angelos, quia spiritus sunt completi, omni materia destituti. Substantiam habent simplicem, quæ partibus caret, ex quibus composita sit. Ex nihilo itaque Deus istos reddidit existentes vi omnipotentiæ suæ, qua etiam lucem primigeniam creavit dicendo: *fiat!* Gen. I, 3.

Sunt autem omnes *una* creati, quia non sicut animæ humanæ aut aliæ creaturæ, se ipsos propagandi facultatem acceperunt. Patet exinde eo magis simplicitas essentiæ eorum, quia propagatio per generationem cum ista pugnat.

CAPUT IV.

DE EXCELLENTIA ANGELORUM.

Angelos inter omnes creaturas *excellentissimas* esse, quilibet concedet, qui considerat excellentiam naturæ eorum proprietatumque præstantiam, inter quas incorruptibilitas, sin-

gularis potentia agendi & præstantissima sciendi facultas præcipuæ sunt. Has ne quidem lapsus infirmavit, cum ipsi cacodæmones maxima ex parte adhuc de iis gloriari possint, ut infra docebimus.

Aucta autem est eorum excellentia per beatitudinem, ad quam post confirmationem in bono evecti sunt. Expresse nunc dicuntur coram throno Dei stare, 2 Chron. XVIII, 18. Dan. VII, 10. Apoc. V, 11. c. VII, 11. & faciem Patris cœlestis semper intueri, Matth. XVIII, 10. Equidem mali spiritus per excellentiam naturæ suæ etiam ad solium Dei accedere possunt, Hiob. I, 6. c. II, 1. & 2 Chron. XVIII, 20. sed non simul fruuntur beatitudine cœlesti.

Angelorum excellentia 1) ex eorum *nominibus* patet, dum *filii Dei*, Hiob. I, 6. c. II, 1. c. XXXVIII, 7. *Elohim*, Ps. VIII, 6. coll. Hebr. II, 7. *stellæ matutinæ*, Hiob. XXXVIII, 7. *flammæ ignis*, Ps. CIV, 4. *Mahanaim*, Gen. XXXII, 2. & denique *throni*, *dominationes*, *principatus* & *potestates*, Col. I, 16. Eph. VI, 12. nominantur.

Patet excellentia eorum etiam 2) ex *officiis*, quæ Deo præstant, dum non modo mandata & judicia divina singulari virtute exequuntur, sed etiam ad amplificandam divinam gloriam multum conferunt, Hiob. XXXVIII, 7. Jes. VI, 2. 3. Ps. CIII, 20. 21. Ps. CXLVIII, 2. Apoc. VII, 11. 12. Hac de causa etiam aliquando Christum ad judicium gloriose rediturum comitabuntur,

ejus-

ejusque adventum sono tubarum proclamabunt, Matth. XXV, 3. 1 Thess. IV, 16.

Ob tantam excellentiam ipse Christus cum iis comparatur, Hebr. I. ut eo magis ejus personæ præstantia & dignitas innotescat.

Sunt, qui negant, angelos *ad imaginem Dei* creatos esse. At quis hoc in dubium vocet, cum angeli non modo Dei filii nuncupentur, sed summa etiam sapientia & sanctitate, ex quibus imago divina præcipue consistit, gaudeant?

Quidam etiam negant, angelos excellentiores esse hominibus, 1) quia dicantur πνεύματα λειτουργικά, Hebr. I, 14. 2) homines custodire debeant, Ps. XCI, 11. 12. 3) Christus non angelorum, sed hominum naturam assumserit, Hebr. II, 14. 16. & denique 4) Deus non lapsorum angelorum, sed lapsorum hominum misertus sit.

At respondemus ad 1) quod, non tam respectu hominum, quam ipsius Dei πνεύματα λειτουργικά dicantur; ad 2) quod custodia hominum etiam Deo tribuatur, Ps. CXXI, 3. ad 3) quod quidem Christi assumta humana natura, non vero ipsorum hominum natura excellentior facta sit natura angelica; & ad 4) quod Deus, cum solius generis humani misertus sit, eo ipso significaverit, angelos excellentiores esse hominibus, quia ob acceptam majorem perfectionem minorem commiserationem mereantur.

CAPUT

CAPUT V.

DE NUMERO ET ORDINE ANGELORUM.

A*ngelorum numerum* non quidem definire possumus, eum tamen valde magnum esse, certum est.

Scriptura S. mentionem facit multorum *μυριάδων* s. innumerabilium angelorum, qui Deo serviant, Ps. LXVIII, 18. Dan. VII, 10. Hebr. XII, 22. Christus sibi plus quam duodecim legiones angelorum a Patre expetere potuisse testatur, Matth. XXVI, 53. & Gehasi vidit totum montem angelorum auxiliatricium plenum, 2 Reg. VI, 17.

Spirituum malorum numerus non minor est numero bonorum angelorum. Ille obsessus fatebatur, in se integram habitare spirituum immundorum legionem, quæ apud Romanos communiter numerum indicabat, qui ex sex millibus militum constabat.

Exinde cognoscitur, numerum angelorum *multitudini hominum* fere æquiparandum esse. Num vero istam superet, indicari nequit.

S. Brigitta magna cum temeritate olim docuit, angelorum tot esse, ut cuilibet homini decem eorum assignari queant, *Ambrosius* vero ex Luc. XV, 4. conjecturavit, angelorum numerum superare copiam hominum nonagies novies.

novies. Sed de hac re nil amplius nobis constat, quam quod in Scriptura S. revelatum est.

Ingens hic angelorum numerus certos inter se *ordines* & *gradus* habet. Non enim unius ejusdemque generis & muneris sunt angeli, etsi non satis liqueat, in quo diversitas ordinis eorum proprie consistat. Essentia & specie vix credo inter se differre, cum spiritualis & simplex eorum natura neutrum admittat. Interim differentia angelorum per se non in dubium vocanda est.

Deus, qui ordinem amat, 1 Cor. XIV, 40. omnes in mundo creaturas in certos ordines distribuit & per eosdem mirificam suam sapientiam multifarie patefecit; cur non etiam amorem ordinis in creatione angelorum, tanquam excellentissimarum suarum creaturarum, adhibuisset, ita, ut unus alterum instar stellarum claritate & gloria superet? Eo magis id credendum est, quia electi, qui angelis assimilabuntur, Matth. XXII, 30. expresse dicuntur, se invicem aliquando in vita æterna claritate superaturos esse, 1 Cor. XV, 41. 42.

Satis perspicue *diversitas angelorum* eorumque *ordinis* patet 1) ex *nominibus propriis*, quæ certis angelis tribuuntur, qualia sunt *Gabriel*, Dan. VIII, 16. c. IX, 21. Luc. I, 19. *Michael*, Dan. X, 13. *Raphael*, Tob. III, 25. *Uriel*, 4 Esr. IV, 1.

Patet 2) ex *nominibus dignitatis*, quæ angelis in Scriptura S. adscribuntur. Hujus generis sunt

sunt *Cherubim*, Gen. III, 24. *Seraphim*. Jes. VI, 2. *throni*, *dominationes*, *virtutes*, *principatus* & *potestates*, Col. I, 16. Eph. I, 21. *archangelus*, 1 Thess. IV, 16. &c.

Patet 3) ex *differentia malorum spirituum*, qui certum inter se habent ordinem & talem quidem, qualis est imperantium & parentium. Nam non modo mentio fit *Beelzebubi*, tanquam principis dæmoniorum, Luc. XI, 25. sed etiam *diaboli* & *ejus angelorum*, Matth. XXV, 41. Apoc. XII, 9.

Patet denique 4) ex *Dan. VII, 10.* ubi alii angeli Deo serviisse, alii vero coram eo stetisse dicuntur.

Pontificii *tres* angelorum *choros* constituunt, quorum quilibet ex tribus ordinibus constat. Ad primum chorum referunt Cherubim, Seraphim & Thronos, ad alterum Dominationes, Virtutes & Potestates, & ad tertium Principatus, Archangelos & Angelos. Sed ex Scriptura S. hoc pari difficultate, quam Judæorum somnium de decem angelorum ordinibus, de quo BUDDEUS *in Philos. Hebræorum p. 415.* egit, probari potest. Provocant Pontificii ad DIONYSII *librum de Hierarchia cœlesti*, per quem intelligunt DIONYSIUM AREOPAGITAM per Paulum conversum, Act. XVII, 34. qui id ei revelasse autumant, quod Paulum vidisse credunt, cum in cœlum tertium elatus fuerit, 2 Cor. XII, 2. Sed liber hic jure meritoque inter supposititios refertur.

CAPUT

CAPUT VI.

DE

INTELLECTU ANGELORUM.

Intellectus est facultas cogitandi. *Cogitare* autem & sciendi & judicandi actum involvit.

Hac facultate non destituti esse possunt angeli, quia imagine Dei gaudent & inter creaturas excellentissimæ sunt. Ad eorum essentiam omnino pertinet hæcce facultas, ut supra ostendimus, quia sine illa nil nisi inanis ventus & umbra forent, nec Deo officia aliqua præstare possint.

Jure meritoque hinc angelis in Scriptura S. tribuuntur ejusmodi operationes, quæ ab intellectu proficiscuntur, quales sunt laudatio, Jes. VI, 3. & adoratio Dei, Hebr. I, 6. nec non cognitio rerum, 2 Sam. XIV, 20. Ephes. III, 10.

Intellectus angelorum multo excellentior est, quam intellectus hominum, 2 Sam. XIV, 20. Intellectui hominum enim objecta se sistunt per sensus, angelorum vero intellectui objectorum repræsentatio fit per ideas. Est autem angelorum intellectus æque limitatus, ac intellectus hominum, quia non modo eorum cognitio crescere solet, 1 Petr. I, 12. sed etiam multa ab iis prorsus ignorantur.

Triplex datur angelorum *cognitio*, naturalis, revelata & beatifica, quas alii habitualem, experimentalem & intuitivam nominant.

Cognitio

Cognitio naturalis f. *habitualis* angelis concreata eſt. Verſatur circa res omnes exiſtentes, quas cognoſcunt per ſe ſecundum internam & externam formam & conſtitutionem.

Cognitio revelata f. *experimentalis* ea eſt, quam vel per revelationem vel per experientiam habent. Futura contingentia per ſe ignorant, licet occultum cauſarum nexum ob ſuam ſagacitatem multo melius introſpicere queant, quam homines. Incognitæ iis etiam ſunt cogitationes hominum. Non aliter quam ex ſignis aut effectibus iſtas conjicere poſſunt. Solus enim Deus *καρδιογνώστης* eſt, Jer. XVII, 10. Act. I, 24. c. V, 8. Neſciunt etiam diem extremi judicii, Marc. XIII, 32. nec non decreta & conſilia Dei, Rom. XI, 34. Interim non modo multa per experientiam diſcunt, 1 Petr. I, 12. Eph. III, 10. ſed iis etiam Deus multa revelat.

Cognitio beatifica f. *intuitiva* ſolis angelis in bono confirmatis propria eſt. Verſatur circa Deum & omnia, quæ ad divinam gloriam & æternam beatitudinem ſpectant. Hæc eadem eſt, ad quam homines electi aliquando evehentur, 1 Cor. XIII, 12.

Angeli proprie non habent *loquelam*, etſi linguarum angelicarum mentio fiat, 1 Cor. XIII, 1. Deumque laudare dicantur, Jeſ. VI, 3. At poſſunt tamen non modo ſecum invicem communicare ideas, ſed etiam ope aëris certos ſonos & certa verba formare, quibus

cum

cum hominibus olim ſermocinati ſunt, Dan. VIII, 17. c. IX, 22. Luc. I, 13. 19. 28. c. II, 10. c. XXIV, 4-6. Act. I, 10. 11.

CAPUT VII.

DE VOLUNTATE ANGELORUM.

Voluntas eſt facultas appetendi bonum & averſandi malum. Conjuncta eſſe ſolet cum intellectu. Hoc cum præditi ſint angeli, omnino iis etiam voluntas tribuenda eſt. Monſtrant autem angeli eam in omnibus actionibus, quæ in Scriptura S. illis adſcribuntur. Semper enim ad certos fines agunt & quo ipſos ducit inclinatio eorum. *Boni angeli* plerumque opera & conſilia divina de ſalute hominum introſpicere cupiunt, 1 Petr. I, 12. *mali* vero obambulando quærunt, quem deglutiant, 1 Petr. V, 8.

Ante lapſum voluntas angelorum *libertatem* habuit vel bonum appetendi, vel malum averſandi; poſt lapſum vero hæc voluntatis libertas iis quidem remanſit, ita tamen, ut *boni angeli* nunc tantum hoc vel illud bonum præ altero appetant, aut hoc vel illud malum præ altero averſentur; *mali angeli* autem hoc vel illud malum præ altero appetant & hoc vel illud bonum præ altero maxime averſentur.

Non modo *malum*, quod angeli averſantur, ſed etiam *bonum*, quod appetunt, eſt vel vere vel apparenter tale, pro diverſo angelorum ſtatu. Nominamus autem *malum*, quod cum voluntate Dei pugnat, & *bonum*, quod cum eadem convenit. *Angeli* in bono confirmati verum malum averſantur & verum bonum appetunt, *cacodæmones* vero averſantur bonum, tanquam apparens malum, & appetunt malum, tanquam apparens bonum. Habent enim bonum pro malo & malum pro bono.

Angelis etiam non deſunt *affectus* ſ. vehementiores voluntatis inclinationes & commotiones, quales ſunt gaudium, Luc. XV, 10. triſtitia, ira &c. In primis mali angeli variis affectibus torquentur, e. g. metu, Jac. II, 19. Matth. VIII, 29. 31. invidia, Sap. II, 24. ira, 1 Petr. V, 8. Apoc. XII, 12. &c.

CAPUT VIII.

DE POTENTIA ANGELORUM.

Potentia eſt facultas extra ſe operandi. Hæc angelis neutiquam deneganda eſt, cum non modo intellectu, ſed etiam voluntate gaudeant. Utraque facultas iis foret inutilis, ſi id, quod velint, facere nequeant.

Dicuntur propterea *fortes robore*, Pſ. CIII, 20. *exercitus Domini*, Gen. XXXII, 2. *fortes armati*,

Luc.

Luc. XI, 21. *angeli potentiæ Christi*, 2 Theff. I, 7. *potentes principes*, Eph. VI, 12. & qui *robore ac virtute multo majores ſunt hominibus*, 2 Petr. II, 11.

Exempla, quæ non modo de malis, ſed etiam de bonis angelis in Scriptura S. occurrunt, ſatis hoc probant. De *malis* infra latior dicendi campus dabitur, de *bonis* vero hic allegare ſufficiant loca, quæ de eorum robore ac virtute evidentiſſima continent exempla, e. g. 2 Reg. XIX, 35. 2 Sam. XXIV, 16. Gen. XIX, 10. Act. XII, 7. Matth. XXVIII, 2. Pſ. LXXVIII, 49. 2 Reg. VI, 17. Act. V, 19.

Eſt autem *potentia* angelorum *valde limitata*, ita, ut etiam diabolus ſine permiſſione Dei nequicquam facere poſſit, Hiob. I, 12. c. II, 6. 2 Petr. II, 4. Hebr. II, 14. In ſpecie nequeunt 1) ex nihilo aliquid facere, 2) veras ſubſtantias producere, 3) ſubſtantias rerum permutare, 4) ſe ipſos propagare, 5) vera miracula patrare, & 6) contra abſolutam Dei voluntatem agere. Interim non negandum eſt, eos propriis ſuis viribus admirandos omnino edere poſſe effectus, qui captum noſtrum excedunt, at non tamen miracula, ſed tantum *mirabilia* tales dicendi ſunt effectus.

Fecerunt interdum quidem angeli *miracula*, ſed non propriis viribus. Deus enim per iſtos potentiam ſuam præſtitit. Vocantur propterea *angeli potentiæ* Dei, 2 Theſſ. I, 7.

Ex Dan. X, 13. cognoſcimus, angelum angelo interdum ſuccurrere.

CAPUT IX.

DE APPARITIONE ANGELORUM.

A*pparere* idem eſt ac in cernendi ſenſum cadere. Dicimus id proprie de rebus, quæ non ſemper nobis ob oculos verſantur. Sic apparet ſtella aut cometa, qui antea nondum viſus eſt. Apparet lux, dum improviſo tenebroſum locum illuminat. Plerumque vox hæc uſurpatur de ſpiritibus & defunctis animabus, quando ſe hominum conſpectui ſiſtunt.

Quæritur: *num ſpiritus proprie apparere queat?* Reſpondemus negando, quia nil cerni poteſt, quod non materiam habet. Cum vero ſpiritus omnis materiæ expers ſit, ut ſupra demonſtravimus, de eo etiam non dicere poſſumus, quod per ſe & proprie appareat.

Nihilominus multa de apparitionibus angelorum & ſpirituum in Scriptura S. occurrunt exempla, quæ in dubium vocare nefandum foret. Apparuerunt autem angeli hominibus olim partim in aſſumto vero corpore, partim in viſione.

Quando in *corpore* apparuerunt, corpus iſtud ad functionem, cujus cauſa miſſi ſunt, per unionem accidentalem, (non vero eſſentialem),

lem), divinitus aſſumſerunt, poſtea vero iterum depoſuerunt. Huc ſpectant apparitiones, ubi apparens corpus manibus contrectari potuit, e. g. Gen. XVIII, 4. c. XIX, 2. 10. 16. Act. XII, 7.

Plurimæ angelorum apparitiones factæ ſunt in *viſione*, & quidem duplici ratione; vel ſpecie corporis fefellerunt oculos, vel phantaſiæ impreſſerunt viſus. Interdum etiam per ſolum alloquium, cum ſonum perceptibilem in aëre formaverint, ſeſe manifeſtarunt.

Omnes *apparitiones angelorum bonorum* juſſu Dei, qui homines per eas de re aliqua momentoſa certos reddere voluit, factæ ſunt. Per ſe autem nunquam apparuerunt. Ex hac cauſa non amplius expectandæ ſunt eorum apparitiones, quia Deus omnes res ſcitu dignas ſatis nobis in ſacris literis revelavit. Nec habemus de iis aliquam promiſſionem. Canon Scripturæ S. quæ omnia continet, quæ ſcitu credituque neceſſaria ſunt, clauſus eſt. A Chriſto propterea ad ſolum Moſem & prophetas in rebus fidei & ſalutis ablegamur, Luc. XVI, 29. Difficulter etiam apparitiones bonorum angelorum, ſi aliquas ſtatueremus, diſcernere poſſemus a diabolicis, quia diabolus non modo perſonam angeli lucis induere, 2 Cor. XI, 14. ſed etiam, uti ex Act. XVI, 16-18. & Marc. I, 23. 24. patet, interdum vera dicere poteſt.

Haud conſultum itaque eſt, nobis apparitiones angelorum a Deo expetere. Eſt ſpecies

tentationis Dei, quæ nobis Matth. IV, 7. interdicitur. Nec ſine horrore eas tolerare poſſumus, ut exempla Danielis, Dan. X, 9. 16. 17. Mariæ, Luc. I, 29. piarum mulierum ad ſepulchrum Chriſti venientium, Marc. XVI, 8. aliorumque piorum hominum docent.

Quid de apparitionibus dæmonum & animarum defunctarum judicandum ſit, ſuo loco indicabimus. Hic annotaſſe ſufficiat, quod ſine permiſſione Dei nullus dæmon alicui homini apparere queat, quia catenis tenebrarum vinctus eſt.

CAPUT X.

DE STATU GRATIÆ ANGELORUM.

Primævus angelorum ſtatus vocatur *ſtatus gratiæ*. Opponitur ſtatui vel gloriæ vel ignominiæ. In priorem tempore lapſus pervenerunt ii, qui in bono confirmabantur, in poſteriorem vero, qui a Deo infeliciter defecerunt.

Sunt, qui *ſtatum puræ naturæ* fingunt, eumque angelis ante lapſum tribuunt. Intelligunt per eum ſtatum, in quo earum perfectionum indiguerunt angeli, quibus nunc in ſtatu gloriæ gaudent. Sed cum Deus omnia valde bona fecerit, Gen. I, 31, etiam angelos ſtatim ab initio

initio ita creavit, ſicut eſſe debebant. Judas hinc in Epiſt. v. 6. expreſſe ſcripſit, angelos malos non ſervaſſe τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν ſ. originem ſuam. Exinde patet, cacodæmones primum bonos fuiſſe.

Vocatur autem primæva hæc bonitas *ſtatus gratiæ*, quia ex mera Dei gratia ſuas acceperunt perfectiones, ita tamen, ut earum quoque jacturam facere potuerint.

Gratia itaque h. l. denotat perfectiones habituales, quas Deus angelis ad officia præſtanda in creatione contulit. Officia hæc erant, Deum recte cognoſcere & ſuper omnia diligere, veritati ejus credere, bonitati ſuæ confidere, juſſis divinis obtemperare & ſalutem æternam ſperare.

His officiis ut recte fungerentur angeli, Deus ex gratia intellectum & voluntatem eorum ita glorificavit, ut inter omnes creaturas non ſui ſimiles haberent.

Intellectus angelorum luce quadam habituali præditus erat, qua cognoſcere poterant, quæ de rebus ſupernaturalibus ab iis cognoſcenda erant. Lux hæc erat donum, quo Deus eorum intellectui imprimebat omnes rerum cognoſcendarum ſpecies, ita, ut ſi non ſatis evidenter & quales per ſe ſint, tamen reſpectu modi determinati, indubitanter intelligerent, quantum Deus de iis intelligi volebat. Fidem vero non habebant rebus per evidentiam objecti, ſed per auctoritatem revelantis Dei.

Voluntas prædita erat juſtitia & ſanctitate habituali. Poterant hinc angeli in ſtatu gratiæ omnes ſuas actiones ſecundum normam voluntatis divinæ inſtituere & perficere. Continebat autem juſtitia hæc ac ſanctitas totum virtutum ſupernaturalium complexum, quæ tam ad Deum, quam ad ſe ipſos & alias creaturas ſpectabant. Vocatur alias hic complexus *ἀλήθεια* h. e. ſumma fidelitas, integritas & ſanctitas, a qua diabolus defeciſſe dicitur, Joh. VIII, 44.

Alii *ſpem* & *charitatem* id nominant, quod per juſtitiam & ſanctitatem exprimimus.

Spes angelorum ante confirmationem in bono directa erat ad æternam beatitudinem, tanquam bonum abſens, certo tamen expectandum. Supponebat ſpes hæc fiduciam in Deum, ita, ut voluntas eorum in ipſo, tanquam ſummo bono, & quatenus cauſa efficiens futuræ beatitudinis eſſet, acquieſceret; *charitas* vero erat habitus, officia ſua ſine ulla moleſtia & difficultate ad voluntatis divinæ normam præſtandi.

Accedebat *libertas agendi*, qua quoque gaudebant angeli in ſtatu gratiæ. Hæc ita comparata erat, ut ea quidem abuti poſſent, ſed non niſi propria culpa. Intellectus enim & voluntatis perfectiones ſufficiens iis ſepimentum erant, ſartam tectamque conſervare ſuam primævam bonitatem. Interim cum nec intellectus omnia evidentiſſime cognoſceret, nec volun-

voluntas jam in bono confirmata esset, fieri potuit, ut magnus angelorum numerus a veritate descisceret & in summum se praecipitaret exitium.

Quamdiu autem duraverit *status gratiae*, non satis liquet. Facile tamen ex Gen. I, 31. ubi omnia, quae Deus creavit, valde bona dicuntur, conjecturare licet, lapsum angelorum non intra sextiduum creationis, sed brevi post factum esse. Oriebatur tunc discrimen inter angelos bonos & malos.

Boni dicebantur, qui ex statu gratiae in statum gloriae transierant, *mali* vero, qui perdita divina gratia in statum ignominiae & damnationis ceciderant.



SECTIO II.

DE ANGELIS BONIS.

CAPUT I.

DE ANGELORUM CONFIRMATIONE IN BONO.

Confirmatio in bono sequebatur angelorum malorum lapsum, de quo infra agemus. Est

vero hæc confirmatio in bono determinatio voluntatis angelorum ad omne id, quod cum voluntate Dei convenit, & quidem ita, ut nullo modo a veritate iterum deflectere queant.

Dici etiam potest *ἀναμαρτησία* f. *impeccabilitas angelorum*, quia non possunt non Deum, perfectissime cognitum, super omnia diligere ejusque sanctissimæ voluntati summa cum voluptate in omnibus obtemperare.

Distinguenda autem est hæc angelorum impeccabilitas ab *impeccabilitate Dei*, quæ sola est absoluta, cum illa e contra sit determinata. Non adversantur huic impeccabilitati verba Eliphæ, Hiob. IV, 18. c. XV, 15. quipqe quæ quidem ex *θεοπνευστία* consignata, non vero ipsi Eliphæ divinitus inspirata sunt. Comparatur etiam in hisce Scripturæ S. locis sanctitas creaturarum cum sanctitate ipsius Dei, quæ illam longe antecedit.

Est *confirmatio angelorum in bono* ex æterno quidem, sed non absoluto, Dei decreto, nec ex merito facta. Cum enim Deus prævidisset constantem eorum obedientiam, quam aliis labentibus in statu gratiæ præstituri forent, decrevit, istos in bono confirmare, quod etiam gratiose fecit. Appellantur angeli propterea *electi*, 1 Tim. V, 21.

Confirmatio hæc est pars gloriæ & beatitudinis æternæ, ad quam post lapsum angelorum malorum evecti sunt, quæ gloria tanta est, ut ipsum Deum in summa ejus majestate clare & intui-

intuitive cognoſcere poſſint. Vocantur propterea *angeli lucis*, 2 Cor. XI, 14. quia ſemper vident faciem Dei, Matth. XVIII, 10. in luce inacceſſibili habitantis, 1 Tim. VI, 16. Et hæc viſio idem eſt ac beatitudo æterna, 1 Cor. XIII, 12. 2 Cor. V, 7.

Ex hac beatitudine ortus eſt *amor intenſiſſimus* quo voluntas angelorum Deo ita inhærere cœpit, ut ab eo nunquam iterum deflectere queat.

Adhæſio hæc autem non voluntatis libertatem tollit. Nam etſi voluntas angelorum non amplius indifferens ſit ad bonum & ad malum, indifferens tamen eſt ad hoc vel illud bonum, quod ita comparatum eſt, ut ſalvo timore Dei pro lubitu illud vel velle vel nonvelle poſſint, quatenus ſcilicet Deus iſtud ab iis non expreſſe poſtulat.

CAPUT II.

DE OFFICIIS ANGELORUM BONORUM IN GENERE.

Beatitudo cœleſtis non in *otio* conſiſtit. Certa potius *officia* requirit, quorum functio ad ipſam beatitudinem pertinet. Præſtantur autem officia hæc libere & cum ſumma voluptate, quapropter etiam non moleſtiam iis creant, ſed potius gaudium cœleſte augent ac promovent.

Exinde

Exinde patet, quod non pugnet cum beatitudine angelorum, si iis adhuc certa attribuuntur ministeria. Vocantur enim omnes angeli πνεύματα λειτουργικὰ f. spiritus ministrantes, Hebr. I, 14.

Is, cui ministrant, *solus Deus* est, qui omnes creaturas ad sui nominis gloriam condidit. Præstant quidem hominibus varia ministeria, sed non nisi jussu Dei, cui soli obtemperant.

Neutiquam hinc angelos nominare possumus *ministros hominum*, quia a nostra voluntate non dependent. Sunt potius nostri comministri, Apoc. XIX, 10. quia nobiscum uni eidemque Creatori ac Domino serviunt.

Officia hinc & ministeria eorum tantum a Deo exorare, eademque ipsi soli accepta referre debemus. Sicut enim servo non gratias ago, quod ad mandatum domini sui mihi officium præstet, ita nec angelo gratias debeo pro beneficio, jussu Dei mihi præstito.

Male igitur agunt *Pontificii*, angelos pro acceptis beneficiis religioso cultu prosequentes, ut infra docebimus.

Est autem *officium* angelorum bonorum in genere *ministratorium*. Versatur vel circa Deum & Christum, vel circa homines.

Ministerium angelorum *circa homines* est vel generale vel speciale. *Generale* spectat non modo ad pios, sed etiam ad impios, *speciale* vero præstatur tantum piis, & quidem tam in temporalibus, quam spiritualibus rebus.

CAPUT

CAPUT III.

DE
OFFICIIS ANGELORUM BONORUM, QUÆ DEO ET CHRISTO IMMEDIATE PRÆSTANT.

Non ex neceſſitate Deus angelorum miniſterio & officiis utitur, quippe qui nullius indiget creaturæ, Act. XVII, 25. Jeſ. XL, 14. ſed ex voluntate libera & providentiæ ſuæ ſuavi diſpoſitione iſtos idoneos reddidit ad ſibi ſerviendum.

Diſtinguuntur *officia angelorum* reſpectu Dei in glorioſa & miniſterialia. *Glorioſa* ſunt, quando Deum cognoſcunt, intuentur, amant & inde maximum gaudium hauriunt. Pertinent illa ad ipſam eorum beatitudinem, quo ſpectant loca Dan. VII, 10. Matth. XVIII, 10. 1 Petr. I, 12.

Officia angelorum *miniſterialia* vel ad nominis Dei amplificationem vel ad voluntatis ejus impletionem ſpectant.

Nomen Dei amplificant, dum laudibus ipſum extollunt & attributa operaque ejus magni faciunt, Jeſ. VI, 3. Hiob. XXXVIII, 7. Pſ. CXLVIII, 2. nec non mandata ejus promtiſſime exequuntur, Pſ. CIII, 20. Dan. IX, 23. voluntatique ejus obtemperant, Pſ. CIII, 21. Matth. VI, 10.

Officia

Officia hæc etiam *Jesu Christo*, Salvatori nostro, præstant, Hebr. II, 9. Matth. IV, 11. Præfiguravit ea Moses per imagines angelorum, quas jussu Dei intexere curavit tabernaculo, nec non per arte factos Cherubim, qui alis tegebant arcam fœderis. Distinguenda autem sunt officia hæc angelorum in ea, quæ Christo in diebus carnis præstiterunt & ea, quæ ei adhuc in cœlo præstant.

Præstiterunt olim Salvatori nostro multa servitia, cum in terra versaretur, & quidem tam in statu exinanitionis, quam exaltationis.

In *statu exinanitionis* 1) annunciabant hominibus ejus conceptionem, Luc. I, 35. & nativitatem, Luc. II, 9-14. 2) ministrabant ei cum a Satana tentaretur, Matth. IV, 11. & 3) confortabant ipsum, cum in monte olivarum tempore passionis suæ sanguine sudaret, Luc. XXII, 43.

In *statu exaltationis* aperiebant ejus sepulchrum annunciabantque Apostolis piisque mulieribus, ejus resurrectionem, Matth. XXVIII, 2. 5. 6. Marc. XVI, 5. 6. Luc. XXIV, 4-6. Joh. XX, 12. 13. nec non excipiebant ipsum in adscensione ad cœlos, Act. I, 10. Psalm. XLVII, 6. 7. Ps. LXVIII, 18.

Christo in cœlis officia præstant, quando ei se subjiciunt, Eph. I, 21. 22. eumque adorant, Hebr. I, 6. Ps. XCVII, 7.

Ali-

Aliquando etiam comitabuntur eum in reditu ad judicandum homines, Matth. XXV, 31. 1 Theſſ. IV, 16.

CAPUT IV.

DE

OFFICIIS ANGELORUM BONORUM CIRCA HOMINES IN GENERE.

M*iniſteria*, quæ angeli boni hominibus præſtant, fiunt ex ſpeciali mandato Dei, Pſ. XCI, 11. etſi ad ea creati dicantur, Hebr. I, 14. Pſ. CIV, 4. Jure meritoque hinc ad eorum officia referuntur.

Verſantur autem officia angelorum bonorum, quæ hominibus præſtant, tam circa malos, quam circa bonos homines. Sunt quidem *malorum hominum* inimici, Gen. III, 24. Num. XXII, 31. 32. Act. XII, 23. non tamen iis per ſe nocent. Beneficiis eos potius afficiunt, dum non modo iſtos in variis periculis protegunt, ſed etiam eorum malitiam quovis modo coërcent. Interim non negandum eſt, angelorum officium circa malos homines maxime in exequendis Dei judiciis conſiſtere, ut exempla Sodomitarum, Gen. XIX, 13. Ægyptiorum, Exod. XII, 23. Aſſyriorum, 2 Reg. XIX, 35. Herodis Agrippæ, Act. XII, 23. & æterne damnatorum, Matth. XIII, 42. 50. teſtantur.

Ma-

Maxime circa *bonos homines* officia angelorum versantur, quæ non modo ex mandato Dei, sed etiam ex affectu charitatis iis, tanquam suis amicis & cohæredibus vitæ æternæ, præstant.

In *genere* officia angelorum erga pios homines tam ad corporalia, quam ad spiritualia spectant.

Respectu *corporalium* eos non modo protegunt, Ps. XXXIV, 8. Ps. XCI, 11. Dan. III, 25. 26. c. VI, 22. 2 Reg. VI, 16. 17. sed etiam ex variis malis sicut Lothum, Gen. XIX, 16. Petrum, Act. XII, 7. cæterosque Apostolos, Act. V, 19. eruunt.

Comitantur peregrinantes, Gen. XXIV, 7. c. XXXII, 1. 2. Tob. V, 16. Admonent de imminentibus periculis, Matth. II, 19. Erudiunt de rebus occultis, Matth. I, 20. Dan. VIII, 16. 19. c. IX, 22 sq. Apoc. I, 1. c. XXII, 6. 16. Jud. XIII, 3. Act. I, 11. Dant bona consilia, Matth. II, 19. 20. Act. X, 3. 4. Tob. VI, 6. 9. 10. c. XI, 3. 4. Consolantur paventes, Dan. X, 12. 19. Luc. I, 13. 30. c. II, 10. Marc. XVI, 6. & quæ sunt cætera. Hæc omnia angeli per inspirationem, somnia & varia omina faciunt, quia non amplius apparent.

Sunt, qui cum *Erasmo Schmidio*, Philologo Wittebergensi, perhibent, angelos quoque tempestates avertere, ventos sedare, fœcundas pluvias cœlo demittere, salubritatem aëris tueri & contra morbos remedia suppeditare. Sed non satis hoc ex sacris literis probari potest.

Uni-

Unicum, quod huc ſpectat, exemplum, deſumitur ex Joh. V, 4. ubi de angelo, aquam in piſcina Bethesda ſalubriter movente agitur.

Reſpectu *ſpiritualium* rerum angeli piis hominibus officia præſtant, quando ſaluti eorum conſulunt, Act. X, 3 ſq. in afflictionibus iſtos erigunt, Act. XXVII, 23. 24. de converſione eorum lætantur, Luc. XV, 10. animas illorum poſt mortem in beatitudinem æternam transportant, Luc. XVI, 22. & die judicii ex omnibus mundi plagis iſtos colligunt, eosque ab impiis ſecernunt, Matth. XIII, 49. c. XXIV, 31. c. XXV, 32. Marc. XIII, 27.

Quæritur hic: *an cuilibet homini certus angelus ad cuſtodiam datus ſit?* Pontificii id aperte aſſerunt.

Angelum tutelarem iſtum vocant, qualem Jacobus, Gen. XLVIII, 16. Paulus, Act. XII, 11. 15. c. XXVII, 23. Tobias junior, Tob. V, 29. & Judith c. XIII, 20. habuiſſe & Chriſtus infantibus Matth. XVIII, 10. adſcripſiſſe dicatur. At Pontificii non modo ſingulis hominibus, ſed etiam ſingulis civitatibus & provinciis ex Act. XVI, 9. imo ſingulis elementis ex Apoc. XIV, 18. c. XVI, 4. certos angelos aſſignant, qui iis præſint & pro iis curent.

Sed pugnant cum hac hypotheſi tam loca Pſ. XXXIV, 8. Pſ. XCI, 11. &c. quam exempla Jacobi, Gen. XXXII, 1. 2. & Eliſæi, 2 Reg. VI, 16.

Ex Act. XII, 15. ex locis Apocryphicis patet quidem, inter Judæos tunc temporis invaluiſſe

opinionem de angelo tutelari, quam ex ſcholis Philoſophorum, qui multa de hominis genio ſ. ſpiritu familiari docuerunt, petiverunt. At ex ipſis ſacris literis id non ut divina veritas probari poteſt. Nam Jacobi angelus Gen. XLVIII. fuit angelus increatus, ſ. Filius Dei, & Pauli angelus Act. XII & XXVII. pertinet ad extraordinarie miſſos angelos, cujus tutela alius quoque homo gaudere poteſt. Verba vero Chriſti Matth. XVIII. nil aliud docent, quam quod infantes præ aliis hominibus ab angelis cuſtodiantur.

CAPUT V.

DE OFFICIIS ANGELORUM BONORUM, QUÆ SPECIATIM TRIPLICI HOMINUM STATUI PRÆSTANT.

Cum angeli πνεύματα λειτουργικὰ h. e. ſpiritus, miniſterio publico deſtinati, eoque fungentes ſint, Hebr. I, 14. jure meritoque iis officia quædam circa ſingulos hominum ſtatus tribuuntur. Sunt enim hominibus ubique tutela & miniſterio ſuo præſto. Hoc probari poteſt ex omnibus iſtis Scripturæ S. locis, ubi mentio fit angelorum in negotiis hominum tam ſacris quam politicis & œconomicis occupatorum.

Theo-

Theologi inde occaſionem ſumſerunt, angelis in omnibus hominum ſtatibus certa officia tribuendi. Sicut vero *tres* dantur *ſtatus hominum*, nempe eccleſiaſticus, politicus & œconomicus, ita etiam angeli in quolibet ſe miniſtratorios præbent, bonumque hominum promovent.

Status Eccleſiaſticus verſatur circa plantandam & conſervandam eccleſiam. In hoc valde occupatos deprehendimus angelos in Scriptura S. quando legimus, quod *a*) promulgationi legis Moſaicæ adfuerint, Gal. III, 19. Act. VII, 53. Hebr. II, 2. Deut. XXXIII, 2. *b*) Chriſti adventum in carne primum annunciaverint, Luc. I, 30 ſq. c. II, 10 ſq. *c*) idololatriæ introductionem in eccleſiam impediverint, Jud. v. 9. *d*) cœtibus ſacris interfuerint, 1 Cor. XI, 10. 1 Tim. V, 21. & *e*) fideles miniſtros doctoresque eccleſiæ contra hoſtes & perſecutores protexerint, e. g. Joſuam, Zach. III, 7. Eliſæum, 2 Reg. VI, 16. 17. & Petrum, Act. XII, 7-9. &c.

Status politicus verſatur circa adminiſtrationem reipublicæ, quæ per magiſtratum ejusque miniſtros fit. Hiſce angelos multifariam præſto eſſe, teſtatur Scriptura S. quando Dan. X, 13. legimus, Deum miſiſſe angelum in aulam regis Perſarum, ut mala conſilia impediat. Legimus porro Dan. VI, 22. angelum occluſiſſe ora leonum, ne Danieli, miniſtro regni primario, noceant. Legimus denique 2 Reg.

XIX, 35. & Jes. XXXVII, 36. angelum pio regi Hiskiæ contra hostes succurrisse, exercitumque hostilem ad internecionem cecidisse. Hoc auxilium quoque Judæ Maccabæo ab angelo factum est, cum contra Lysiam pugnaret, 2 Macc XI, 8 sq.

Status œconomicus versatur circa rem familiarem & domesticam, comprehenditque tam statum conjugalem quam herilem. In utroque angeli sua officia hominibus præstant, ut conjugium Isaaci, Gen. XXIV, 7. vallata domus Hiobi, c. I, 10. coll Ps. XXXIV, 10. & tutela infantum, Matth. XVIII, 10. testantur. Huc quoque spectat conjugium Tobiæ junioris per angelum feliciter peractum, Tob. VII & VIII.

Quicquid Deus olim per angelos præstitit, id adhuc nostris temporibus præstat. Exempla & testimonia, quæ de angelorum officiis hominibus præstitis in Scriptura S. occurrunt, in hunc finem consignata sunt, ut spem & consolationem inde hauriamus, Rom. XV, 4.

CAPUT VI.

DE CULTU ANGELORUM BONORUM.

Quia Pontificii angelos pro acceptis beneficiis *cultu religioso* prosequuntur, operæ pretium est, de ejusmodi cultu hic aliqua addere.

Ange-

Angelos omnino *cultu aliquo* dignari possumus, non modo propter perfectiones, quibus præ cæteris creaturis gaudent, & propter gloriosa ministeria, quæ Deo præstant, sed etiam propter favorem & officia, quæ iis accepta referre debemus. Sed distinguendum est inter cultum honoris & cultum religiosum.

Cultus honoris est, quando patronos & quibus multa beneficia debemus, nec non personas dignitate conspicuas magni facimus, aliis præferimus, & ne offendamus, nobis cavemus. Ejusmodi cultus præstatur ipsis hominibus. Deus ad eum nos expressa lege obstrinxit. Cur quæso dubitemus, angelis eundem præstare, cum dignitate & virtute nos longissime antecedant?

Pertinet ad *honoris cultum* angelis præstandum *a*) ut virtutes & ministeria eorum laudibus extollamus, Ps. CIII, 20. 21. *b*) eorum opera & divinæ voluntatis impletionem imitemur, Matth. VI, 10. Luc. XI, 2. *c*) honorifice eorum recordemur, Dan. VI, 22. Gal. IV, 14. 1 Petr. I, 12. Hebr. XIII, 2. *d*) operationes eorum non temere negemus, Act. XXIII, 8. & denique *e*) præsentiam eorum revereamur, 1 Cor. XI, 10. 1 Tim. V, 21.

Talis cultus, qui non idololatricus est, ab eo, quem Pontificii angelis exhibent, valde differt. Hi enim cultu religioso sanctos spiritus prosequuntur, dum eos invocant & eorum tutelæ se commendant.

Ejusmodi *cultum religiosum* soli Deo debemus, quem sacris precibus, vel invocamus, vel ejus gratiæ & clientelæ nos commendamus.

Ejusmodi cultus in angelos neutiquam competit. Cujuscunque etiam generis sint preces, quas ad angelos dirigunt Pontificii, iis tamen offenditur Deus, qui solus adorandus & religiose colendus est, Matth. IV, 10. Et unde quæso judicare velimus, angelos preces exaudire, vel aut iis delectari, cum nec exemplum, nec promissio in sacris literis extet, nos id docens? Quid? quod potius legatur, angelos respuisse omnem invocationis & adorationis cultum, addita ratione, quod conservi sint nostri & consortes nostræ salutis, Apoc. XIX, 10. c. XXII, 8. 9.

Provocant quidem Pontificii ad Gen. XLVIII, 16. Jos. V, 14. aliaque Scripturæ S. loca, ubi tamen non de angelo creato, sed increato, scilicet Filio Dei, sermo est. Distinguunt etiam inter λατρείαν, δουλείαν & ὑπερδουλείαν. Λατρείαν soli Deo, δουλείαν angelis defunctisque sanctis hominibus & ὑπερδουλείαν virgini Mariæ humanæque Christi naturæ tribuunt. Sed distinctio hæc nullo nititur fundamento, quia dictæ voces synonyma sunt, quæ in Scriptura Sacra promiscue usurpantur, siquidem δουλεία æque ac λατρεία Deo tribuitur, ut ex Matth. VI, 24. 1 Thess. I, 9. Rom. XII, 11. c. XVI, 18. Act. XX, 19. aliisque locis

satis

fatis patet, ὑπερδουλεία vero vox eſt, a Pontificiis ad confirmandum ſuum errorem recens excogitata.



SECTIO III.

DE ANGELIS ſ. SPIRITIBUS MALIS.

CAPUT I.

DE LAPSU MALORUM SPIRITUUM.

Angelos ſ. ſpiritus in ſumma quidem perfectione creatos eſſe, ſed ita tamen, ut a Deo deficere potuerint, jam ſupra oſtendimus.

Nunc quæritur: *quomodo & quando lapſus malorum ſpirituum factus ſit?*

Deum non autorem eſſe eorum malitiæ, certum eſt. Omnes enim creavit *bonos*, Gen. I, 31. Joh. VIII, 44. Jud. v. 6. 2 Petr. II, 4. Creavit etiam ita, ut ſuam primævam integritatem facile conſervare potuiſſent, ſi non ſuo libero arbitrio ultro abuſi fuiſſent. Quale vero peccatum fuerit, per quod a bonitate concreata deſci-

desciverint & mali facti sint, adhuc inter Theologos disceptatur.

Jacobus Carpovius ipsam primorum hominum seductionem primum malorum angelorum peccatum fuisse, quo a Deo deflexerint, summo studio evincere studet in *Theol.* sua *Dogm. Tom. I. p. 731 sq.* Ita enim argumentatus est: Deus angelis legem dedit, ut ipsum recte colant & aliarum creaturarum felicitatem promoveant. Cum vero seducendo hominem Deum calumniati sint & blasphemaverint, homines autem in mortem præcipitaverint, legem sibi datam transgressi sunt. Sicuti vero omnis transgressio legis peccatum actuale est, ita sequi putat, angelos per seductionem hominis lapsos esse, 2 Petr. II, 4. 1 Joh. III, 8. Provocat inprimis ad Joh. VIII, 44. ubi diabolus homicida ab initio vocatur, & non perstitisse in veritate dicitur.

Verum concesso etiam hoc, quod scilicet seductio Adami & Evæ primum angelorum malorum peccatum actuale fuerit, exinde tamen non sequitur, in hoc ipsam lapsus eorum formam constitisse. Historia de lapsu hominum ita a Mose describitur, ut non dubium sit, autorem illius jam a Deo detrusum fuisse, antequam seductionem susceperit. Cur enim *serpens callidissimus* dictus foret seductor, si non malitiæ plenus ad homines accedisset?

Forma itaque *lapsus angelorum* fuit abusus liberi arbitrii ad efferendum se supra limites a

Deo

Deo præſcriptos. Exinde orta eſt abnegatio fiduciæ & obedientiæ, quam Deo debebant, Gen. III, 1. Joh. VIII, 44. Jud. v. 6. 1 Joh. III, 8. Recte hinc *Siracides* ſuperbiam omnis peccati principium nominat, c. X, 14. 15. Dedit etiam diabolus conſummatæ ſuæ ſuperbiæ ſingulare ſpecimen, cum a Chriſto adorari voluerit, Matth. IV, 9.

Factus eſt lapſus angelorum non intra ſextiduum creationis, ſed brevi poſt, quia Deus finito iſto omnia bona eſſe declaravit, Gen. I, 31.

Per lapſum hunc angeli mali non modo dona gratiæ amiſerunt, ſed tota etiam eorum natura ita corrupta & depravata eſt, ut lux atque cognitio in tenebras & ignorantiam, ſapientia in ſtultitiam & amor ſanctus in pravam philavtiam mutatus ſit, 2 Petr. II, 4. Eph. VI, 11. 12. Jac. II, 19. Apoc. XII, 9.

Status hic corruptus nunquam in iis tolli poteſt. Sunt enim non modo in malo obdurati, ſed carent etiam redemtore.

CAPUT II.

DE NOMINIBUS, NUMERO ET ORDINE MALORUM SPIRITUUM.

Præcipuum malorum ſpirituum *nomen* eſt *Diabolus*, quæ vox a διαβάλλειν, calumniari, 1 Tim. III, 11. deſcendit. Jure meritoque no-

men hoc iis imponitur, quia non modo Deum apud homines, Gen. III, 1. 4. 5. ſed etiam homines apud Deum, Hiob. I, 9. c. II, 4. 5. calumniantur.

In ſcriptis N. T. a Chriſto plerumque ita nominantur, Matth. XIII, 39. c. XXV, 41. Marc. XVI, 17. Luc. VIII, 12. c. XIII, 32. Joh. VIII, 44. nec non ab omnibus Evangeliſtis & Apoſtolis. Ipſis Judæis nomen hoc haud inconſuetum fuit, Sap. II, 24. Tob. VI, 17.

Sæpiſſime uſurpatur collective pro tota malorum ſpirituum cohorte, Matth. XXV, 41. Luc. VIII, 12. Joh. VIII, 44. Act. X, 38. Eph. VI, 11. 1 Petr. V, 8. 1 Joh. III, 8. Hebr. II, 14. Jac. IV, 7. Interdum etiam indicat principem malorum ſpirituum, de quo infra agetur.

Alterum nomen eſt *Satan*, quod hebraicum eſt & adverſarium ſignificat, Matth. XVI, 22. Imponitur malis ſpiritibus nomen hoc, quia conſtanter hominum ſaluti & felicitati adverſantur, 1 Petr. V, 8. & jurati eorum hoſtes ſunt, Matth. XIII, 25. 39. In ſingulari ſi uſurpatur vox hæc, plerumque principem diabolorum denotat, e. g. Hebr. I, 6. c. II, 1. Zach. III, 1. 2. Matth. IV, 10. 2 Cor. XII, 7. Apoc. II, 9. 13. c. XII, 9. c. XX, 20. Interdum etiam collective ſumitur pro toto ejus exercitu, e. g. Pſ. CIX, 6. Luc. X, 18. c. XI, 18. Rom. XVI, 20. 1 Cor. VII, 5. 2 Cor. XI, 14. 1 Theſſ. II, 18.

Tertium nomen eſt *dæmon* & *dæmonium*, Matth. VII, 22. c. IX, 33. 34. Joh. VII, 20. Vox hæc a

δαίειν,

δαίειν, *scire*, descendit. Habent nomen ab affectata rerum futurarum cognitione, quam magi & sagæ, spiritibus, quorum ope in magicis suis artibus utuntur, tribuunt, 1 Sam. XXVIII, 7. Act. XVI, 16.

Cætera nomina non proprie in malos spiritus competunt, quia certas tantum operationes & proprietates de iis indicant. Usurpantur autem ea plerumque collective.

Tali modo dicitur diabolus *magnus draco & antiquus serpens*, Apoc. XII, 9. c. XX, 2. quia primos homines in forma serpentis seduxit.

Dicitur porro *Deus hujus mundi*, 2 Cor. IV, 4. & *princeps mundi*, Joh. XII, 31. c. XIV, 30. c. XVI, 11. Eph. VI, 12. nec non *dominatio tenebrarum*, Col. I, 13. Eph. VI, 12. quia magnum super mundum & homines affectat dominium, Matth. IV, 8. 9. Vocatur etiam ὁ πονηρός, Matth. XIII, 19. *spiritus impurus*, Matth. XII, 43. Luc. XI, 24. *spiritus mendax*, 1 Reg. XXII, 22. Joh. VIII, 44. *spiritus crudelis*, Prov. XVII, 11. *homicida*, Joh. VIII, 44. *Apollyon*, Apoc. IX, 11. & *Belial*, s. *nequam*, qui nemini prodest, 2 Cor. VI, 15. Omnia hæc nomina lapsis spiritibus ob eorum malitiam tribuuntur.

Numerus malorum spirituum incertus quidem, at valde tamen magnus est, quia eorum tanquam magnæ cohortis mentio fit, Marc. V, 9. Eph. VI, 12. Plerumque *Satanæ* s. *draconis angeli* audiunt, Matth. XXV, 41. Apoc. XII, 9. 2 Cor. XII, 7.

Patet

Patet exinde, malos ſpiritus *certos* inter ſe habere *ordines.* Conſtituunt quaſi *regnum* aliquod, in quo datur princeps, cui cæteri parent. *Princeps* eſt *archi-diabolus* ille, qui a Judæis *Beel-Zebub* ſ. Deus ſtercoris, nominabatur, Luc. XI, 15. Chriſtus de ejus regno teſtatur, diſcordiam in eo non locum habere, Luc. XI, 17. 18. quia omnes mali ſpiritus in unum eundemque finem agant in operationibus ſuis, etſi tam malitia quam potentia inter ſe differant, Luc. XI, 24. Eph. VI, 12.

CAPUT III.

DE INTELLECTU ET COGNITIONE MALORUM SPIRITUUM.

Mali ſpiritus omnino gaudent *intellectu*, quia ſubſtantiæ intelligentes ſunt.

Eſt autem *intellectus* facultas cogitandi, quæ per varios actus præſtatur, quorum præcipui ſunt actus ſciendi & judicandi.

Cum vero totus malorum ſpirituum intellectus per lapſum valde corruptus & tam lumine gratiæ, quam lumine gloriæ deſtitutus ſit, nec cognitio nec judicium eorum ſuam debitam perfectionem & rectitudinem habet.

Cognitio diaboli in rebus naturalibus admodum quidem magna eſt, quia in mundo ſuam dominationem habet & omnium rerum naturam

ram (qua autem in perniciem hominum abutitur) accuratiſſime novit; at in rebus divinis ſatis parva, incerta & cum tremore, Jac. II, 19. timore, Matth. VIII, 29. & errore, Matth. IV, 6. conjuncta eſt. Eſt autem illa partim *naturalis*, partim *experimentalis*.

Futura contingentia cogitationesque hominum, quas iis non ipſe inſpiravit diabolus, prorſus neſcit, etſi ex nexu cauſarum multa conjecturare poſſit, quæ alias hominibus incognita ſunt.

Deſtitutus ſimul eſt diabolus *virtute* de rebus cognitis ac agendis recte *judicandi*. Hinc Chriſtus Joh. VIII, 44. de diabolo teſtatur, veritatem non eſſe in eo. In dicendo itaque non verax eſt, ſed mendax, deceptor & calumniator. In ratiociniis ſuis valde errat & haud raro, dum regno Dei nocere ſtudet, ejus incrementum promovet. Poteſt hoc colligi ex hiſtoria paſſionis Chriſti, cujus mortem Satanas ſummo ſtudio promovit, non judicans, inde ſibi maximam contractum iri noxam ac damnum.

Tribuitur quidem intellectui ejus magna *calliditas* & *aſtutia*, Gen. III, 1. Eph. VI, 11. 2 Cor. XI, 14. ſed vera ſapientia & prudentia ei deeſt, quia utraque ſine lumine divino, quod per lapſum amiſſum eſt, in ſubſtantia intelligente ceſſat.

CAPUT

CAPUT IV.

DE VOLUNTATE MALORUM SPIRITUUM.

Habent mali angeli f. ſpiritus omnino facultatem appetendi & averſandi, ſed perverſe eam exercent.

Naturaliter omne verum bonum appetere & omne verum malum averſari debent, quia hoc ad perfectiones pertinet, quas iis Deus in creatione largitus eſt. At cum per lapſum primævam ſuam integritatem & divinam imaginem prorſus amiſerint, voluntas eorum in tantam cecidit perverſitatem, ut nunc verum bonum averſentur & verum malum appetant.

Verum bonum omne id eſt, quod cum voluntate Dei convenit, & *verum malum*, quod cum eadem pugnat. Exinde ſequitur, diabolum cum ſuis angelis Deo ejusque regno conſtanter adverſari, nec non erga omnes, qui Deum amant & colunt, ſe infenſiſſimum præbere. Dicitur propterea ὁ πονηρὸς, 1 Joh. II, 13. ὁ ἀντίδικος, 1 Petr. V, 8. & ὁ ἐχθρὸς, Matth. XIII, 27. opponiturque Deo tanquam contrarius Dominus, Luc. XI, 23. 2 Cor. IV, 14. 15. Matth. VI, 24. Marc. VIII, 33. Eph. VI, 11. 12. qui perpetuo inſidias parat hominibus, ut

ut eos a Deo avertat & in æternam perniciem detrudat, 1 Petr. V, 8. Apoc. XII, 9. 10. 12.

Non deest angelis damnatis *libertas voluntatis*, quæ tamen non versatur circa bonum & malum, sed tantum circa varia mala, ex quibus hoc vel illud eligere solent.

Nec desunt malis spiritibus vehementes voluntatis motus, quos alias *affectus* nominamus. Tribuitur enim iis *ira*, Apoc. XII, 12. 1 Petr. V, 8. *invidia*, Sap. II, 24. *tremor*, Jac. II, 19. & *odium*, Joh. VIII, 44. 1 Petr. V, 8. nec dubitandum est, quin *perpetuo dolore* ob suam damnationem angantur.

Pluribus infra ostendemus, quam multifarie malam suam voluntatem erga homines declarent.

CAPUT V.

DE POTENTIA MALORUM SPIRITUUM.

M*agnam* omnino *potentiam* habent spiritus mali, quæ tamen a Deo valde limitata est. Citra divinam voluntatem neminem lædere possunt, Hiob. I, 12. Matth. VIII, 31. Vincti propterea dicuntur catenis tenebrarum, 2 Petr. II, 4.

Notatu dignissimum exemplum potentiæ diabolicæ præbet historia Jobi, cujus infausta fata omnia a diabolo veniebant, Hiob. I & II. Recte hinc a Christo ὁ ἰσχυρὸς s. *validus* & *fortis* dici-

dicitur, Matth. XII, 29. Luc. XI, 21. Petrus eum cum *rugiente leone* comparat, 1 Petr. V, 8. & Paulus admonet nos de ignitis telis ejus, tanquam *potentis principis*, qui non habeat carnem caducam, nec sanguinem, Eph. VI, 12.

Gaudet potentia agendi in omnia elementa, meteora & animantia, Hiob. I, 16. 19. Matth. VIII, 32. nec non in corpora hominum, Hiob. II, 7. Luc. XIII, 16. & animas, 1 Chron. XXII, 1. Matth. XVI, 23. Hiob. I, 15. 17. Satis id cognoscitur ex ejus operationibus & obsessionibus, de quibus infra pluribus agetur.

Tam *mirabiles* interdum edit diabolus in natura *effectus*, ut istos difficulter a veris miraculis distinguere possimus. Ne vero hominibus per terribilem suam formam horrorem incutiat, nec eos impediat, eidem confidere, utitur plerumque ope hominum.

Hujus generis sunt omnes *sagæ* & *magi*, qui per magiam diabolicam tam mirificas faciunt operationes, ut omnem fere fidem superent. Exemplum præbent magi Ægyptiaci, qui æque ac Moses baculos suos in serpentes permutabant & ranis terram implebant, Exod. VII, 11. 12. c. VIII, 7. Ipse Antichristus per miras Satanæ operationes dignitatem & auctoritatem suam in ecclesia stabilivit, 2 Thess. II, 9-11.

Neutiquam tamen diabolo vera *miracula* adscribi debent. In solum Deum ea competunt. Sunt tantum *mirabiles* naturæ *effectus*, quos diabolus per occultum causarum nexum mirifice producit.

CAPUT

CAPUT VI.

DE

OPERATIONIBUS MALORUM SPIRITUUM ORDINARIIS.

Substantia intelligens nunquam otiosa est. Semper aliquid operatur pro inclinatione voluntatis suae. Mali itaque spiritus in continua operatione versantur, Hiob. I, 7. Luc. XI, 24. 1 Petr. V, 8. Sunt autem operationes eorum omnes voluntati Dei & saluti hominum contrariae, quia jurati Dei hominumque hostes sunt, qui amplificationem regni divini quovis modo impediunt, eique damnum inferunt, Matth. XIII, 28. Luc. XI, 20. 23. Apoc. XII, 7. 12. homines vero in aeternam perniciem detrudere student, 1 Petr. V, 8. Utuntur propterea variis artibus & insidiis, Eph. VI, 11. 12.

Spectant vero operationes malorum spirituum tam ad pios, quam ad impios homines. *Impios* laqueis suis captivos ducunt, 2 Tim. II, 26. Eph. II, 2. intellectum eorum excoecant, 2 Cor. IV, 4. verbum Dei de cordibus eorum sumunt, Luc. VIII, 12. & denique eos quotidie ad nova peccata alliciunt, inque iis obdurant.

Pios ad suum regnum reducere student, & quidem partim tentando, Gen. III, 1. Matth. IV, 1. 1 Cor. VII, 7. Apoc. II, 10. partim al-

liciendo, Luc. XXII, 31. Impetrant interdum quoque ſcopum ſuum, 1 Tim. V, 15. quapropter Paulus Eph. VI, 11 - 17. armaturam ſpiritualem commendat, ne in certamine cum malis ſpiritibus ſalus animæ in diſcrimen veniat, Petrus vero 1 Petr. V, 9. fide & vigilantia iis reſiſtere jubet.

Nocere conantur partim *corporibus hominum*, dum morbos immittunt, Luc. XIII, 11. 16. & variis plagis corpora afficiunt, Hiob. II, 7. partim *bonis & opibus*, dum illas perdunt, Hiob. I, 16. 19. aut auferunt, Matth. VIII, 32. partim *menti*, dum eam inquietant, 1 Sam. XVI, 14. partim *ipſi animæ*, dum homines a Deo avertunt, in errores ducunt & per peccata in æternam damnationem trahunt.

Speciatim mali ſpiritus *cuilibet ſtatui hierarchico* adverſantur.

Statui eccleſiaſtico obſunt, quando hæreſes ſpargunt, Matth. XIII, 27. 1 Tim. IV, 1. 2. 2 Theſſ. II, 8. falſum Dei cultum in eccleſiam introducunt, 1 Reg. XII, 28 - 31. doctores eccleſiæ falſiloquos reddunt, 1 Reg. XXII, 22. Jer. XIV, 14. c. XXIII, 21. 30. ſcandala excitant, Matth. XVI, 23. c. XVIII, 6. 2 Cor. VI, 3. pios & ſalutares miniſtrorum eccleſiæ conatus impediunt, 1 Theſſ. II, 18. auditores a pia meditatione verbi abducunt, Luc. VIII, 12. & perſecutiones contra doctrinam & eccleſiam chriſtianam moliuntur, Apoc. XII, 7. 11. 13-17. c. XIII, 4. 7.

Statui politico nocent, quando principibus mala consilia inspirant, 1 Chron. XXII, 1. Dan. X, 13. injusta bella excitant, 1 Reg. XXII, 21. 22. & dissidiorum semina in republica spargunt, quibus res maximæ dilabuntur, Luc. XI, 17.

In *statu œconomico* officiunt *conjugibus*, lites serendo & ad libidinem sollicitando, 1 Cor. VII, 5. *liberis*, bonam educationem impediendo, eosque contra parentes incitando infelicesque reddendo, & *œconomiæ*, servos servasque perfidiosos & obstinatos reddendo, jacturam rei domesticæ causando, discordiamque in familia excitando.

Agunt mali spiritus quidem libere, sed dirigit Deus plerumque actiones eorum ad bonum finem, & quidem tam ad castigandos pios, Hiob. I & II. 2 Cor. XII, 7-9. quam ad puniendos impios, Ps. LXXVIII, 49.

CAPUT VII.

DE MAGIA DIABOLICA.

Magia nomen habet a *magis*, hominibus in omnium bonarum artium & philosophiæ studiis apud Persas, olim versatissimis. Indoctæ plebi eorum scientia de rebus occultis tam mirifica videbatur, ut eam commercio cum spiritibus tribuere non dubitaret. Ex-

inde ortum eſt nomen *Magia*, per quam intelligitur ſtudium, occultas artes ope ſpirituum malorum exercendi.

Duplex datur *Magia*, naturalis & diabolica. *Magia naturalis* eſt ipſa philoſophia ſublimior, quatenus a plebe, occultarum naturæ cauſarum ignara, falſo ſpiritibus malis eorumque commercio adſcribitur; *Magia diabolica* vero eſt ea ipſa, quam ſupra deſcripſimus. Dicitur *diabolica*, quia omnino a diabolo venit. Alias etiam *Nigromantia* h. e. atra ars, die ſchwartze Kunſt, vocatur.

Sunt, qui omnem *magiam diabolicam* negant & inter aniles referunt fabulas. Sed neutiquam in dubium vocari debet, ſi ad Scripturæ S. trutinam perpendimus, quæ experientia nos docet, optima rerum magiſtra.

Omnis magia diabolica involvit *commercium* aliquod cum malis ſpiritibus, quod vel *explicitum*, vel *implicitum* eſt.

Eſt vero *magia diabolica* vel *divinatrix* vel *operatrix*. Illa verſatur circa futurarum occultarumque rerum revelationem, hæc vero circa mirificos rerum naturalium effectus, qui plerumque in alterius perniciem vergunt. Homines, qui priori magiæ dediti ſunt, *vates*, *pythones* & *pythoniſſæ*, nec non germanice kluge Männer & kluge Weiber nuncupantur. Tales fuerunt mulier Endoræa, 1 Sam. XXVIII, 7. 8. & ancilla Philippica, Act. XVI, 16. 18. In lingua Hebræa dicebantur אבות, Lev. XIX,

31.

31. quia plerumque ex tumido ventre, tanquam utre, oracula depromebant. Veteres Græci ex eadem causa tales homines ἐγγαστριμύθους & ἐγγαστριμάντας vocabant, cujus generis Pythonissa Delphica fuit, cujus oracula pro divinis habebantur.

Ejusmodi vaticinandi modus nec naturalis nec divinus est, quia non modo certo spiritui adscribitur, sed etiam severissime a Deo interdicitur, Lev. XIX, 31. c. XX, 27. Num. XXIII, 23. Deut. XVIII, 10-12.

Magia operatrix per varias operationes exercetur ope diaboli. Homines hujus artis periti proprie nominantur *magi*, nec non *sagæ*, *incantatores*, *præstigiatores*, *præstigiatrices* & *incantatrices*. Scriptura S. multoties eorum meminit & incantationibus eorum magicisque operationibus tales tribuit effectus, qui humanam fere fidem excedunt. Allegari hic merentur exempla majorum Ægyptiacorum, Exod. VII & VIII. Simonis Magi, Act. VIII, 9. & Elimæ, Act. XIII, 8-10.

Quis dubitet, nostris quoque temporibus dari homines, qui permittente Deo incantationibus & aliis occultis artibus diabolicis alios fascinare & non modo valetudini corporis, sed etiam rei domesticæ damnum inferre queant. Nec creditu absurdum est, ejusmodi homines sibi interdum adscivisse certos spiritus familiares, quos vulgus modo draconem, modo den Kobolt, modo den Hecke-Mann nominat, cujus

ope magiam suam exercent. Cum spiritus vaticinantes, quibus mulier Endoræa & ancilla Philippica olim usæ sunt, omnino fuerint spiritus familiares, cur non plures dari queant etiam nostris temporibus?

Sed omne commercium cum malis spiritibus, nec non omnes operationes magicæ ad abominanda crimina pertinent. Satis hoc patet ex tot interdictis divinis, quæ in Scriptura S. occurrunt, inter quæ allegasse sufficiant loca Exod. XXII, 18. Num. XXIII, 23. Mal. III, 5. Apoc. XXI, 8. c. XXII, 15. Deus enim & diabolus, lux & tenebræ, Christus & Belial non concordare, nec inter se commercium habere possunt, 2 Cor. VI, 14. 15. Luc. XI, 23. Matth. VI, 24.

CAPUT VIII.

DE OBSESSIONIBUS MALORUM SPIRITUUM.

O*bsessio* h. l. vox ecclesiastica est, quæ a Theologis ad exprimendam & designandam illam afflictionem diabolicam usurpatur, quam Scriptura S. δαιμονίζεσθαι vocat.

Duplex datur *obsessio diabolica*, nempe *corporalis* & *spiritualis*.

Obsessio corporalis illud opus diaboli est, quo per subtilitatem substantiæ suæ corpus hominis intrat

intrat & turbato liquido nerveo motus dolorosos in illo excitat, omniaque organa & membra ejus ad suam voluntatem dirigit. Dicuntur tales miseri homines a scriptoribus sanctis *dæmoniaci* s. δαιμονιζομένοι, nec non καταδυναστευομένοι ἀπὸ τοῦ διαβόλου; h. e. a diabolo sub suam potestatem redacti, Act. X, 38.

Horum nullo tempore plures fuerunt, quam tempore Christi, Matth. VIII, 16. 28. Marc. I, 32. Luc. IV, 41. Act. X, 38. Sapienter Deus id tunc temporis præcipue diabolo permisit, ut Christus eo magis se potentiorem præstaret hoc potente spiritu, Luc. XI, 22. nec non ut ostenderet, se venisse, ut opera diaboli destruat, 1 Joh. III, 8.

Nostris temporibus exempla quidem rara sunt, sed tamen non prorsus neganda, inprimis inter Pontificios, apud quos diabolus adhuc multum pollet, 2 Thess. II, 9. 10. Habent isti certum genus clericorum, quos *Exorcistas* nominant, quorum est, diabolum expellere. Ne vero frustra officio suo fungantur, fingunt sæpissime diabolos, quos ad defraudandam plebem facili negotio ex hominibus ejiciunt. Caveamus autem, ne omnem obsessionem diaboli corporalem cum D. Jo. Casp. Westphalo negemus, qui in *Pathologia* sua *Dæmoniaca* eam per morbos convulsivos interpretatur.

Obsidet vero diabolus non solum impios, sed interdum etiam *pios*, ut exempla docent Jobi,

cujus corpus satanas miserrime afflixit, c. II, 7. 12. 13 & Pauli, quem angelus Satanæ colaphis cecidit, 2 Cor. XII, 7. Recte hinc *B. Gerhardus* scripsit: *Quodsi Paulus, tantus Apostolus, a Satana colaphizatus est, ne magnitudo revelationum ipsum extolleret, quid mirum, si etiam satanæ potestas ad tempus in corpora piorum concedatur?*

Misere autem diabolus tunc corpus hominis excruciat, inque eo tam mirabiles & peccaminosos effectus producit, ut ex unguibus hisce infernalis leo satis cognosci, ejus vero operatio ab epilepsia, aliisque morbis aut fascinationibus bene distingui possit.

Merentur hic allegari verba *Friderici Hoffmanni*, celeberrimi quondam Medici Hallensis, qui de potentia diaboli in corporibus humanis ita scripsit: *Ad recipiendas operationes diaboli in corpore humano dispositio quædam adesse debet, qua præsente eas felicius effici potest. Hinc senes, aniculæ melancholici, victu duro & crasso fruentes, sub cœlo frigido degentes &c. magis dispositi & idonei sunt ad recipiendas operationes diaboli, quam alii, in quibus contrarium est. Dantur propterea in terris septentrionalibus plures sagæ, quam in Gallia & Italia.*

Obsessio spiritualis ea est diaboli operatio, qua animam hominis ita occupat, ut nec cogitare nec velle aliud quid possit, quam quod ipse suggerit. Talis obsessio erat, cum Satan intraverit cor Judæ, Luc. XXII, 3. Joh. XIII, 27. Impellit hoc, modo diabolus homines

homines ad varia ſcelera, Joh. XIII, 2. Operatur efficaciter in iis incredulitatem, Eph. II, 2. Excoecat ſenſus, ne illuceſcat iis lumen evangelii, 2 Cor. IV, 4. Ducit eos ad voluntatem ſuam tanquam laqueo implicatos, 2 Tim. II, 26. Obdurat eos in malitia, inſpirat ſcandaloſas & blasphemas cogitationes, implet animum peſſimis conſiliis, cor vero turpiſſimis cupiditatibus, nec non impedit omnem reverſionem ad bonam frugem. Jure meritoque hinc ejusmodi homines *filii Satanæ*, Joh. VIII, 44. & τοῦ πονηροῦ, Matth. XIII, 38. vocantur.

CAPUT IX.

DE SPECTRIS S. APPARITIONIBUS MALORUM SPIRITUUM.

S*pectra* in Græca lingua Φαντάσματα dicuntur. Sunt terricula & ludibria diaboli, quibus homines vel terrere, vel ſeducere, vel iis nocere ſtudet.

Manifeſtant ſeſe partim per viſum, partim per auditum, partim per tactum, & ſunt operationes malorum ſpirituum extraordinariæ, quibus vel imaginationem noſtram, vel ſenſus decipiunt, ita, ut videamur nobis prodigioſum quid vel cernere vel audire, quod tamen illico evaneſcit.

Oritur interdum in auribus noſtris tantus ſtrepitus, quaſi omnia vaſa in cella & culina in mille ruinas dirumperentur, quæ tamen poſtea illæſa inveniuntur. Pari modo percipitur aliquando vox vel hominis vel animalis, nullibi tamen præſentis.

Quæſtio inde orta eſt: *num ſpectra magis intra, quam extra nos exiſtant?* Si præſentiam ipſam diaboli & veram ejus operationem in nos non negamus, neſcio, cur non prius affirmemus. Objicit enim diabolus glaucoma oculis & imprimit imaginationi viſus & ſonos, qui extra nos revera non exiſtunt. Exinde cognoſcitur cauſa, cur ex duobus ſæpiſſime tantum unus aliquid videat vel audiat, quod tamen alter ſe non videre aut audire teſtatur.

Omnis ſpiritus per ſe eſt inviſibilis. Niſi corpus aliquod induit, non ſenſibus percipi poteſt. Ejus igitur operationes vel per deceptionem phantaſiæ & ſenſuum, vel per effectum ſeſe manifeſtant.

Hinc tempore noctis præcipue ſpectra graſſantur, quia phantaſia tunc ad recipiendas falſas ideas maxime diſpoſita eſt. Plurimum quoque valent ſpectra apud pavidos homines, quorum imaginatio jam variis portentis repleta eſt.

Abſit tamen, ut *ſpectra* per ſe negemus, cum eorum mentio fiat in Scriptura S. Exempla de iis occurrunt 1 Sam. XXVIII, 13. 14. & Sap. XVII, 15. coll. Pſ. LXXVIII, 49. In Judaica eccle-

ecclesia omnino olim credita sunt, ut ex Matth. XIV, 26. & Luc. XXIV, 37. patet, ubi de Christi discipulis narratur, quod falso putaverint, se videre spectrum.

Christus ab opinione de spectris sine dubio eos tunc liberasset, si prorsus nulla dentur. Evitare autem hic debemus tam nimiam credulitatem, quam nimiam incredulitatem.

Ad spectra referendæ sunt omnes sic dictæ *apparitiones defunctorum hominum*, qui per se nunquam in hanc vitam redeunt, sed in statu suo, in quem post obitum transferuntur, perpetuo manent usque ad diem judicii. Pontificii valde errant, quando per ejusmodi apparitiones animas mortuorum intelligunt, quæ ob certas causas non quietem habeant, sed tamdiu in mundo oberrare debeant, donec per sacrificia missatica expientur & ex purgatorio liberentur. Provocant ad Sir. XLVI, 23. ubi Samuel post mortem apparuisse & Regi Saulo imminentem interitum annunciasse dicitur. Sed locus hic occurrit in libro Apocrypho. Ex 1 Sam. XXVIII, 6-14. potius patet, diabolum personam mortui Samuelis induisse & Saulum ad desperationem commovisse.

Tota de apparitionibus defunctorum hypothesis cum satisfactione Christi valde pugnat. Diabolus eo magis Pontificios per ejusmodi apparitiones ludibrio habet, ut in erroribus suis detineat.

Quæ-

Quæritur hic etiam: *quid de ominibus, quæ imminentem mortem aut infortunium aliquod præsagiunt, judicandum sit?* Diabolo ista non temere adscribenda sunt, sed potius bonis angelis, qui homines interdum de rebus futuris jussu Dei admonere solent.

CAPUT X.

DE JUDICIO ET DAMNATIONE MALORUM SPIRITUUM.

Judicium super diabolum & malos spiritus statim post lapsum eorum factum est, cum in totius naturæ suæ corruptionem & in extremam immutabilemque miseriam ceciderint. Instare quidem iis adhuc majus & durius judicium dicitur Jud. v. 6. 2 Petr. II, 4. sed intelligitur per istud nil nisi publicatio & executio divini judicii in die mundi extremo expectanda.

Juxta sacram Apocalypsin nonnulli Theologi *tres* faciunt *gradus damnationis* diaboli, quorum primus est ejectio ex cœlo aëreo, Apoc. XII, 8. 9. alter præcipitatio ejus in abyssum, Apoc. XX, 2. 3. quam deprecatus sit Satan, Luc. VIII, 31, & tertius detrusio in locum sulphureum, Apoc. XX, 10. verum omnia hæc loca alium quoque sensum habere possunt.


Id, quod extra dubitationis aleam positum est, in eo consistit, ut credamus, malos spiritus

ritus in ſtatu quidem damnationis vivere, ultimum vero ſupplicium iis adhuc imminere, ut ex ſupra allegatis locis Judæ & Petri patet.

Sentiunt autem & *pœnam damni* & *pœnam ſenſus*. Illa in jactura boni, hæc vero in ſufferendis malis conſiſtit. *Pœna ſenſus* alias dicitur ignis æternus, Matth. XXV, 41. & palus ignis ſulphurisque plena, Apoc. XX, 10. Qualis vero ignis ſit & quomodo a ſpiritibus ſentiri queat, non exponi poteſt. Hieroglyphice forſitan infernales cruciatus per eum intelliguntur.

Erunt autem *pœnæ*, quibus affliguntur mali ſpiritus, æternæ, Matth. XXV, 41. 46. Marc. IX, 45. 46. Apoc. XX, 10.

Pœna divina delicto æqualis eſſe debet. Omne igitur peccatum contra infinitum Deum infinitam quoque pœnam meretur. Nec ἀποκατάστασις, Act. III, 21. nec ἀνακεφαλαίωσις, Eph. I, 10. nec ἀποκατάλλαξις τῶν πάντων, Col. I, 20. in eorum ſalutem conducit, ut ſuo loco pluribus oſtendemus. Iis enim non datus eſt redemtor, Hebr. II, 16. Cur vero Deus lapſos ſpiritus non redemerit, factum forſitan eſt, 1) quia auxilium reſpuerunt, 2) redemtionis ſalva Dei juſtitia non participes fieri potuerunt, & 3) ex libero arbitrio a Deo defecerunt.



LIBER



LIBER V.
DE
HOMINE.

Quinque momenta ſunt, quæ ſacrarum literarum cultor *de homine* diſcere debet, nempe 1) ejus *natura*, 2) *imago divina*, 3) *lapſus*, 4) *peccatum* & 5) *mors*. Ne vero liber cæteros magnitudine excedat, *de peccato* in ſingulari libro agemus. Quæ vero de hominis *natura*, *imagine divina*, *lapſu* & *morte* ſcitu neceſſaria ſunt, in tot Sectionibus jam perpendemus.

SECTIO I.
DE
HOMINIS NATURA
ET
CONSTITUTIONE.

CAPUT I.
DE
HOMINE IN GENERE.

Homo eſt ſubſtantia intelligens, ex duabus partibus, anima rationali & corpore organico,

ganico, conſtans, ad imaginem divinam in eum finem creata, ut gloriam Dei promoveat & vita felici in æternum fruatur.

Dicitur in lingua Hebræa אָדָם, *Adam*, ab הָאֲדָמָה, h. e. *terra rubicunda*, ex qua creatus eſt, Gen. II, 7. Accepit nomen hoc in recordationem ſui ortus & interitus, Gen. III, 19. 1 Cor. XV, 47. Eandem ſignificationem habet vox latina *homo*, quæ ſine dubio ab *humo* ſ. terra derivatur.

Imponebatur nomen *Adam* ſ. *homo* tam mari quam fœminæ, Gen. V, 2.

Primo nomen proprium fuit primi hominis, deinde factum eſt nomen appellativum totius generis humani, Gen. VI, 3. Eccl. III, 19.

Alias homo in lingua ſancta etiam nominatur אֱנוֹשׁ a אָנַשׁ, h. e. *æger fuit*. Significat itaque miſeram & ærumnoſam creaturam, Pſ. VIII, 5. Pſ. CXLIV, 3.

Homo non ex tribus *partibus eſſentialibus*, ſed tantum ex *duabus* conſtat. *Spiritus* enim & *anima* in homine unum idemque ſunt. Si hæ voces conjunguntur, e. g. Hebr. IV, 12. 1 Theſſ. V, 23. Luc. I, 46. 47. per *ſpiritum* intelligitur id, quod in hominis renati natura regenitum eſt. Probatur hicce ſignificatus ex Joh. III, 6. Rom. VIII, 10. Gal. V, 17. 22. c. VI, 18. 2 Tim. IV, 22. Jud. v. 19.

Homo inter omnes creaturas terreſtres excellentiſſima eſt. Patet hoc 1) ex ſingulari Dei conſilio, de eo creando, Gen. I, 26. 2) ex mirifica

rifica ejus ſtructura, 3) ex ejus præſtantiſſimis donis & prærogativis, & denique 4) ex ejus pretioſiſſima redemtione.

Homo totius mundi, a Deo ad ſuam gloriam creati, interpres eſt. Jure meritoque hinc dicere poſſumus, omnia propter hominem condita eſſe, hominem vero propter Deum.

Accommodata enim ſunt in mundo omnia vel ad hominis utilitatem, vel ad ejus neceſſitatem, vel ad ejus delectationem, & quidem ita, ut in omnibus celebretur bonitas, ſapientia & potentia Dei, Pſ. XIX, 2 - 4. Pſ. CIV. CXXXVI & CXLVIII. Quæ celebratio ut per hominem debite fiat, iſte a Deo tot donis excellentiſſimis præditus eſt.

Mirifica hominis ſtructura præſtantiſſimæque ejus virtutes repræſentant quaſi in nuce totam mundi machinam, quapropter homo a quibusdam *microcosmus* ſ. *parvus mundus* appellatur. Eſt igitur valde deplorandum, quod tam excellentiſſimum omnipotentiæ divinæ ſpecimen non priſtinam retinuerit perfectionem.

Homo in *quadruplici ſtatu* conſiderandus eſt, nempe in ſtatu integritatis, in ſtatu transgreſſionis, in ſtatu reparationis & in ſtatu glorificationis. Alii nominant quadruplicem hunc ſtatum, ſtatum innocentiæ, miſeriæ, gratiæ & gloriæ.

Status integritatis ſ. *innocentiæ* ille fuit, in quo homo ante lapſum vixit.

Status

Status transgressionis s. *miseriæ* sequebatur lapsum, qui hominem tam corporaliter, quam spiritualiter miserum reddidit.

Status reparationis s. *gratiæ* dicitur ille, in quem homo per gratiam in Christo receptus est.

Status denique *glorificationis* s. *gloriæ* consistit in vita æterna, ad quam post beatam mortem a Deo evehitur.

CAPUT II.

DE

CREATIONE ET PROPAGATIONE HOMINIS.

Homo inter omnes creaturas, quas Deus in principio rerum intra primos sex dies produxit, ultima fuit, Gen. I, 26. Factum id est, ut omnia, quæ emolumento & oblectamento ei esse poterant, jam parata inveniat.

Patet exinde, hominem inter omnes creaturas terrestres præcipuam & excellentissimam esse. Placuit autem Creatori, tantum unum in principio condere hominem, cui postea alterum addidit.

Ante ejus creationem non extiterunt alii homines, ut perversus Peyrerius somniavit, qui *Præ-Adamitas* illos vocavit, alius vero Anglus *Co-Adamitas* nominavit. Ex Gen. II, 5. 7. 1 Cor. XV, 45. & Act. XVII, 26. facile utraque sententia refutari potest.

Hominem ex *duabus* tantum *partibus essentialibus*, corpore ſcilicet & anima, conſtare, jam ſupra demonſtravimus. Hæ partes, ſi conjunctæ ſunt, vivam conſtituunt perſonam, Gen. II, 7.

Corpus hominis ex terra conditum eſt, uti omnia alia animantia terreſtria, Gen. I, 24. Dicitur enim factus eſſe עָפָר מִן הָאֲדָמָה h. e. *pulvis ex terra rubra*, Gen. II, 7. Nonnulli exinde cum Tertulliano conjecerunt, Deum addito liquore pulverem in limum aut argillam coagulaſſe & ita corpus humanum fabricaſſe. Credat quisque, quod velit, hoc tamen certum eſt, corpus primi hominis ex glebula mollis humidæque terræ, & quidem rubræ formatum eſſe. Formavit autem Deus illud, ſicut figulus ollam, uti vox יָצַר Gen. II, 7. coll. Hebr. X, 8. indicat. Formavit ita, ut vultu ad cœlum directo incedat & ſic oſtendat, quo præcipue tendere debeat.

Neutiquam vero corpus hoc neo-creatum per ſe exanime, ſed potius vividum fuit, etſi anima nondum inſpirata ſit. Habet enim corpus ſpecialem ſuam vitam, a vita totius hominis, quæ in unione corporis cum anima conſiſtit, diſtinctam, quæ tamen ita comparata eſt, ut communiter poſt diſceſſionem animæ a corpore ſimul cum vita totius hominis extinguatur.

Eodem momento, quo productio corporis fiebat, facta etiam eſt inſpiratio animæ.

Anima vero hæc non ex materia prima, uti aliorum animantium animæ, ſed immediate

a Deo

a Deo, ſicut cæteri ſpiritus, ex nihilo producta & ſic indeſtructibilis reddita eſt.

Eſt itaque anima hominis a Deo quidem, ſed non ex Deo creata, ut *Petrus Poiret* & alii de grege Fanaticorum perhibent, qui animam vel ex eſſentia Dei emanaſſe, vel partem ipſius divinæ eſſentiæ eſſe docent. Generis Dei quidem eſſe dicimur, Act. XVII, 28. 29. at non ob emanationem ex eſſentia Dei, ſed propter imaginem Dei nobis in creatione collatam.

Nominat Moſes id, quod Deus homini primo inſpiravit, נִשְׁמַת חַיִּים h. e. *ſpiraculum vitarum* ſ. principium reſpirationis vivæ. Exprimit hæc vox optime naturam animæ humanæ, quippe quæ non immaterialis & per ſe viva, ſed etiam totius machinæ humanæ unica vis motrix & omnium ejus operationum tam internarum quam externarum cauſa eſt.

Halitum aſſimilat, qui non modo inviſibilis eſt, ſed multum etiam in homine valet, certiſſimumque ſignum eſt, vitam vere ineſſe corpori. Hac de cauſa etiam dicitur Deus inſpiraſſe animam in *nares*, quia halitus per nares ſpiratur & reſpiratur.

Fuit autem *inſpiratio Dei* medium, quo uſus eſt, cum animam corpori ingenuerit. Et per hanc inſpirationem homo factus eſſe dicitur נֶפֶשׁ חַיָּה, h. e. *perſona viva* & *vera*. Probatur hæc ſignificatio vocis נֶפֶשׁ ex multis Scripturæ S. locis & inprimis ex Num. XXIII, 10. & Ezech. XVIII, 5.

Accipiebat homo *nomen* אָדָם, *Adam*, quia corpus ejus מן האדמה h. e. *ex terra rubra* creatum est. Indicatur itaque substantia s. animans, colore rubello, quo ordinarie humanum corpus obductum est, conspicuum.

Fuit autem Adam in principio neutiquam *ἀνδρόγυνος* s. *duplicis sexûs*, sed genuinus mas. Deus enim Gen. I, 27. non dicitur creasse marem & fœminam *illum*, sed אֹתָם, *illos*. Locus vero Matth. XIX, 5. 6. non de physica corporum agglutinatione, sed arctissimo amoris & amicitiæ conjugalis vinculo agit.

Deus haud bonum esse judicavit, hominem manere solum. Decrevit igitur, *mulierem* s. *fœminam* creare, eamque illi associare, Gen. II, 18. Fecit hoc eodem die, quo Adamum condidit Gen. I, 27. Cum enim non invenienda sit inter animalia socia, quæ כְּנֶגְדּוֹ, h. e. *conveniens ei* sit ad conversandum & concubandum, Deus in gravem somnum delabi jussit Adamum, quo durante ex ejus costa mulierem formavit, Gen. II, 21. 22.

Costa, ex qua condita est mulier, non fuit in mare superflua, alias corpus ejus monstrosum fuisset. Neque exemta hac costa Deus corpus mutilavit, sed potius defectum per aliam costam resarcivit, Gen. II, 21.

Quæritur autem: *num Deus animam primæ mulieris immediate, sicut Adami animam, an simul ex costa Adami creaverit?* Verisimillima sententia est, animam mulieris simul cum corpore ex

ex costa Adami conditam & quasi ab anima ejus, ut lux a luce, accensam esse, quia tota mulieris persona de mare sumta dicitur, Gen. II, 22.

Placuit vero Deo, mulierem ex corpore virili formare, ut inde eo clarius pateat non modo ὁμοουσία utriusque sexus & quod pares inter se sint mas & fœmina, tam respectu naturæ, quam respectu originis, sed etiam, ut se invicem eo magis ament, eoque familiarius secum vivant.

Mulier, quia propter virum creata est, omnino dignitate inferior est *viro*, 1 Cor. XI, 7-9.

Scopus primarius Dei in creanda muliere fuit *propagatio generis humani.* Corpus Adami quidem in creatione ad generandum sui similem aptum reddiderat, eique instinctum ad concubandum ingenuerat Deus, sed deerat fœmina, quacum concubaret. Hanc igitur creabat Deus ex costa ejus & ita formabat, ut ad concubandum, concipiendum & pariendum idonea foret. Accedebat divina benedictio de procreanda sobole, Gen. I, 28. quæ statim in effectum transiit, ita, ut brevi tempore Cain & Habel nascerentur, Gen. IV, 1. 2.

Hac ratione ex unius sanguine s. semine omnium hominum generationes in toto terrarum orbe ortæ sunt, Act. XVII, 26. Jure meritoque hinc *prima mulier* nomen חַוָּה s. *Eva* accepit, Gen. III, 20. quia communis mater omnium hominum est.

Primi parentes totum genus humanum coram Deo repræſentabant, quia in iis omnes latuerunt poſteri, quos Deus ſecundum ſuam omniſcientiam ſtatim in principio cognovit & ut ſuo tempore & ordine vi benedictionis ejus naſcantur, decrevit.

Propagatur autem per generationem non modo corpus, ſed etiam anima, ut infra pluribus oſtendemus.

CAPUT III.

DE
CORPORE HOMINIS.

Corpus eſt ea hominis pars eſſentialis, quæ materialis & organica eſt. Conſtat ex multis mirifice connexis artubus, qui ex oſſibus, carne obductis, & innumeris venis, nervis & arteriis, quibus ſanguis & alii humores circulantur, compoſiti ſunt.

Cavamen ejus variis inteſtinis repletum eſt, quæ ad nutriendam, augendam & conſervandam hominis ſtructuram faciunt.

Convenit quidem corpus humanum in multis cum corporibus cæterorum animalium tam reſpectu internæ quam externæ formæ, at non modo materia, ex qua compoſitum eſt, ſed etiam ſtructura ipſa tam nobilitate quam dignitate cætera animalium corpora multum antecedit.

Omnia

Omnia in corpore humano ad inhabitationem animæ rationalis mirifice dispoſita ſunt, ita, ut non aliud corpus ad iſtam quadret, nec alia anima facultates ſuas in eo præſtare queat.

Differt autem corpus humanum externe a corporibus cæterorum animalium in terra viventium, 1) *facie*, quæ erecta, ſerena & prorſus ſingularis eſt, 2) *cute*, quæ non piloſa & hirſuta, ſed plana & mollis, coloreque vel albo vel nigro prædita eſt; 3) *manibus*, ſingulariter formatis & ad quævis opera idoneis; 4) *inceſſu*, qui duobus pedibus per gradus fit, 5) *geſtibus*, venuſtate & agilitate diſtinctis, & denique 6) *ſtatura* ſpectabiliſſima & majeſtatem quaſi præ ſe ferente.

Accedunt facultates ridendi, flendi & loquendi, quibus haud minus ſe homo ab omnibus aliis animalibus diſtinguit.

Etſi corpus humanum per ſe non *indeſtructibile* factum ſit, Deus tamen *immortale* iſtud eſſe voluit. Hæc immortalitas ad imaginem divinam pertinebat, ad quam homo conditus eſt, Gen. I, 27. Poterat quidem hominis corpus mortale fieri, ſed non per ſe mortale fuit. Volebat autem Deus iſtud ab omni corruptione liberum ſervare, quamdiu imaginem divinam retineret homo. Ejus itaque mors & corruptio ſunt effectus peccati originis, Gen. II, 17. Rom. V, 12. c. VI, 23.

Ex 1 Cor. XV, 50. probare vult *Henricus Stebbing*, doctus Anglus, homines non potuiſſe vi-

vos in beatitudinem æternam evehi, nisi mortis analogon passi fuissent. Sed verba Pauli non ad homines per se, sed quatenus in statu præsentis corruptionis considerantur, respectum habent.

Ad corporis humani *dignitatem* pertinet, quod non modo Deus sibi in Scriptura S. membra humana, e. g. aures, manus, oculos, brachia & cor per *ἀνθρωποπάθειαν* adscripserit, sed etiam Filius Dei carnem nostram assumserit, ita, ut in omnibus tam respectu corporis, quam respectu animæ, solo peccato excepto, nobis similis factus sit, Hebr. II, 14.

Corpora humana aliquando non modo ex morte resurgent, sed tunc etiam singulariter glorificabuntur & spiritualibus qualitatibus instruentur.

CAPUT IV.

DE
ANIMA HOMINIS.

Anima hominis est spiritus corpori ingenitus, hominem ad movendum se, nec non ad sentiendum, cogitandum & appetendum aut aversandum idoneum reddens.

Datur quidem in omnibus animalibus *anima*, sed in irrationalibus ista non est purus & genuinus spiritus, quia de materia hanc Deus in creatione sumsit. Est hinc ea quoque non immortalis, sed interit in morte cum corpore & anni-

annihilatur. Habet quidem ejusmodi anima facultatem sese movendi, nec non appetendi, aversandi, sentiendi & sibi aliquid imaginandi, neutiquam vero cogitandi, ratiocinandi & alias rationales actiones præstandi.

Aliquam quidem analogiam cum anima humana, sed non veram convenientiam habet.

Anima hominis e contrario vero spiritus est, immediate a Deo creatus & corpori primi hominis in eum finem ingenitus, ut cum corpore indissolubiliter & in æternum unitus sit, unamque cum isto substantiam rationalem constanterque vivam constituat, & se per ordinariam generationem cum corpore propaget.

Animam humanam *verum spiritum* esse, non modo ex claris dictis Luc. XXIII, 46. & Act. VII, 58. sed etiam ex origine, natura & operationibus ejus satis superque patet.

In lingua sacra voces נֶפֶשׁ & ψυχὴ de anima humana usurpantur, sed interdum idem ac *personam* significant, e. g. Gen. II, 7. Num. XXIII, 10. Ezech. XVIII, 5. item Marc. III, 4. Act. II, 41. 1 Petr. III, 20.

Est hoc propter *immortalitatem* & *incorruptibilitatem animæ*, quæ ex istis locis non sufficienter probari potest, notandum.

Sunt autem *immortalitas* & *incorruptibilitas* præcipuæ proprietates animæ, quæ genuinum spiritum constituunt. Nam etsi anima corpori humano ingenita sit, ut istud vivum reddat & moveat, ea ipsa tamen anima omnis materiæ

expers eſt. Per ſe quidem vivit, non vero per ſe operatur. Corpore enim organico opus habet, ſi aliquid agere vult. Sicut corpus ſine anima, ita anima ſine corpore quieſcit.

Arctiſſima autem animæ cum corpore conjunctio immortalitati ejus nihil detrahit, quia corpus ipſum quoque ad vitam æternam creatum eſt, quod quidem non per ſe immortale fuit, durante tamen vinculo ejus cum anima non interire potuit.

Eſt vero *immortalitas animæ* neutiquam *abſoluta* vocanda, quia Deus, quicquid ex nihilo produxit, in nihilum etiam, ſi vult, redigere poteſt. Deus enim, cum hominem ad vitam æternam creaverit, Sap. II, 23. & propterea imagine ſua inſtruxerit, voluit etiam ejus animam talis naturæ eſſe, ut per ſe numquam interire, nec ob immaterialitatem ſuam diſſolvi, queat. Eſt itaque anima vere immortalis, ſed non niſi ex gratia Dei; & licet in morte a corpore ſeparetur, non tamen interit.

In nobismet ipſis immortalitatem animæ ſatis ſentimus ex inſito ad perpetuam noſtri conſervationem niſu & inſtinctu, quo etiam ſtudium gloriæ & memoriæ poſt mortem ſpectat. Nec anima unquam bonis terreſtribus ſatiatur. Semper plus ultra tendit. Recte hinc Auguſtinus in *Confeſſ. L. I. c. 1.* ſcripſit: *Feciſti nos, Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Præ-

Præcipuæ *facultates animæ* rationalis ſunt *intellectus* & *voluntas.*

Intellectus eſt facultas cogitandi ſ. ſibi aliquid interne repræſentandi. Dicitur alias *mens* ſ. *animus*, item *cor*. Sicut vero intellectus per ſe mera facultas animæ eſt, ita quoque anima actu nil intelligit, niſi quod antea per ſenſus percipit. Ad hanc autem perceptionem ſenſualem requiritur corpus organicum. Hoc ſi ſalubre & integrum eſt, etiam facultas tam percipiendi, quam intelligendi in actum venit. Comprehendit vero actus intelligendi non modo notitiam memoriamque rerum & imaginationem, ſed etiam ratiocinationem & judicium, de quibus omnibus in Philoſophia prolixe agitur.

Voluntas eſt facultas libere inclinandi ad cognitum bonum & libere averſandi cognitum malum.

Actus voluntatis ſequitur plerumque actum intellectus. Diſtinguitur autem voluntas ab *appetitu ſenſitivo* ſ. inſtinctu naturali, utpote qui etiam in animalibus irrationalibus datur. Voluntas libere, appetitus vero ſenſitivus neceſſario agit, ſpectatque tantum ad ſui ipſius conſervationem & propagationem. In hominibus appetitus ſenſitivus a dominio intellectus & voluntatis dependet, a quo etiam vario modo temperatur.

Ad voluntatem etiam pertinet *tranquillitas animi*, ſecundum quam voluntas in fruitione illius boni, quod appetiit, acquieſcit. Ho-

mines

mines impii & mundo dediti nunquam eam adipiſcuntur. Semper inquieti manent, Jeſ. XLVIII, 22. Pſ. XXXIX, 7. Jer. VI, 16. Matth. XI, 29. Quamdiu animus aut voluntas id nondum impetravit, quod quærit & deſiderat, homo *inquietus* dicitur, & ſi impetratum bonum iterum amittit, *triſtis* redditur.

Non *triplex* in homine datur *anima*, vegetativa, ſenſitiva & rationalis, ut Ariſtoteles docuit, ſed tantum una, quæ vero tam movendi, & ſentiendi, quam ratiocinandi facultatem habet.

CAPUT V.

DE VINCULO UNIONIS INTER ANIMAM ET CORPUS.

Animam cum *corpore* arctiſſime & quaſi eſſentialiter unitam eſſe, res extra omnem dubitationis aleam poſita eſt. Quomodo autem id fiat, & qua ratione ambo in ſe invicem operentur, difficillima inter Philoſophos quæſtio eſt.

Quia mens non capere poteſt, quomodo purus ſpiritus cum materia eſſentialiter uniri poſſit, veteres Pelagiani & multi ex Pontificiis & Calvinianis, nec non certi Philoſophi anſam inde ſumſerunt, animæ propagationem per traducem negandi, & e contra aſſerendi, Deum vel omnes animas in principio rerum uno actu creaviſſe, vel uniuſcujusque hominis animam eo,

·o momento, quo in utero materno conceptio fit, immediate creare & embryoni ingignere. Provocant ad Eccl. XII, 17. ubi spiritus hominis ad Deum redire dicitur, qui dederit eum. Sed ex loco hoc nil amplius probari potest, quam quod anima hominis non solum immortalis, sed etiam a Deo creata sit. Num vero creatio hæc mediate, an immediate fiat, suo loco relinquitur.

Traducianos vocant eos, qui aliter sentiunt. Ad hos referunt omnes, qui orthodoxam de peccato originis doctrinam fovent. Præexistentia animarum humanarum valde cum ista pugnat, nec cum historia creationis primorum parentum conciliari potest. Adamo quidem, non vero Evæ, immediate a Deo ingenitam esse animam legimus, neque in tota Scriptura S. unico verbo mentio fit cujusdam præexistentis, aut a Deo speciatim creatæ animæ. Ex benedictione divina, Gen. I, 28. potius concludi potest, hominem a Deo accepisse facultatem per traducem se propagandi, perinde ac cum animalibus irrationalibus hac in re comparatum est. Sicuti enim hæc se non modo quoad corpus, sed etiam quoad animam propagant, ita etiam homo, animal rationale, se propagat.

Dictu sane difficile est, quomodo spiritus se multiplicare queat? sed quis propterea de veritate hujus rei dubitet, cum omnis generatio rerumque propagatio, etsi quotidie oculis nostris

ſtris obverſetur, per ſe myſterium ſit? Si ignis materialis per communicationem aut accenſionem propagari poteſt ſine diminutione ſui ipſius, cur non etiam anima per generationem per traducem? Non autem anima ex anima, ſed animatum ex animato gignitur. Aura ſeminalis in conceptione eſt quaſi lux de luce accenſa.

Hæc cum ita ſint, facile judicari licet, quam arcta ſit inter animam & corpus unio. Secundum primam Dei intentionem ea nunquam dirumpi, nec diſſolvi debuit. Sicuti autem utraque pars ex uno ſemine una oritur, ita etiam utraque alterius non indigere nequit in quacunque operatione & animali & rationali.

Corpus ſuppeditat organa & anima dat facultates. Hiſce conjunctis homo fit viva & rationalis ſubſtantia. Niſi corpus & anima conſpirant, nec membra corporis moveri, nec ſanguis circulari, nec ſenſus percipere, nec mens cogitare, nec intellectus intelligere, nec voluntas aliquid appetere vel averſari poteſt.

Tota corporis ſtructura eſt organica & ita comparata, ut nihil in eo ſit, quo non utatur *anima* in ſua operatione. Per ſenſuum organa ſentit. In cerebro gignit ideas & in corde, ubi ſanguinis fluxus & refluxus fit, concipit deſideria & cupiditates.

Corpus e contra nec artus movere, nec videre, nec audire, nec ſonum per os & guttur edere, nec ire, nec comedere, nec concubare,

nec aliud quid facere poteſt, niſi concurrat anima, quæ tamen organa ſana, integra & matura requirit.

Exinde cognoſcimus, cur infantes & ſenio confecti homines multo debilius cogitent, concupiſcant & ſeſe moveant, quam qui in medio ætatis flore vivunt & optima valetudine utuntur. Inde quoque fit, quod læſa auris non audiat, læſus oculus non videat, læſus pes non vadat, læſa manus non prehendat, læſum cerebrum nil intelligat, & ſic porro.

Uti corpus corpus formoſitate, magnitudine & robore antecedit, ita etiam anima animam præſtantia facultatum ſuperat, quod plerumque a Dei creatoris benevolentia & benignitate dependet, Sap. VIII, 19. Hinc etiam Deus quibusdam hominibus, præ aliis plus dare rationis & intelligentiæ dicitur, Eccl. II, 26. Dan. II, 21.

Philoſophi nondum convenerunt in determinando modo, quo anima & corpus in ſe invicem operentur. Præcipua, quæ ab iis excogitata ſunt, ſyſtemata, ſunt 1) *Syſtema phyſici influxus*, 2) *ſyſtema cauſarum occaſionalium* & 3) *ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ.*

Syſtema phyſici influxus eſt uſitatiſſimum & vetuſtiſſimum. Secundum iſtud anima cauſa eſt, ut corpus ſe moveat; & corpus cauſa eſt, ut anima cogitet & ſentiat. Influunt ſic quaſi ambo in ſe invicem. Hinc ortum eſt nomen influxus phyſici.

Syſtema


Systema causarum occasionalium est, quo Deo tribuitur causa, cur corpus moveatur & anima cogitet. Hac ratione anima & corpus tantum occasionem dant Deo, per utrumque operandi: hinc dicitur istud systema causarum occasionalium. Autor ejus est *Cartesius* & qui vestigiis istius firmiter insistit, *Malebranchius*.

Systema harmoniæ præstabilitæ denique est illud, quo perhibetur, Deum animam & corpus in utero materno ita formasse, ut quodvis pro se in debita harmonia, propria virtute, ingenitas suas vires & actiones in suo ordine suoque tempore præstet. Secundum hoc systema anima & corpus duo quasi sunt horologia, conjunctim ita aptata, ut quodlibet pro se, in justa tamen harmonia, a Deo ipso ordinata, devolvatur. *Leibnitius* systema hoc excogitavit & *Christianus Wolffius* pluribus in ordinem redegit, orbique erudito de meliori commendavit.

Nostrum non est, systemata hæc examinare. Philosophis id relinquimus. Interim primum ex iis mihi & simul omnibus, quibus orthodoxia evangelica cordi est, arridet, quia minus difficultatis quam cætera habet & cum veritate divina optime convenit.



SECTIO



SECTIO II.

DE IMAGINE DIVINA.

CAPUT I.

DE ORIGINE ET SUBJECTO IMAGINIS DIVINÆ.

Imago divina denotat excellentiam naturæ & felicitatem ſtatus primorum hominum ante lapſum. Vocatur *imago divina*, quia exprimit & aſſimilat perfectionem beatitudinemque Dei.

Non dabatur in primo homine *ſtatus purorum naturalium*, antequam imaginem Dei acciperet, ut Pontificii ſomniant, ſed homo a primo exiſtentiæ ſuæ momento imaginem Dei habuit, quæ ſimul ei connaturalis fuit.

Autor imaginis divinæ fuit ipſe *Deus*. Dicebat enim ſexta creationis die: *faciamus hominem ad imaginem noſtram ſecundum ſimilitudinem noſtram*. Dictum, factum. *Creavit* Deus *hominem ad imaginem ſuam*, Gen. I, 27. & porro: *ad imaginem Dei creavit illum*, c. IX, 6.

Loquitur in priori loco Deus in plurali, ut oſtendat, creationem hominis eſſe opus totius ſanctæ Trinitatis. Errant, qui exinde con-

cludunt, hominem repræſentare imaginem ſingularum Deitatis perſonarum. Non enim imago divina characteres Trinitatis perſonales, ſed eſſentialem Dei perfectionem delineat. Eph. IV, 24.

Finis imaginis divinæ *reſpectu Dei* fuit, 1) ut ſeipſum in hominibus tanquam in ſpeculo cum voluptate videat, Prov. VIII, 31. 2) ut ſe in hominibus quaſi propaget, cum omne bonum ſit communicabile, 3) ut in terra aliquis ſit, qui ipſum cognoſcat, amet, laudet & glorificet; & 4) ut in terra habeat, quocum familiariter converſetur, quia ſimilis ſimili gaudet.

Reſpectu hominum finis imaginis divinæ fuit, 1) ut creatorem ſuum cognoſcant, 2) ut in conjunctione cum Deo vera felicitate fruantur, eamque in poſteros propagent, 3) ut creatorem debito modo colere, eique ſervire queant, cujus cauſa iis imago divina in legem naturalem & prohibitio eſus de fructu arboris vetitæ in legem poſitivam data eſt; & 4) ut per talem obedientiam ſummum beatitudinis cœleſtis gradum conſequantur.

Subjectum imaginis divinæ fuit homo utriusque ſexus. Expreſſe enim Gen. I, 27. c. V, 1. 2. iſte, quem Deus ad ſuam imaginem condidit, dicitur fuiſſe *mas* & *fœmina*. Utraque perſona eſt verus homo. Cum igitur in omni homine imago divina reſtauranda ſit, Eph. IV, 24. Col. III, 10. utriusque quoque ſexus homo non poteſt non ad imaginem divinam creatus eſſe.

Recte

Recte hinc Paulus scripsit, in Jesu Christo, imaginis divinæ restauratore, non discrimen esse inter marem & fœminam, Gal. III, 28.

At quæritur: *cur Paulus 1 Cor. XI, 7. virum imaginem & gloriam Dei, mulierem vero gloriam viri nominet?* Facit hoc, ut indicet, 1) Adamum per se, Evam vero in Adamo ad imaginem Dei creatam esse, & 2) virum esse caput & dominum mulieris, Eph. V, 23. 1 Tim. II, 12.

Competit igitur imago divina in virum primario, in mulierem vero secundario, nec dubitandum est, mulierem in originali sapientia & perfectione paulo infirmiorem fuisse viro, quapropter etiam diabolus istam primum aggressus est, cum seduceret homines, Gen. III, 1. 1 Tim. II, 14. Petrus hac de causa etiam totum genus fœmininum debilius instrumentum nominavit, 1 Petr. III, 7.

Per se *mas* & *fœmina* non specie, sed tantum sexu differunt, etsi mas quibusdam prærogativis gaudeat, Gen. I, 26. 27. Utrique hinc tribuitur definitio hominis. Æquales habent partes essentiales & proprietates. Uno eodemque modo gignuntur. Pares a Deo promissiones in scriptura S. acceperunt, & si Christus sexus masculini fuit, e contra ex semine mulieris genitus est.

Prærogativæ maris præ fœmina patent 1) ex ordine modoque creationis, Gen. II, 18 sq. 1 Cor. XI, 8-12. 1 Tim. II, 13. & 2) ex præcepto divino de non edendo fructu arboris ve-

titæ, ad virum directo, quasi fuerit uxoris suæ præceptor, Gen. II, 16. 17. c. III, 9-12.

Non igitur dubitandum est, quin uxor etiam ante lapsum marito suo aliquo modo subordinata fuisset, Gen. II, 23. Post lapsum Deus expresso mandato mulieres dominio & voluntati virorum subjecit, Gen. III, 16. 1 Tim. II, 11-15. Eph. V, 22-24. Col. III, 18. 1 Petr. III, 1. 5. 6.

CAPUT II.

DE

FORMA ET NATURA IMAGINIS DIVINÆ.

Imago divina est complexus omnium perfectionum animæ & corporis, quas Deus primis hominibus in creatione in eum finem contulit, ut in sanctitate & justitia ipsi serviant & vita felici fruantur.

Imago itaque h. l. non proprie, sed improprie sumitur. Est vox biblica, a Deo ipso usurpata, Gen. I, 26. 27. Explicatur per additam vocem *similitudo*. Imago & similitudo hic unum idemque significant. Conjunguntur hæ voces, ut inde pateat, quod fuerit imago *Deo simillima*.

Dicitur *imago similitudinis*, ut distinguatur 1) ab imagine identitatis, quæ in solum Christum competit, Hebr. I, 3. Col. I, 15. & 2) ab imagine

gine nudæ delineationis, Pf. LXXIII, 20. Matth. XXII, 20.

Similitudo differt ab *æqualitate*. Homo Deo quidem fimilis, non vero æqualis dici poteft.

Homo non ad *imaginem Chrifti*, fed Chriftus potius ad imaginem hominis formatus eft, Hebr. II, 14. Rom. VIII, 3. Phil. II, 7. Decretum enim Dei de homine creando prius eft decreto de mittendo filio Dei. Locus vero Rom. VIII, 29. non de hominis creatione, fed de fidelium conformatione cum Chrifto agit.

Salomo *imaginem divinam* per vocem ישר exprimit, dum fcribit, Deum feciffe hominem יָשָׁר, h. e. *rectum* & *perfectum*, Eccl. VII, 29. Vox hæc omnes perfectiones imaginis divinæ comprehendit.

Sedem habuit imago divina non in effentia hominis, fed tantum in *natura* ejus.

Effentia & *natura* plerumque quidem unum idemque fignificant, certo tamen modo inter fe differunt. *Effentiam* proprie dicimus, quod ipfam fubftantiam alicujus rei conftituit, *naturam* vero, quod alicujus rei fubftantiam ab aliis diftinguit.

Neutiquam vero imago divina in ipfa hominis *effentia* feu *fubftantia* confiftebat, ut Manichæi, Flaciani, & certi Fanatici docent. Nam homo erat tantum imaginis divinæ fubjectum. Quicquid autem in ente, tanquam in fuo fubjecto, eft, non ipfa entis fubftantia effe poteft.

Imago divina fuit potius *qualitas* ſubſtantiæ humanæ *naturalis*, quæ naturæ hominis quidem firmiter inhæſit, ſalva tamen eſſentia hominis abeſſe potuit. Omnino itaque *accidentale quoddam* fuit, at non extrinſecum, ſed *intrinſecum*.

Imago divina dicitur *naturalis*, non quatenus naturam hominis conſtituit, ſed quatenus naturæ ejus inhæſit. Erat enim naturæ hominis in ipſa creatione tam intime ingenita, ut cum eadem in omnes poſteros, tanquam excellentiſſima qualitas, propagari potuerit.

Vocari propterea poteſt *donum Dei naturale*, quod *dono ſupernaturali* opponitur, quale quid Deus ex ſingulari gratia tantum huic vel illi homini accidentaliter largiri ſolet.

Diſtinguitur imago divina in *primariam* & *ſecundariam*. Ad *primariam* pertinent perfectiones primariæ, quæ ipſam imaginem divinam conſtituunt, quales ſunt ſapientia, juſtitia & ſanctitas, Col. III, 10. Eph. IV, 24. ad *ſecundariam* vero eæ, quæ ex prioribus ſequuntur, e. g. ſanitas & immortalitas corporis, felicitas vitæ, dominium in creaturas &c.

Imaginem divinam valde imminuunt *Pelagiani*, qui propterea non amiſſam eſſe ſtatuunt. *Semi-Pelagiani* ſunt Pontificii, qui imaginem Dei pro ſolo dono ſupernaturali, quod ad naturam hominis non pertineat, habent.

Sociniani perhibent, imaginem Dei tantum in certis prærogativis, e. g. in recto uſu rationis,

nis, dominio in creaturas, immortalitate corporis &c. conſtitiſſe.

Qualem & quantam perfectionem imago divina involvat, cognoſcendum dat 1) *ipſe Deus*, tanquam perfectiſſimum & excellentiſſimum ens, cujus attributa conjunctim ſumta δόξα τοῦ Θεοῦ in ſacris literis dicuntur, quo alludit Chriſtus, Matth. V, 48. 2) *Chriſtus*, qui ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρὸς vocatur, Hebr. I, 3. cujus ſapientiam & virtutem imitari debemus, 1 Joh. IV, 17. 1 Petr. II, 21. 3) *lex divina*, quæ quaſi delineatio perfectionum Dei moralium eſt & ſpeculum, in quod diligenter introſpicere debemus, Lev. XIX, 2. 1 Petr. I, 15. 16. Jac. I, 25. Sicut amor ſumma legis eſt, 1 Tim. I, 5. Matth. XXII, 37 - 39. ita etiam Deus *amor* dici poteſt, 1 Joh. IV, 8. & denique, 4) *ſpiritualis renovatio hominis*, quæ reſtauratio eſt imaginis divinæ, Col. III, 10. Eph. IV, 24.

CAPUT III.

DE SCIENTIA ET SAPIENTIA ORIGINALI.

Sapientia *originalis* ea fuit intellectus humani perfectio habitualis, qua homo in ſtatu integritatis non modo omnium divinarum, humanarum & naturalium rerum, ſed etiam finitum

earum veram perfectamque cognitionem habuit, Col. III, 10. Eph. IV, 23.

Gaudebat itaque homo in statu integritatis non solum excellentissima rerum cognitione s. *scientia*, sed etiam facultate, scientiam hanc ad optimum finem dirigendi & applicandi, quam facultatem nominare solemus *sapientiam*.

Errant, qui cum Socinianis & Anabaptistis *Adamum* instar pueri rudem fuisse perhibent, nec non cum Arminianis ei impotentiam, per se aliquid intelligendi & credendi, tribuunt.

Scientia hominis ante lapsum nec *infusa* fuit, ut certi Pontificii docent, nec *acquisita*, ut Photiniani asserunt; sed *innata*, ita tamen, ut gradus habuerit progressuque temporis tam per revelationem quam per experientiam crescere & augeri potuerit.

Erat *finita* & *limitata*, alias homo omniscius fuisset. Nec *intuitiva* dicenda est, utpote quæ tantum ad vitam æternam pertinet, 1 Cor. XIII, 12. 1 Joh. III, 2.

Objectum scientiæ primitivæ fuit inprimis *Deus* ejusque voluntas; postea *angeli*, quorum natura & officia haud incognita fuerunt homini in statu integritatis; porro *ipse homo* secundum ejus virtutes & facultates; & denique *omnes creaturæ* & *res naturales* secundum earum constitutionem & virtutem internam.

Neutiquam intelligentia hæc ad res futuras & fortuitas extendi debet. Has enim nosse, soli Deo omniscio & cui istas revelavit, tribuen-

buendum eſt. Dabatur igitur in ſtatu integritatis aliqua ignorantia, ſed non alia, quam puræ negationis.

Interim non negari poteſt, in intellectu hominis ante lapſum inſignem fuiſſe cognitionem divinarum & naturalium rerum. Sicut Deus tanquam *lux* deſcribitur 1 Joh. I, 5. Pſ. CXXXIX, 12. ita etiam in intellectu humano lux erat, caligini mentis Eph. IV, 18. oppoſita. Datur autem *triplex* in homine *lux*, 1) ſcientiæ, 2) gratiæ & 3) gloriæ. Primam habuit homo ante lapſum, altera gaudent renati & tertia dabitur in electis.

Specimen concreatæ rerum naturalium cognitionis eximiæ præbuit Adam, cum non modo animalibus, Gen. II, 19. 20. ſed etiam uxori ſuæ, v. 23. nomina dederit naturæ convenientiſſima.

Erat autem *cognitio* hæc non mere ſpeculativa & theoretica, ſed quam maxime *practica*, quia homo omnia ad certum finem, eumque optimum & voluntati ſapientis Dei conſentaneum dirigere potuit.

Prudentia certo modo non locum habebat in ſtatu integritatis, quippe quæ lapſis tantum hominibus neceſſaria eſt, qui per iſtam ſe ex omnibus difficultatibus expedire & in ſuis periculis & calamitatibus conſervare ſolent.

CAPUT IV.

DE JUSTITIA ET SANCTITATE ORIGINALI.

Justitia originalis multis idem eſt ac ipſa imago divina; proprie autem differt ab ea, ut pars a toto.

Latius hinc patet imago divina, quam juſtitia originalis, quæ nihil aliud eſt, quam omnium virium & facultatum hominis ſingularis integritas exactiſſimaque harmonia, ſecundum quam homo non modo omnis proclivitatis ad male agendum & inordinati motus ſenſitivi expers, ſed etiam ad ſponte liberrimeque facienda omnia, quæ voluntati Dei conſentanea ſunt, promtus paratusque fuit.

Spectat itaque juſtitia originalis magis ad voluntatem, quam intellectum, parumque differt a *ſanctitate originali*, utpote quæ ſpecies ejus eſt, quatenus ſcilicet tantum in voluntatis actionumque conformitate cum voluntate Dei conſiſtit. Ambæ propterea in Scriptura S. plerumque conjunguntur, e. g. Eph. IV, 24. Luc. I, 75. Col. I, 22.

Optime tota juſtitia originalis ἀλήθεια (h.e. ein rechtſchaffen Weſen) quæ omnem fraudem, ſimulationem & ἀνομίαν excludit, Eph. IV, 21. nec non ἁπλότης, 2 Cor. I, 12. c. XI, 3. item *vita ex Deo*, Eph. IV, 18. & δόξα τȣ̃ Θεȣ̃, Rom. III, 23. dici poteſt.

Erat

Erat autem justitia originalis non, ut Flacius docuit, ipsa substantia hominis, sed tantum qualitas, per omnem substantiam hominis diffusa, atque adeo corpori & animæ communis, habebatque naturam legis divinæ universalis, cordi hominis inscriptæ & legi morali, per Mosem postea promulgatæ, conformis.

Ad justitiam originalem pertinet etiam *αὐτάρκεια*, quæ dabatur in primis hominibus respectu appetitus sensitivi. Consistebat in ejusmodi tranquillitate & moderatione animi ac cordis, ut nec cupiditates carnis, nec affectus animi inordinate & ultra modum se moverent, sed se potius recto intellectus judicio & sancto voluntatis regimini promte & sine lucta subjicerent. Ex hac causa primi parentes in statu integritatis dicuntur non cognovisse, se esse nudos, nec propterea erubuisse, Gen. II, 25. Liquet exinde, eos sine inordinata libidine fuisse, etsi objectum non defuerit, quod eos alliceret.

Appetitu sensitivo non plane carebant primi homines. Habebant enim non modo cibum capiendi, bibendi & concubandi cupiditatem, sed etiam cupiditatem gloriæ & bonorum. Verum omnes ejusmodi cupiditates valde temperatæ & rectæ rationi divinæque voluntati non contrariæ erant.

Nec deficiebant primis hominibus *ἤθη καὶ πάθη* s. *affectus*, qui commotiones animi sunt, ex inopinata objecti mutatione orientes. Cum enim

enim homines non omnia, quæ iis obvenire solent, præsciant, animus eorum non potest non commoveri, quoties aliquid novi & inopinati iis accidit. Tales affectus in statu integritatis nec modum excedebant, nec cum voluntate Dei pugnabant.

Certi affectus in isto statu prorsus deerant, e. g. ira, tristitia, invidia, pudor &c. qui partim per se peccaminosi, partim fructus peccaminosi status sunt.

Theologi omnem appetitus sensitivi moderationem & integritatem *αὐτάρκειαν* vocant, per quam ejusmodi cordis & animi castimoniam & puritatem intelligunt, quæ primos homines incapaces reddidit, cupiditatibus & affectibus suis immodice indulgendi.

Huc spectat etiam *liberum arbitrium*, quod ea voluntatis humanæ facultas originalis fuit, secundum quam homo proprio motu & sine ulla coactione tam in spiritualibus, quam in naturalibus agere vel non agere, itemque hoc vel illud agere potuit. Plura alibi de libero hominum arbitrio dicemus.

Ex omnibus hisce, quæ jam protulimus, satis patet, quid de *Pontificiorum* justitia originali judicandum sit. Tribuunt primis parentibus *statum purorum naturalium*, s. ejusmodi statum, in quo mere naturalibus animæ & corporis viribus & cupiditatibus præditi fuerint. Hæc cum inter se naturaliter pugnent, Deum ad easdem coërcendas supernaturale aliquod donum iis de-

dedisse asserunt, quod justitiam originalem aut imaginem divinam vocant, qua amissa natura hominis non corrupta, sed tantum naturalis virium & cupiditatum propensio ad pugnandum inter se in actum perducta sit. Est igitur secundum Pontificiorum doctrinam imago divina quasi sertum virginis, quod non ad virginis naturam, sed tantum ad ejus ornamentum pertineat.

Hic errant etiam *Sociniani*, qui luctam carnis & spiritus, *Arminiani*, qui aliquam ad peccandum inclinationem, *Weigeliani*, qui aliquid vere mali, & *Calixtini*, qui rationis cum appetitu sensitivo pugnam, primis parentibus in statu integritatis tribuunt.

CAPUT V.

DE

IMMORTALITATE ORIGINALI.

Homo ante lapsum immortalitate gaudebat. *Immortalitas* vero hæc non *absoluta* erat, qualem solus Deus habet, 1 Tim. VI, 16. sed tantum *hypothetica*, quia salva hominis essentia & adesse & abesse poterat, nec non a Dei gratia & benignitate dependebat.

Triplex dabatur in homine *immortalitas*. Prima spectabat ad animam, altera ad corpus & tertia ad totum hominem.

Anima

Anima per ſe, tanquam ſpiritus immaterialis, immortalis erat. Hæc immortalitas manſit, etſi homo imaginem Dei amiſit.

Corpus erat immortale ex benignitate Dei, qua noluit iſtud in eas particulas diſſolutum iri, ex quibus compoſitum eſt.

Totus homo immortalis erat, quatenus Deus vinculum unionis inter animam & corpus in homine indiſſolubile eſſe voluit. Et hæc eſt ea ipſa immortalitas, quæ ad imaginem Dei pertinet.

Mors eſt ſolutio vinculi inter animam & corpus. Quamdiu igitur anima & corpus, tanquam partes ſubſtantiæ animalis eſſentiales, unitæ ſunt, tamdiu etiam homo vivit. Uti vero Deus hominem ad perennitatem vitæ creavit, Gen. II, 7. Sap. II, 23. ita etiam voluit eum eſſe immortalem.

Immortalitas itaque *hominis* donum Dei fuit, quod cum imagine ſua in prima creatione ei contulit, ut anima & corpus nullo modo & tempore disjungantur, ſed conſtanter unita maneant, atque adeo homo ſemper & in æternum vivat.

Hæc immortalitas a *Pontificiis* dicitur fuiſſe donum ſupernaturale & extraordinarium, quod etiam in ſtatu integritatis tolli potuiſſet.

Sociniani vero & qui cum iis unam eandemque inflant tibiam, prorſus negant, primum hominem immortalem fuiſſe. Contra iſtos adducere poſſumus loca, in quibus docetur, peccatum

catum hominis veram mortis & miseriæ ejus causam esse, e. g. Gen. II, 17. Lev. XVIII, 5. Rom. V, 12. c. VI, 23.

Corpus dicitur fuisse immortale, quatenus ex benignitate Dei naturaliter ita comparatum erat, ut non dissolvi potuerit in prima sua elementa.

Nec in se, nec extra se aliquid dabatur, quod vires ejus debilitaret & istud morbidum redderet. Erat semper sanum, nullisque doloribus & imbecillitatibus aut casibus infelicibus obnoxium.

Senectus non consumebat vires, sed corpus semper in suo robore, suaque εὐκρασία tamdiu manebat, usque dum homo ex paradiso terrestri in cœlestem vivus transportaretur.

Quando vero vires aliquo modo labasci incipiebant, homo accedere poterat ad *arborem vitæ*, a Deo propterea in medio paradisi positam, ut per rectum ejus usum labascentes corporis vires iterum reficeret, Gen. II, 9. c. III, 22.

CAPUT VI.

DE STATU INTEGRITATIS ET PARADISO.

Status integritatis est status, in quo primi parentes ante lapsum vixerunt. Habet nomen ab integritate, quia primi homines non modo

modo integri vitæ ſceleriſque puri erant, ſed etiam integritate imaginis divinæ gaudebant.

Erat *ſtatus feliciſſimus*, quia homines non modo perfectam Dei rerumque cognitionem habebant, ſed etiam cum voluptate divinam voluntatem faciebant. Animus nulla adverſitate perturbabatur. Conſcientia ſemper quieta manebat, & corpus nil mali ſentiebat. Nec metus, nec dolor, nec triſtitia, nec invidia, nec aliud quid, quod homini poſt lapſum moleſtiam & ærumnam creare ſolet, aderat, mortis vero morbique periculum prorſus ceſſabat. Omnia, quæ homini & nutrimento & oblectamento eſſe poterant, terræ ſolum ultro proferebat & cunctæ creaturæ ei obſequium præſtabant.

Dominium primi hominis *ſuper creaturas* erat adjunctum imaginis divinæ, Gen. I, 26. Non ſe extendebat ſuper aſtra, aut angelos, ſed tantum ſuper creaturas terreſtres & inprimis ſuper animalia bruta, quia iſtorum tantum Deus expreſſis verbis mentionem fecit, Gen. I, 28. Conſiſtebat autem non ſolum in jure & poteſtate ſuper creaturas, ſed etiam in vi & potentia flectendi eas ad obſequium.

Erat autem *dominium* hoc non tantum *utile*, ſed etiam *directum*, attamen *non abſolutum*, ſed *limitatum*. Dominium abſolutum in ſolum Deum, tanquam ſupremum cœli terræque dominum, competit, 1 Chron. XXX, 12. Pſ. VIII, 7-10. Pſ. XXIV, 1. Pſ. L, 10. 11. Hagg. II, 9. homi-

homines vero tanquam Dei œconomi, quibus omnia concredidit Deus, Gen. IX, 2. Matth. XXIV, 47. tantum dominium limitatum habent.

Diſtinguendum autem eſt inter hujus *dominii poſſeſſionem* & *uſurpationem.* Neutra quidem amiſſa eſt, Gen. IX, 2. 3. poſterior vero valde imminuta. Num vero hominibus in ſtatu integritatis etiam carnem animalium edere licuerit, a quibusdam quidem ex Gen. I, 29. in dubium vocatur, ſed non penitus negandum eſt, quia alias uſus tot animalium, in primis piſcium, neſciretur, ut taceam, quod eſus carnis nullibi in ſacris literis interdictus ſit, nec animus noſter ab eo abhorreat.

Status integritatis valde diſtinguendus eſt a *ſtatu beatitudinis* & *gloriæ*, qui ad ſolam vitam cœleſtem pertinet, ad quam Deus ex ſtatu integritatis ſingulatim homines evexiſſet, ſi non peccaſſent.

Status itaque integritatis cum ſtatu matrimonii & familiæ bene conſtare potuit, Gen. II, 18. 23. 24. Nec defuit in eo ſomnus v. 21. nec labor v. 15. Hoc tamen intervenit diſcrimen, quod ante lapſum non ex laſſitudine dormiviſſent homines, nec cum moleſtia & ſollicitudine opera ſua feciſſent.

Locus, in quo primi homines in ſtatu integritatis vixerunt, vocatur *hortus in Eden*, Gen. II, 8.

Si nomen hoc appellative ſumitur, ſignificat hortum voluptatis & amœnitatis. Alias etiam

hic hortus פַּרְדֵּס dicitur, quæ vox Eccl. II, 5. Neh. II, 8. & Cant. IV, 13. occurrit & a פָּרַח h. e. *fructus tulit*, descendit.

Ex hac voce formarunt Græci nomen *Paradisus*, quod Luc. XXIII, 43. 2 Cor. XII, 4. & Apoc. II, 7. reperimus. Indicat regionem, quæ instar amœnissimi horti non modo oleribus & fructiferis arboribus consita est, sed etiam varii generis animalia & feras continet.

Talis regio erat Paradisus, quæ post diluvium in memoriam perditi Paradisi nomen *Eden* h. e. *terræ deliciarum*, accepit. Floruit hæc regio non modo temporibus Mosis, Gen. II, 8. 10. sed etiam diu posthæc, ut ex Jes. XXXVII, 12. & Ezech. XXVII, 23. patet.

Jo. Harduinus multum operis consumsit in tuenda sententia, quod *Paradisus* situs fuerit in terra Canaan, sed paucorum ex nostra Ecclesia Theologorum assensum nactus est. Nostris temporibus inprimis JONAS CORTE *in Suppl. III. ad Itinerarium suum p. 77 sq.* evincere studuit, terram Sodomæ & Gomorræ fuisse locum Paradisi. Provocat ad tuendam suam hypothesin, ad B. *Lutherum*, qui in *Commentario in Genesin* idem docuerit. Vide *Tom. IX. Altenb. p. 346. a.* Hujus sententiæ etiam fuisse fertur *Jo. Heinr. Heideggerus* in *Histor. Patriarch. Exercit. IV.* § *42.* nec non Maxime Rev. Dnus *Hæckius*, Minister verbi divini Hamburgensis in supra allegato *Suppl. p. 88.*

Flu-

Flumina, intra quæ juxta Mosis descriptionem Paradisus locum habuisse fertur, hodie non modo alia nomina, sed etiam alios meatus habent. Hinc difficile est, verum ejus situm indicare. Nobis scitu sat est, primos homines in statu integritatis incoluisse regionem Asiæ, quæ deliciarum plena fuit, in diluvio vero earum jacturam fecit. Interim non negandum est, totum terrarum orbem ante hominis lapsum Paradisi formam habuisse. Hominum enim genus non semper intra confinia amœnissimi sui horti in Eden mansisset, si in statu integritatis se multiplicasset, sed potius se extra ejus cancellos in omnem terram posthac diffudisset.

Paradisus, etsi perditus sit in hac terra, adumbrat tamen adhuc statum gloriæ post hanc vitam, Luc. XXIII, 43. 2 Cor. XII, 4. Apoc. II, 7.

CAPUT VII.

DE

JACTURA ET RELIQUIIS IMAGINIS DIVINÆ.

Imago Dei in hominibus amissa est per lapsum primorum parentum. Probatur hoc non modo ex historia lapsus, de qua infra pluribus agemus, sed etiam ex corrupto hominum statu, in quo jam versantur homines, nec non ex

renovatione, quæ quasi imaginis divinæ restauratio est, Eph. IV, 22-24. Col. III, 10.

Signa amissæ imaginis divinæ in primis parentibus fuerunt pudor, metus, occultatio, frivola excusatio & pœnitentia, Gen. III, 7. 8. 10-13.

Negant *Sociniani, Weigeliani* & quidam ex *Arminianis*, imaginem Dei per lapsum amissam esse. Provocant ad Gen. IX, 6. 1 Cor. XI, 7. & Jac. III, 9. Sed ibi quidem homines dicuntur ad imaginem Dei conditi esse, sed non simul asseritur, istos eadem adhuc gaudere.

Pontificii distinguunt inter imaginem & similitudinem Dei. Priorem mansisse, posteriorem vero amissam esse contendunt. Sed distinctio hæc nullo nititur fundamento. Rectius distinguitur inter imaginem Dei & ejus reliquias, quas alii *vestigia* dicere malunt.

Intelligimus per *reliquias* s. *vestigia* imaginis divinæ non modo id, quod quasi redolet pristinam sapientiam, justitiam & sanctitatem, sed etiam omne, quod in hominis natura, intellectu & voluntate adhuc restat, ad cognoscendum, nos olim felicioris fuisse sortis & conditionis. Probari hoc potest ex Rom. I, 18-32. c. II, 14. 15. Act. XVII, 23. 27. 28.

Superest etiam de imagine Dei usus *conscientiæ*, secundum quam de nostris actionibus judicare possumus, num licitæ sint

nec

nec ne. Speciatim de ea in ſequenti capite agemus.

Reliquiæ imaginis divinæ quintuplicem habent uſum: 1) ſunt teſtimonia primæ felicitatis, 2) conſervant externam diſciplinam & pacem publicam inter homines, 3) ducunt nos ad Deum, verumque ejus cultum, 4) multum faciunt ad Dei glorificationem & 5) reddunt homines coram tribunali divino inexculpabiles, Rom. I, 20.

Recordatio imaginis divinæ nos excitare debet 1) ad exuendam imaginem mundi, Rom. XII, 2. nec non Satanæ & animalium brutorum, quibus in malis noſtris cupiditatibus & operibus ſimiles ſumus, & 2) ad induendam imaginem Chriſti, ſecundi Adami, quod in hac vita inchoate, in futura autem complete fit, Pſ. XVII, 15. 1 Cor. XV, 49. 1 Joh. III, 2.

CAPUT VIII.

DE CONSCIENTIA.

Conſcientia eſt ea animæ facultas, omnibus hominibus ingenita & concreata, qua non modo actionum ſuarum conſcii ſunt, ſed etiam de earum moralitate, num bonæ

& licitæ, an malæ & illicitæ ſint, judicium ferre poſſunt.

Græce vocatur *συνείδησις* a *σὺν* & *εἰδέναι*, quæ vox verbum latinum perfecte exprimit.

Ad reliquias imaginis Dei pertinet conſcientia, ſed per peccatum originale valde læſa & debilitata eſt.

Naturaliter unicuique homini inhæret. Hinc non modo *cordi* tribuitur, 2 Sam. XXIV, 10. 1 Reg. II, 44. Eccl. VII, 23. Jer. XVII, 1. 1 Joh. III, 21. Rom. II, 15. ſed etiam per ipſum *ſpiritum hominis* interdum intelligitur, Rom. VIII, 16. 1 Cor. II, 11. Prov. XX, 27.

Pertinet *conſcientia* ad utramque animæ facultatem, *intellectum* & *voluntatem*: ad *priorem*, quatenus hominem ſuarum actionum conſcium; & ad poſteriorem, quatenus eundem ad judicandum de ſuis actionibus, atque adeo vel ad ſeſe damnandum vel excuſandum vel abſolvendum impellit.

Norma conſcientiæ eſt *lex*, tam *naturalis*, Rom. II, 14. 15. quam *divina* & *civilis*.

Objectum ejus ſunt omnes actiones, *moraliter*, h. e. reſpectu legis, conſideratæ. Sicut vero *lex* triplex eſt, ita etiam actiones vel naturales vel ſpirituales vel civiles ſunt.

A cognitione & applicatione *legis* dependet *qualitas conſcientiæ*. Diſtinguitur enim reſpectu normæ in rectam, erroneam & dubiam conſcientiam.

Con-

Conſcientia recta fundatur norma recta, ſ. lege *recte* intellecta & applicata, *conſcientia erronea* vero lege *non recte*, & *dubia* lege *dubitanter* intellecta & applicata.

Ex dubiis conſcientiæ oriuntur *caſus conſcientiæ*, per quos tales intelligimus actiones, quæ ad conſcientiam ſpectant & reſpectu moralitatis difficulter decidi poſſunt.

Reſpectu judicii, de moralitate actionis ferendi, diſtinguitur *conſcientia* in *bonam*, *malam* & *ſcrupuloſam*.

Conſcientia bona eſt, quando homo ob actiones ſuas nil mali timet, Hiob. XXVII, 6. Hebr. XIII, 18. 2 Cor. I, 12. *conſcientia mala* vero, quando homo ſe ipſum ob actiones ſuas damnat & pœna dignum judicat, 1 Joh. III, 21. Sap. XVII, 10. 11. & denique *conſcientia ſcrupuloſa* ſ. *anxia*, quando homo de integritate & impunitate actionum ſuarum dubitat. *Inquieta* tunc eſt conſcientia & *vulnerata*.

Poteſt etiam conſcientia reſpectu ſtatus, in quo homo vivit, diverſimode diſtingui.

In *ſtatu gratiæ* dicitur conſcientia reſpectu normæ *certa*, Rom. XIV, 5. & reſpectu actionum & fidei *læta*, 1 Joh. III, 21. Sir. I, 11. *pura*, 1 Tim. III, 9. 2 Tim. I, 3. *quieta*, Sir. XIX, 10. *illæſa*, Act. XXIV, 16. & *tranquilla*, quæ tranquillitas etiam *pax conſcientiæ* vocari poteſt.


Status naturæ duplex eſt, vel ſecuritatis vel ſervitutis. In *ſtatu ſecuritatis* datur *conſcientia dormiens*, *laxa* & *cauteriata*, 1 Tim. IV, 2. & in *ſtatu ſervitutis* conſcientia *anguſta*, *timida*, Jeſ. VII, 2. Sap. XVII, 2. & *deſperabunda*.

Caveamus igitur, ne contra conſcientiam dubiam agamus, nec conſcientiam bonam lædamus & maculemus. Studeamus potius, conſcientiam certam adipiſci, imbecillam roborare, vulneratam ſanare, & aliorum conſcientiam teneram non offendere. Omnem lapidem moveamus, ut, cum Paulo dicere queamus: Ἐν τούτῳ ἀσκῶ, ἀπρόσκοπον, συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους διαπαντός: h. e. *in hoc me exerceo, ut inoffenſam conſcientiam omni tempore habeam coram Deo & hominibus*, Act. XXIV, 16. Confer Act. XXIII, 1.

Plura de conſcientia pertinent ad Theologiam moralem.



SECTIO



SECTIO III.

DE
LAPSU HOMINUM.

CAPUT I.

DE
AUCTORE LAPSUS.

Auctor lapsus non alius est, quam *diabolus*. Is enim in paradiso primos parentes seduxit, Gen. III, 1 - 5. 2 Cor. XI, 3. Dicitur propterea *homicida ab initio* & *pater mendacii*, quia mentiendo fefellit homines, Joh. VIII, 44.

In historia lapsus vocatur *serpens*, Gen. III, 1. Quæritur hinc inter Theologos: num vox hæc proprie, an improprie & metaphorice intelligenda sit?

Communis sententia est, diabolum obsedisse *verum serpentem* & per eum locutum esse cum primis hominibus. Sed qui contrariam tuentur sententiam, provocant 1) ad silentium Scripturæ S. de obsessione serpentis nil memorantis, 2) ad sapientiam primorum hominum, naturam animalium satis cognoscentium, 3) ad justitiam divinam, diabolo ejusmodi obsessionem non permittentem, & 4) ad maledictio-

nem, seductori impositam, quam naturalis serpens neutiquam meruit.

At cur non dicere velim, diabolum serpentis formam assumsisse, aut phantasticum serpentis corpus induisse?

Sine dubio diabolus metaphorice in historia lapsus nominatur *serpens*, uti alibi fit, e.g. Luc. X, 19. 20. 2 Cor. XI, 3. Apoc. XII, 9. Est enim nomen Symbolicum. Quia serpentes animalia sunt astuta, venenata, abominanda & infensa, jure meritoque cum malis comparantur spiritibus. נחש, *serpens* & שרף, *saraph*, in plurali *Seraphim*, Num. XXI, 8. 9. sunt synonyma, hac quidem cum distinctione, quod prior vox generalem, posterior vero specialem significationem habeat.

Serpens itaque Gen. III, 1. est ipse diabolus, metaphorice sic dictus. Nec obstat, Mosem de isto scripsisse, cætera terræ animalia calliditate superasse.

Diabolus enim cum dejectus fuerit in terram, Apoc. XII, 9. facile inter omnes in terra viventes s. existentes creaturas callidissimus esse potuit.

Necesse vero habuit diabolus *calliditatem* ad seducendum homines, quia alias non ad defectionem istos traxisset. Aggrediebatur fraudulentia sua non modo intellectum & voluntatem primorum hominum, sed etiam eorum sensus externos, Gen. III, 6. Accedebat præcipue ad mulierem, viro debiliorem, 1 Petr. III,

Petr. III, 7. quam mendaciis suis fraudulenter decipiebat. Hæc vero peccans suasione sua simul in peccatum inducebat virum. In memoriam hujus deceptionis muliebris nulla nunc fœmina ad publice prædicandum verbum Dei in ecclesia admitti debet, 1 Tim. II, 14. Interim cum Adam, tamquam communis totius generis humani parens, uxoris suæ quasi radix ac principium fuerit, *unus* quoque *homo* fuisse dicitur, per quem peccatum in mundum venit, Rom. V, 12. Sumitur simul h. l. vox *unus* collective, sicut Gen. I, 27. quia maritus & uxor una caro sunt, Matth. XIX, 16.

Maledictio serpentis, Gen. III, 14. 15. metaphorice interpretanda est. Humi enim incedere & pulverem edere, statum abjectissimum indicat, Mich. VII, 17. Ps. XLIV, 26. Ps. LXXII, 9.

Causam, cur homines seduxerit diabolus, non aliam habuit, quam regno Dei damnum inferre & homines sua beatitudine privare. Autor Libri Sapientiæ hinc recte judicat, per diaboli invidiam mortem in mundum venisse, Sap. II, 24. Hominibus enim invidebat felicitatem, nec pati poterat, eos melioris esse sortis.

CAPUT

CAPUT II.

DE PERMISSIONE DIVINA LAPSUS.

Cum nihil in mundo ſine præſcientia & permiſſione Dei fieri queat, quæritur: *annon in Deum aliqua culpa cadat, quod homines lapſi ſint?*

Homines libenter volunt culpam peccati & omnis inde exortæ miſeriæ in Deum transferre, uti ipſe Adam certo modo fecit, Gen. III, 12.

Verum nec cauſa phyſica, nec cauſa moralis lapſus hominum dicendus eſt Deus, & quidem 1) ob eſſentialem ejus ſanctitatem & bonitatem, 2) ob ſerium peccati interdictum, 3) ob commiſſi peccati exprobrationem, & 4) ob pœnæ ejus irrogationem.

Deus nec impulit nec determinavit primos homines ad lapſum. Serio potius ab eo retrahere ſtuduit iſtos, non quidem phyſice, utpote quod cum concreata hominis libertate agendi pugnaviſſet, ſed moraliter, dehortando ſcilicet & comminando, nec non vires ad præcavendum largiendo.

Deus quidem lapſum præſcivit, ſed ſcientia rei non ejus eſt cauſa. Sicut ſpeculum non

non rei, quam repræsentat, causa est, ita nec Dei intellectus, cui omnia perspecta sunt, caussa cognitarum rerum esse potest.

Interrogant autem omnes, qui temere Deum injustitiæ arguunt, *cur non hominem aliter creaverit?* Verum non potuit homo ita creari, ut ei plane non possibile fuisset peccare & labi. Debebat enim esse creatura a Deo dependens & libere agens. Demta autem libertate agendi vel machina mortua, vel animal brutum, vel truncus fuisset. Si vero plane non labi potuisset homo & quidem per essentiam suam, non fuisset homo, sed substantia divina, quod cum unitate Dei pugnat.

Ad quæstionem: *Cur Deus lapsum hominum permiserit, cum tamen impedire potuisset?* respondetur, ideo permisisse lapsum, quia convenientius ei fuit permittere, quam impedire. Talis Dei œconomia circa homines, universim spectata, perfectior fuit, quam quæcunque alia. Lapsus sine graviori, inde emergente, malo impediri non potuit. Qui inter plura possibilia id eligit, quod convenientius est cæteris & perfectius, is nihil committit se indignum aut incongruum.

Inter malum facere & permittere, magnum est discrimen. Malum facere, ut bonum exinde proveniat, nefas est, Rom. III, 8. at malum

lum permittere, ut plura exinde eliciantur bona, omnino licitum est, ut ex solius Josephi exemplo Gen. XLV, 5. c. L, 20. satis probari potest.

Inter bona majora, quæ non nisi ex permissione lapsus orta sunt, jure refertur opus redemtionis Jesu Christi.

Potest etiam facilius permitti malum reparabile, quam irreparabile.

Qui non ad impediendam malam actionem obligatus est, nec malæ actionis culpam habet.

CAPUT III.

DE

OCCASIONE LAPSUS.

Occasionem labendi dedit lex de non comedendo fructu arboris vetitæ, Gen. II, 17. Nam sine lege non datur transgressio, Rom. IV, 15.

Quæritur autem: *Cur Deus homini legem præscripserit?* Factum id est ex singulari Dei sapientia. Homo enim non credere debebat, se absolutum esse terræ dominum, qui neminem super se habeat, quem timeat & cui obsequium præstet. Lex autem data satis docebat, eum sub Deo esse, cui omnia bona accepta referre deberet. Hoc homini poterat esse fundamentum

mentum timoris Dei, nec non ſtudii, ſtatum felicitatis ſuæ quotidie augendi & in bono ſe ita confirmandi, ut poſtea nunquam a Dei voluntate deſciſcere potuiſſet.

At proh dolor! lex divina præbuit homini occaſionem peccandi. *Arbor vetita* homini offendiculo fuit, quo delapſus eſt in perniciem.

Arbor hæc in Scriptura S. vocatur *arbor cognitionis boni & mali*, Gen. II, 9. 17. Accepit nomen hoc ob divinam tentationem, qua hominem eo deducere voluit, ut cognoſcat, quid bonum vel malum ſit. In medio horti ſita erat. Cujus generis vero fuerit, inter Philologos adhuc diſceptatur. Ex ſacris literis non liquet, num malus an pirus fuerit. In hoc fere omnes ſani Theologi conveniunt, quod non ſingularis fuerit naturæ. Habebat ſine dubio ſui generis plures in horto & erat æque bona, quam cæteræ arbores.

Errant igitur, qui cum *Henningio Huthmanno*, Rectore Ilfeldenſi, arbori vetitæ vim adſcribunt naturalem, corpus hominis ejusque ſanguinem cum omnibus humoribus ita corrumpendi, ut tota ejus natura per eſum fructus ejus corrupta ſit. Sed unde hæc vis nocendi, cum omnia, quæ Deus intra ſextiduum creavit, valde bona dicantur? Gen. I, 31. Accedit,

cedit, quod non facultates animæ simul corrumpi potuissent, si corpus a veneno arboris noxam accepisset. Paulus expresse inobedientiam primi hominis nominat causam lapsus, Rom. V, 19.

Verisimillimum mihi visum est, arborem vetitam fuisse malum punicam, quia *a)* jucunda ista est in oculis, ejusque fructus ad edendum desiderabilis, Cant. IV, 13. c. VIII, 2. Num. XIII, 24. Deut. VIII, 8. *b)* vox Hebræa רִמּוֹן nomen a dolo habet, *c)* mala punica multifarium usum typicum in V. T. habuerunt, & *d)* ethnici mala punica Junoni, Saturno & Rheæ sacra esse voluerunt, fictioneque sua de Proserpina ob hæcce mala in æternum detrusa, historiam lapsus adumbrarunt. Sed conjecturam hanc nemini obtrudimus.

Pessimam sententiam de arbore vetita fovit *Hadrianus Beverlandus*, ICtus Batavus, qui metaphorice per eam membrum Adami genitale in medio corporis ipsius, per paradisum adumbrati, positum intellexit, primosque parentes per concubitum libidinosum, quem Moses per esum fructus vetiti indicaverit, lapsos esse perhibuit.

Neutiquam vero præceptum Dei de non comedendo fructu prohibito causam lapsus dicere debemus. Quemadmodum enim Principis præceptum de non auferenda re aliena non causa furti est, etsi criminis furti omnes, qui istud

præ-

præceptum transgrediuntur, reos facit: ita etiam cum præcepto divino de non comedendo fructu arboris vetitæ comparatum est.

CAPUT IV.

DE
FORMA LAPSUS.

Nomen *lapsus* desumtum est a voce παράπτωμα, quæ sæpissime in scriptis apostolicis occurrit. Derivatur a παραπίπτειν, incidere & prolabi, Hebr. VI, 6.

Incepit lapsus primorum hominum in *intellectu*. Actus enim voluntatis semper actum intellectus sequitur.

Cum diabolus mendaciis suis illecebrosis homines aggrederetur, primum studebat intellectum eorum præjudiciis & falsis opinionibus occupare. Calumniabatur Deum, quasi invideat majori hominum perfectioni & felicitati: mentitum igitur ipsum esse perhibebat, quod esum de arbore cognitionis boni & mali eam ob causam, ut non moriantur, interdixerit, Gen. III, 1-5.

Simulac calumniis hisce assensum præbere incipiebant primi parentes, lapsus aderat. Deficiendo a concreata cognitione habituali, & pro invido & mendace habendo Deum, 1 Joh. V, 10. voluntas inclinabat se ad obsequendum diabolo. Mulier oculos ad arborem dirigebat,

cujus jucundus aſpectus cupidam eam reddebat, de ejus fructibus aliquid deguſtandi. Cupiditas hæc cum concepiſſet, peccatum peperit, Jac. I, 15. Mulier extendebat manus ad decerpendum fructum & de eo comedens marito quoque aliquid porrigebat, qui pari cupiditate id accepit & edit, Gen. III, 6.

Sic homines non modo a concreata cognitione Dei, ſed etiam amplectendo apparens bonum pro vero a genuina habitualique cognitione veritatis defecerunt. Amiſſa vero hac cognitione amittebatur etiam lux, ſine qua nemo recta via incedere poteſt.

Lapſus hominum erat partim *internus*, partim *externus*. *Lapſus internus* habebat tres gradus, 1) ἀπιςίαν, 2) pravam cupiditatem & 3) propoſitum de prohibito fructu edendi.

Lapſus externus peractus eſt, cum revera primum Eva, deinde Adam manus extenderint & de fructu comederint.

Per lapſum hunc totum rumpebatur fœdus, inter Deum & homines initum, vinculumque amoris inter utroſque prorſus diſſolvebatur.

CAPUT V.

DE IMPUTATIONE LAPSUS.

Imputatio eſt, quando rei culpa in aliquem confertur. Proprie peccatum originis tantum

tum Adamo & Evæ imputandum est. Hi enim soli commiserunt istud.

At *cur*, quæso, *lapsus Adami posteris imputatur?* Aperte id fit a Paulo Rom. V, 16. 18. 19. ubi expresse dicit, per unius lapsum condemnationem super omnes homines venisse & per unius inobedientiam multos factos esse peccatores. Nonne hoc pugnare videtur cum verbis Dei dicentis: *filius non ferre debet crimen patris, sed quæ persona peccat, morte extinguatur?* Ezech. XVIII, 20. Cur igitur Deus non primos homines propter commissum peccatum statim enecavit & alios creavit, qui genus humanum propagarent?

Ad quæstionem hanc ut debite respondeamus & objectiones diluamus, primum ponimus, quod Deus in Adamo & Eva simul omnes posteros creaverit, ita, ut potentialiter & virtualiter in lumbis eorum quasi omnes & singuli existerent. Factum hoc est vi benedictionis divinæ, Gen. I, 28. Omnes igitur homines Deus jam novit, antequam in utero materno concipiuntur, Jer. I, 5. Ps. CXXXIX, 16.

Adam erat totius generis humani *caput repræsentativum*, Rom. V, 12. 1 Cor. XV, 22. Fœdus igitur, quod Deus cum eo iniit, Gen. II, 15-17. ad omnes simul posteros spectavit. Hoc vero rupto culpa in omnes homines redundavit, quia omnes simul in Adamo peccaverunt, Rom. V, 12. 18. 19. Si itaque Deus primos homines ob commissum peccatum ex-

tirpasset, omnes simul posteros, quos jam noverat, extirpare debuisset. Hoc vero facere non poterat, nisi contra se ipsum ageret. Quod enim jam vidit Deus, antequam revera extitit, id etiam non potest non existens reddere. Si itaque lapsus hominum non factus fuisset, nec lapsum Deus prævidere potuisset. Addimus & hoc, quod homo ad æternitatem creatus sit, & propterea immortalem acceperit animam. Hanc vero non annihilare potuit, nisi primum suum decretum mutaret. Decretum vero mutare, cum summa ejus perfectione pugnat.

Oportebat igitur primos homines tamdiu vivos manere, donec liberos genuerint, qui genus humanum propagent. Nec aliter quoque mori debebant, quam rupto vinculo corporis & animæ, quia secundum primum Dei decretum non funditus interire poterant.

Non autem propterea injustitiæ arguendus est Deus, quod primorum hominum peccatum toti humano generi imputaverit, nec pugnat cum ejus sapientia, quod primam hominum stirpem non penitus extirpaverit & alios homines condiderit. Nam si alios creavisset, nemo nostrum unquam in lucem editus foret, quia in priori stirpe simul omnes interivissemus.

Jure meritoque hinc ferimus culpam Adami, dum non modo in ipso peccavimus, sed etiam ejus corruptam naturam in nos suscepimus.

Desti-

Destituti sumus justitia originali, prava autem concupiscentia laboramus omnes. Ex peccaminoso semine quisque formatur, Ps. LI, 7. & ex immundo non nascitur mundus, Hiob. XIV, 14.

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS LAPSUS.

Effectus lapsus sunt calamitosi. Amissa enim imagine Dei amissa quoque est justitia originalis omnisque felicitas vitæ, tranquillitas animi & immortalitas corporis.

Hoc ut eo melius intelligamus, exponemus 1) quid ex parte Dei, & 2) quid ex parte hominum secutum sit lapsum primorum parentum.

Ex *parte Dei* secutum est 1) *judicium* ejus tam super lapsos homines, quam serpentem, qui eos seduxit, Gen. III, 14. 16-19. 23. 24. & 2) *evangelium* de redimendis hominibus per Christum, Gen. III, 15. cujus effectus fuerunt a) mitigatio pœnæ, & b) usus vestium, Gen. III, 21.

Ex *parte hominum* sequebatur lapsum 1) corruptio totius naturæ, 2) status vitæ miserrimus & denique 3) mors inevitabilis. Triplex hoc malum in omnes Adami posteros propagatur, Gen. V, 3. Rom. V, 12. 18. Ps. LI, 7. Eph. II, 3.

Corruptio totius naturæ locum habet 1) in *intellectu*, qui amissa primæva scientia & sapientia plenus ignorantiæ, stultitiæ & erroris factus est, Eph. IV, 18. 1 Cor. II, 14. 2) in *voluntate*, quæ sanctitate sua & inclinatione ad obsequendum Deo, præstandumque, quod proximo debemus, non solum destituta, sed simul omnibus pravis cupiditatibus, inordinato amore erga se ipsum & aversatione a quacunque re bona ac justa impleta est, nec non magnam liberi arbitrii jacturam fecit, Rom. VII, 15-23. Eph. IV, 22. & denique 3) in *corpore*, quod variis morbis, periculis & doloribus, imo morti ipsi & putrefactioni obnoxium factum est, Gen. III, 19. Rom. VII, 24.

Status vitæ post lapsum est omnino miserrimus. Simulac enim primi homines ex paradiso ejiciebantur, reditusque ad eum claudebatur, Gen. III, 24. maledictio divina hominibus totique terræ imposita, Gen. III, 16-19. in effectum transiit. Ager ferebat spinas & tribulos. Uxores cum magnis doloribus pariebant & mares in ærumnis & solicitudine labores & opificia sua obibant, inque sudore panem edebant. Conscientia plena anxietatis & inquietudinis reddebatur, animus vero omnem tranquillitatem amittebat. Statum hunc miserum omnium optime descripsit Siracides, c. XL, 1-8.

Mors, quæ est ultimum hominis malum, Sir. XL, 2. 1 Cor. XV, 26. per & propter peccatum

tum εἰς πάντας ἀνθρώπους διῆλθεν, h. e. in omnes homines pervasit, Rom. V, 12. In describenda morte hic non prolixi esse volumus, quia jam speciatim de ea acturi sumus.



SECTIO IV.

DE MORTE TEMPORALI.

CAPUT I.

DE MORTE IN GENERE.

Mors in sensu latiori omnem peccati pœnam indicat, Gen. II, 17. Rom. VI, 23. speciatim vero & proprie tantum finem vitæ significat.

Mors generalius sumta *triplex* est, temporalis s. naturalis, spiritualis & æterna.

Mors spiritualis consistit partim in ira & maledictione Dei, 2 Cor. III, 6. coll. Rom. IV, 15. it. Deut. XXX, 19. partim in privatione gratiæ divinæ, Luc. XV, 24. 1 Joh. III, 14. Col. II, 13. Eph. II, 1. 5. Rom. VIII, 6. 1 Tim. V, 6. partim in impotentia naturali, ad Dei voluntatem vivendi, Rom. VI, 13. Eph. IV, 18. 2 Petr. I, 3.

Mors æterna eſt ipſa damnatio æterna, Matth. X, 28. quæ in Apocalypſi c. XX, 6. 14. c. XXI, 8. mors ſecunda vocatur.

Reſpectu *mortis naturalis* diſtinguendum eſt inter *mortem hominis* & *mortem corporis.* Homo moritur, quando anima & corpus ſeparantur, corpus vero, quando particulæ, ex quibus iſtud compoſitum eſt, diſſolvuntur per putrefactionem.

Vita hominis conſiſtit in animæ & corporis facultate agendi harmonica. Quamdiu harmonica hæc facultas durat, homo vivere, eadem autem ceſſante, mori dicitur.

Vita corporis in vi ejus motrice, ad operationes naturales determinata, conſiſtit. Hæc durat, quamdiu non per aliquid, quod Philoſophi menſtruum ſ. heterogeneum vocant, tollitur aut turbatur. Sicut vero circulatio ſanguinis principium omnium motuum corporis organici eſt, ita corporis vita etiam in ſanguine eſſe dicitur, Lev. XVII, 11.

Etſi autem *totus homo* moriatur, non tamen *totum hominis* interit. Non ſolum enim anima poſt mortem ſuperſtes eſt, ſed etiam principium, ex quo corpus compoſitum eſt, utpote quod non niſi cum tota mundi machina annihilari poteſt.

Interim certum eſt, hominem per ſe non de tali natura eſſe, ut ejus immortalitas primæva non a ſola Dei benignitate, cui totam divinam imaginem debemus, dependerit, quapropter

propter etiam *arbor vitæ* non ob aliam causam, quam ad conservandam hominis vitam naturalem in medio paradisi posita esse videtur, Gen. II, 9. c. III, 22.

CAPUT II.

DE AUTORE MORTIS.

Autor *mortis* est ipse *Deus*, qui sub comminatione ejus, tanquam justissimæ pœnæ, hominibus legem de non comedendo certæ arboris fructu dedit, Gen. II, 17. Penes eum solum enim est summum jus vitæ & necis, Deut. XXX, 19. Jer. XXI, 8. Sap. XVI, 13. Sir. XI, 14. Potest hinc vitam & auferre & iterum reddere, 1 Sam. II, 6.

Factum autem est citra intentionem Dei, quod mors super homines venerit. Ad vitam potius æternam istos creavit, Sap. II, 23. Sicut Deus vitam a se ipso habet & fons est omnis alius vitæ, ita etiam tanquam amator vitæ Sap. XI, 27. voluit, ut homines tanquam excellentissimæ inter terrestres creaturæ semper feliciter vivant, Sap. I, 13. 14.

Est igitur Deus respectu mortis magis ut *Legislator* & *Judex*, quam ut Deus & Creator considerandus. Sicut judex non potest non secundum præscriptas leges promeritam pœnam alicui sine προσωποληψια irrogare, etsi per se

 valde

valde ei doleat ejusmodi hominis exitium & damnum: ita quoque Deus per ſe neutiquam vult mortem peccatoris, Ezech. XXXIII, 11. ob ſuam autem juſtitiam & veracitatem tenetur, mortis pœnam infligere cuique, qui iſtam promeruit. Adſcribitur propterea Deo in ſacris literis tam ira, Pſ. XC, 7. Rom. I, 18. quam vindicta, Deut. XXXII, 35. Rom. XII, 19.

Sunt, qui nomini Dei injuriam fieri putant dicendo, ipſum eſſe autorem mortis. Magis *diabolum* ita nominandum eſſe judicant, quia primus homicida vocatur, Joh. VIII, 44. At diabolus cauſa potius, quam autor mortis dicendus eſt. Homines enim ad peccandum omnino quidem incitavit, &, ut mortis pœnam ſubirent, occaſionem dedit, non tamen mortem ipſam iis inflixit, quia poteſtas puniendi penes ſolum Deum fuit.

Hic ſolus ex auctoritate legislatoria homines ad mortem, tanquam ad promeritam pœnam, condemnavit, &, adimendo iis concreatas perfectiones, reddidit mortales: at cauſa mortis non propterea dicendus eſt Deus, Sap. I, 13. 14. ut nunc pluribus oſtendemus.

CAPUT III.

DE CAUSIS MORTIS.

C*auſa mortis* in genere ſpectata eſt *peccatum.* Niſi homines peccaſſent, nec mors in mundum

mundum venisset, Rom. V, 12. Est enim malum pœnæ, quod malum culpæ semper sequitur.

Cum *diabolus* autor lapsus & peccati hominum sit, jure meritoque etiam ad caussas mortis referri potest, non quidem proximas, sed tamen remotas, Sap. II, 24. Joh. VIII, 44. Hebr. II, 14. Ad easdem etiam pertinent *primi homines* ipsi respectu suorum posterorum, Rom. V, 12.

Causæ mortis proximæ dupliciter considerantur, vel *physice* vel *moraliter*. *Physice* considerantur, quatenus directe, *moraliter* vero, quatenus indirecte mortem causantur. Per se omnes mortis causæ sunt physicæ.

Dividuntur autem *causæ* mortis *physicæ* in *naturales*, *præternaturales* & *violentas*.

Causæ mortis naturales sunt humidi radicalis absumtio & nativi caloris extinctio, ex naturali hominis corruptione vergente ætate proveniens. Fit hoc in senectute, in qua vires naturales languescunt, humoresque vitales sensim exsiccantur. Ita Abraham & Isaac mortui esse dicuntur, Gen. XXV, 8. c. XXXV, 29. Talis felicitas paucis hominibus obtingit, quia debitam diætam, continentiam & moderamen affectuum negligunt.

Causæ præternaturales sunt morbi, qui in homine non ex communi naturæ necessitate, sed aliunde, e. g. ex vitio diætæ, victus & aëris, ex nimiis vigiliis, defectu motus & quietis,

nec

nec non ex abusu affectuum, ex libidine & intemperantia oriuntur, quales sunt febres, hydrops, phthisis, pestis aliique morbi, qui substantiam corporis evertunt, spiritusque vitales ita dissipant, ut, si non salubris medicina, quæ a Deo creata est, Sir. XXXVIII, 2. 4. 12. justo tempore adhibeatur, hominem præter naturam enecent. Aristoteles hujus mortis principium ἐπίκτητον πάθος, h. e. *adventitiam passionem* nominat.

Causæ violentæ sunt res externæ, quibus vel toti corpori vel parti ejus nobiliori ejusmodi vis infertur, quæ circulationem sanguinis tollit, adeoque vitam extinguit. Huc pertinent omnis generis venena, mortifera arma & instrumenta, nec non aqua, ignis, belluæ &c.

Omnes has mortis *causas* nominamus physicas, quatenus directe mortem causantur. Dantur interdum tales in ipsis hominibus, quando vel sibi ipsis ea, quæ lethifera sunt, applicant, ut Saul & Ahitophel, 1 Sam. XXXI, 4. 2 Sam. XVII, 23. vel, ut ab aliis occidantur, postulant, Jud. IX, 54. vel scientes volentesque in occisorum manus currunt, 2 Sam. II, 22. 23. Act. XXI, 13. vel periculis moriendi se temere exponunt, 1 Reg. XXII, 32. 2 Chron. XVIII, 31. c. XXXV, 22. 23. vel facinoribus suis Deum aut magistratum ad supplicium sibi solvendum lacessunt, vel per vitam dissolutam & luxuriosam, nimias lucubrationes & alia ratione sibi præmaturam mortem contrahunt.

Omne

Omne hoc mortis genus communi nomine *αὐτοχειρία* dicitur, quæ vel directa vel indirecta est. *Directa* ΑΥΤΟΧΕΙΡΊΑ est, quando aliquis se ipsum vel propriis vel alienis manibus data opera vita privat, *indirecta* vero, quando aliquis non quidem data opera, at fortuito tamen & se invito sui ipsius mortis causa fit. Prior *αὐτοχειρία* inter crimina, posterior vero inter humanas infirmitates numeratur.

Quæritur: *Annon in certis casibus homini christiano liceat vitam suam abbreviare?* Respondetur negando, quia 1) omne homicidium in præcepto quinto interdictum est, 2) ipsa lex naturæ nos ad nostri conservationem obligat, & 3) nos non nostræ vitæ domini sumus, Rom. XIV, 7. coll. Joh. X, 18. Interim mitius omnino sentire possumus de iis, qui vel in persecutionibus ad conservandam suam castitatem vel ex melancholia se ipsos interficiunt, quanquam *αὐτοχειρία* in se spectata neutiquam defendi queat.

Moraliter aliquis causa mortis alterius esse potest, si latrones & homicidas pretio conducit, aut mandato, suasionibus, minis & promissionibus aliquem ad occidendum alterum inducit, aut alia ratione cædem hominis promovet. Valet hic dicterium: *Quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est.* Sic David Uriam, 2 Sam. XI, 15. c. XII, 9. Absalom fratrem Ammon, c. XIII, 28. 29. & Judæi Christum Act. II, 23. c. III, 15. interfecerunt.

Huc spectat etiam negligentia, alterum de mortis periculo admonendi, Ezech. XXXIII, 6. aut a morte custodiendi, Exod. XXI, 19. aut res lethiferas ei justo tempore auferendi.

Præter homines etiam *angeli* causa mortis esse possunt, quatenus Dei voluntatem in occidendis impiis exequuntur, ut exempla Herodis Agrippæ, Act. XII, 23. & populi Judaici tempore Davidis peste cæsi, 2 Sam. XXIV, 16. docent. Imo *mali spiritus* interdum hominum mortem causari solent, Hiob. I, 12. 15. 16. 17. 19. 2 Reg. XXII, 20-23. 35. 2 Chron. XVIII, 19-22. 33. 34.

Lichtscheidius, Theologus Berolinensis, putavit, impios omnes vita privari per certum angelum mortis, quod etiam Muhamedanorum & hodiernorum Judæorum sententia est.

CAPUT IV.

DE FORMA MORTIS.

F*orma mortis* consistit in dissolutione vinculi inter animam & corpus.

A vinculo animæ & corporis dependet vita naturalis. Hoc si cessat, cessat etiam vita. Homo igitur vivere desinit, simulac anima & corpus separantur, Ps. CXLVI, 4. Eccl. XII, 7.

Est

Est itaque mors naturalis quasi *dissolutio naturæ*, ut ait Cicero, cui etiam *animam* aut *spiritum efflare* s. *edere*, idem est ac mori.

Et hæc est totius Scripturæ S. loquendi ratio de morte. Paulus hinc expresse vitæ suæ decessum ἀνάλυσιν nominat, 2 Tim. IV, 6. & quando mori cupit, dicit: τὴν ἐπιθυμίαν ἔχω, εἰς τὸ ἀναλῦσαι, Phil. I, 23.

Eandem significationem habet vox ἐκπνέειν, h. e. animam efflare, quod de Christi morte occurrit, Marc. XV, 37. & Luc. XXIII, 46. Matthæus id per ἀφιέναι τὸ πνεῦμα, h. e. dimittere spiritum, Matth. XXVII, 5. & Johannes per παραδιδόναι s. tradere spiritum, Joh. XIX, 30. exprimit. Pari modo *Stephanus* Christum in morte invocans dixit: δέξαι τὸ πνεῦμά μου, h. e. *accipe spiritum meum*, Act. VII, 59. Quo etiam spectant verba Petri, quando mortem per ἀπόθεσιν τοῦ σκηνώματος h. e. *depositionem domicilii* s. corporis, 2 Petr. I, 13. 14. describit.

Formalis itaque *ratio* mortis temporalis consistit in dissolutione vinculi naturalis inter animam & corpus, qua facta statim sequitur διάστασις, h. e. *localis separatio* & *abscessio animæ a corpore*.

Hoc ultimum *Theologi Tubingenses* olim negarunt, perhibendo, ad mortem sufficere veram animæ a corpore διάλυσιν, licet non statim anima a corpore localiter secedat. Provocant ad Act. XX, 10. ubi Paulus de mortuo Eutycho dixit, animam ejus in ipso adhuc esse. Sed locum

locum hunc contra ſupra dictos Theologos omnium optime vindicavit B. ROMANUS TELLERUS in *Diſſ. Acad.* an. 1722 Lipſiæ habita, in qua oſtendit, *ad naturam mortis requiri mentis a corpore διάςασιν, non vero ſolam διάλυσιν.* Probat enim, Apoſtolum vel de anima mortui adoleſcentis tanquam mox reverſura, vel de eadem ad preces ac geſtus Apoſtolicos jam tum reverſa locutum eſſe.

Interim diſtinguendum eſt inter *mortem hominis* & *mortem corporis.* Homo moritur, quando anima & corpus ſeparatur, corpus vero moritur ſ. interit, quando particulæ, ex quibus compoſitum eſt, diſſolvuntur, quod in putrefactione fit.

CAPUT V.

DE NECESSITATE MORTIS.

Duplici reſpectu mors *neceſſaria* eſt, reſpectu Dei & reſpectu hominum.

Reſpectu Dei neceſſaria eſt mors *ad luendam pœnam,* quam Deus ex juſtiſſimo judicio ad vindicandam læſam ſuam majeſtatem non potuit non omnibus hominibus, qua peccatoribus, imponere, Gen. II, 17. Ezech. XVIII, 5. Rom. VI, 23. Sir. XLI, 5.

Peccata ſunt crimina læſæ majeſtatis divinæ, quæ non niſi morte expiari poſſunt. Pugnat enim cum divina juſtitia & ſanctitate, homi-

nibus

nibus peccatorum impunitatem dare & sceleratam eorum vitam non morte tollere.

Pertinet autem ad luendam Dei pœnam, ut anima & corpus dissolvantur. Hoc res acerbissima est, super qua tota natura horrescit. Vocatur propterea mors *rex terrorum* h. e. res terribilissima, Hiob. XVIII, 14. Omne enim, quod vivit, vitæ finem reformidat. Homo hinc pro conservatione vitæ suæ cuncta, quæ possidet, dare solet, Hiob. II, 4.

Mortis acerbitas universalis est. In primis sentiunt eam impii, 1 Sam. XV, 32. & qui in mundo omnibus rebus abundant, Sir. XLI, 1. Jure meritoque ideo mors vocari potest malum, quod ex justa Dei vindicta necessario super omnes homines ob peccatum venit. Ex hac causa omnes omnino homines mori debent, Ps. LXXXIX, 49. Rom. V, 12. Ps. XC, 13. Jes. LI, 12. Hebr. IX, 27. Hiob. XXX, 23. Sir. XIV, 18. c. XXV, 32.

Est autem mors quoque necessaria *respectu* ipsorum *hominum*, quia radix peccati in iis non aliter tolli potest, Rom. VI, 7. c. VII, 24. 1 Cor. XV, 30. 50. 51.

Radix peccati s. *fomes* ejus, quæ alias peccatum originale nominatur, naturæ hominis ita inhæret, ut non nisi cessante vinculo animæ & corporis extirpari queat. Sedes peccati in hoc vinculo subsistit. Necesse hinc est, ut vinculum hoc dissolvatur, & corpus, cujus massa sanguinea & animalis veneno isto infecta est, in cineres redigatur.

Exinde patet, quod ad tollendam peccati radicem non sola separatio animæ a corpore sufficiat, sed simul requiratur putrefactio & cinefactio corporis, Gen. III, 19. 2 Cor. IV, 16. 1 Cor. XV, 42. Eccl. III, 20. c XII, 7. Tota enim hominis natura inverti & purificari debet, si vitæ cœlestis particeps fieri vult. Nam peccaminosa caro & sanguis non in regnum Dei introire possunt, 1 Cor. XV, 50. Hinc Christus etiam eos, quos in adventu vivos deprehendet, statim immutabit h. e. tollendo fomitem peccati glorificabit, 1 Cor. XV, 51-53.

Ex hisce dictis liquet, *cur Christi emortuum corpus non putrefactioni obnoxium fuerit?* Ps. XVI, 10. Erat istud immune a peccato, quapropter etiam non opus fuit, ut per putrefactionem purificetur. Ad luendam enim pœnam divinam sufficiebat sola separatio animæ ejus a corpore. Nam Christi mors non necessaria erat respectu sui ipsius, sed tantum respectu Dei & hominum redimendorum.

Propter sublationem radicis peccati, quæ in morte fit, omnino mors aliquid boni dicenda est, ut jam pluribus ostendemus.

CAPUT

CAPUT VI.

DE
UTILITATE MORTIS.

Mors per se quidem aliquid *mali* est, imo summum malum, quatenus nimirum peccati pœna est. At vero cum Christus merito suo mortem aboleverit, 2 Tim. I, 10. 1 Cor. XV, 26. 54. Hebr. II, 14. 15. ea nunc hominibus lucrum est, Phil. I, 21.

Neutiquam tamen omnibus hominibus mors res utilis est, sed tantum iis, qui in Christum credunt, Joh. VI, 50. c. VIII, 51. c. XI, 26. & in fide usque ad mortem perseverant, Apoc. II, 20. Matth. X, 22. c. XXIV, 13. Marc. XIII, 13. Rom. XIV, 8.

Impii, qui salutem in Christo respuunt, manent sub ira & maledictione Dei, Joh. III, 36. Gal. III, 10. moriuntur in suis peccatis, Joh. VIII, 24. & τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς s. vita carnalis sibi ipsis mors est, Rom. VIII, 6. 13. Jac. I, 15. per quam detruduntur in mortem æternam, Ps. XLIX, 20. Luc. XVI, 22. 23. Sir. XLI, 13.

Multo aliter e contrario comparatum est cum *piis* & qui in Christum credunt. Mors iis est res & utilissima, Phil. I, 21. & exoptatissima, 2 Cor. V, 2. Phil. I, 23. Num. XXIII, 10.

Quæritur autem: *in quo consistat utilitas, quam pii ex morte capiunt?* Est multifaria, omnis autem Christo accepta referenda. Consistit enim

1) in liberatione ab omni peccato ejusque radice & fomite, ut supra jam ostendimus; 2) in fine omnis hujus calamitatis & miseriæ, 1 Reg. XIX, 4. Hiob. VII, 1-4. Sir. XXX, 17. c. XLI, 3. 4. 3) in liberatione animæ ab onere corporis morbidi & peccaminosi, 1 Reg. VII, 24. 2 Cor. V, 4. Sap. IX, 15. 4) in requie ab omni labore & ærumna, Jes. LVII, 2. Apoc. XIV, 13. Sap. IV, 7. 5) in certissima spe, aliquando cum glorificato corpore iterum resurgendi, 1 Cor. XV, 16. sq. 42-44. Phil. III, 20. 21. Joh. XI, 24. Hiob. XIX, 25. 26. Dan. XII, 2. 3. & denique 6) in transitu ad vitam æternam, Joh. V, 24. 2 Cor. V, 1. Luc. XVI, 22. Ps. XXXI, 6.

Ob hanc utilitatem mors piorum *somno* comparari solet, Matth. IX, 24. Joh. XI, 11. Deut. XXXI, 16. Matth. XXVII, 52. 1 Cor. XV, 20. 1 Thess. IV, 13. Jes. XXVI, 19.

Hinc placide obdormivisse dicuntur in sacris literis David, 1 Reg. II, 10. Salomo, c. XI, 43. Stephanus, Act. VII, 60. & omnes alii fideles.

Jure meritoque ideo dies mortis præfertur diei nativitatis, Eccl. VII, 2. justus vero in morte confisus esse dicitur, Prov. XIV, 32.

Ad quæstionem: *num christiano liceat sibi mortem optare?* respondetur affirmando, si non ex impatientia & desperatione fit. Exempla *Pauli*, Phil. I, 23. Rom. VII, 24. 2 Cor. V, 2. & *Eliæ*, 1 Reg. XIX, 4. quorum uterque in sua mortis exoptatione plenus spei & fidei fuit, non vero exem-

exempla *Jonæ*, c. IV, 3. *Rahelis*, Gen. XXX, 1. & *Mosis*, Exod. XXXII, 32. qui omnes ex impatientia mortem ſibi voverunt, huc trahi debent.

CAPUT VII.

DE STATU ANIMARUM POST MORTEM.

A*nima* cum non ſolum ex voluntate Dei, ſed etiam per ſe immortalis ſit, non poteſt non poſt mortem ſuperſtes manere. Datur hinc *ſtatus* aliquis *poſt mortem*, in quem anima poſt ſeparationem a corpore transfertur.

Status hic a ſtatu beatitudinis aut damnationis per ſe non quidem diſtinguendus eſt, quia anima poſt mortem vel in gloriam æternam recipitur, vel in infernum detruditur, Eccl. XI, 3. Luc. XVI, 22. 23. At vero cum laborum operumque mercedem non ſola anima, ſed totus homo aliquando a ſummo judice accepturus ſit, 2 Cor. V, 10. Apoc. XXII, 12. mihi non adeo abſonum viſum eſt credere, ſtatum animæ poſt mortem certo modo diſtinctum eſſe ab eo ſtatu æternitatis, in quem totus homo poſt judicium extremum transmittetur. Differt iſte non re ipſa, ſed ſecundum circumſtantias.

Scriptura S. ſtatum hunc poſt mortem plerumque per voces שְׁאוֹל & ᾅδης exprimit. Plurimi

rimi Theologi eas quidem interpretantur per infernum aut ſepulchrum, ſed non in omnibus locis biblicis id ſatis apte fieri poteſt, e. g. Pſ. XVI, 10. Pſ. XXX, 4. Pſ. LXXXIX, 49. Eccl. IX, 10. Jeſ. XXVIII, 15. c. XXXVIII, 10. Hoſ. XIII, 14. Act. II, 27. Apoc. I, 18. c. XX, 13. Indicant potius iſtæ voces in allegatis locis ſtatum, in quem anima poſt mortem transfertur. In hoc anima ſeparata eſt a corpore, ita tamen, ut ſubſtantialiter exiſtat, vereque vivat, etſi functionibus ſuis conſuetis deſtituta ſit. Si beate obiit, dicitur verſari in manibus Dei, Pſ. XXXI, 6. Luc. XXIII, 46. Sap. III, 1. ſi vero non beate e vita diſceſſit, in locum ſuum abiiſſe fertur, Act. I, 25. Paulus nominat ſtatum damnatarum animarum poſt mortem τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς. Eph. IV, 9. & Petrus τὴν φυλακὴν ſ. *carcerem*, 1 Petr. III, 19.

Pontificiorum ſomnia de *purgatorio* huc non quadrant. Intelligunt per iſtud ſtatum pœnalem, in quo defunctæ fidelium animæ per certum ignem, ab infernali diverſum, a peccatis inhærentibus plene purgantur, antequam in vitam æternam introeunt. Ne vero miſeræ animæ nimis diu in purgatorio morari debeant, monachi aliique clerici eas ex iſto per preces ſuas & ſacrificia miſſatica liberare ſtudent, quapropter plurimi ex papicolarum grege ante obitum de ſuis opibus multa ad hunc cultum legare ſolent. Sed figmentum & fraus clericorum eſt tota doctrina de purgatorio, quia in ſacris

ſacris literis nullo nititur fundamento, ſed tantum excogitata eſt ad evacuandas laicorum crumenas & ad ditandum ſe ſtipe largifica. Provocant quidem ad 1 Cor. III, 15. ubi autem per ignem metaphorice gravis tentatio intelligitur, 1 Petr. I, 7. Nobis ſufficit, mortuos in Domino ἀπ᾽ ἄρτι beatos celebrari, Apoc. XIV, 13.

Fuerunt ſemper aliqui in eccleſia, qui de *defunctis animabus* ſtatuerunt, eas poſt mortem *dormire* usque ad diem extremum. *Pſychopannychitæ* vocantur, qui hoc aſſerunt. Noſtris temporibus in primis *Johannes Heynius*, miniſter verbi divini in Marchia Brandenburgica, ſententiam hanc pervicaciter defendit & multas inter Theologos rixas propterea movit.

Provocant Pſychopannychitæ 1) ad loca, ubi defuncti dormire dicuntur, e. g. Matth. IX, 24. c. XXVII, 52. Joh. XI, 1. Sed reſpondent, qui contrariam ſententiam tuentur, defunctos dormire non reſpectu animæ, ſed tantum reſpectu corporis, Dan. XII, 2. Jeſ. XXVI, 19.

Provocant 2) ad Hebr. IV, 3. 10. & Apoc. XIV, 13. ubi aſſeritur, fideles per mortem in requiem ingredi. Sed quieſcere animas ab operibus moleſtiisque præſentis vitæ, non vero ab operibus cœleſtibus, ex Apoc. IV, 8. probare ſtudent, qui iis contradicunt.

Provocant 3) ad Pſ. VI, 6. Pſ. LXXXVIII, 13. & Pſ. CXV, 17. ubi defunctis memoria Dei & facultas eum laudandi abjudicatur. Sed re-

ſpondetur, ejusmodi memoriam & laudem h. l. intelligi, quæ per actus corporis externos fiat.

Provocant denique 4) ad 2 Tim. IV, 8. & 1 Petr. V, 4. ubi de corona juſtitiæ perhibetur, quod non niſi die extremo accipienda ſit. Sed ſermonem h. l. eſſe reſpondetur de beatitudine abſolute conſummata, non vero de beatitudine ſecundum quid conſummata.

Quantum ego judico, *maxima dubia* in hac doctrina verſantur 1) circa *modum*, quo animæ a corpore ſeparatæ cogitare poſſint, cum ordinarie non aliter id fieri queat, quam per organa cerebri; 2) circa *neceſſitatem reſurrectionis corporum*, quæ ſic ſalva noſtra beatitudine ceſſare poſſit: 3) circa *bis mortuos*, qui fruitione gloriæ cœleſtis, cujus ſecundum communem ſententiam participes jam facti forent, a Deo benigniſſimo parum apte iterum privari potuerunt, ut taceamus, eos poſt reditum in hanc vitam cœleſtis gaudii non ſibi conſcios fuiſſe; 4) circa extremum judicium, in quo demum homines mercedem operum ſuorum accipient, 2 Cor. V, 10. Apoc. XX, 12. c. XXII, 12. & 5) circa *pœnam mortis*, toti homini decretam, quæ in ſolum corpus caderet, ſi anima, quæ tamen peccati ſubjectum primarium dicitur, majoris felicitatis per mortem particeps fieret, quam ante mortem jam habuit.

Opponitur *exemplum latronis*, Luc. XXIII, 43. ad quod Pſychopannychitæ reſpondent, animam

mam ejus in regno gloriæ omnino versari potuisse, etsi quieverit.

De *limbo patrum* & *infantum*, de quo Pontificii multa somniant, alibi acturi sumus.

CAPUT VIII.

DE

STATU CORPORUM POST MORTEM.

Corpora humana *immortalitate* donabantur in creatione. Amissa autem imagine divina amissa etiam est hæc immortalitas tanquam donum Dei extraordinarium, ita, ut nunc morti & putrefactioni obnoxia sint.

Corpus hominis per se non fuit immortale. Condidit istud Deus ex gleba terræ. Materiale hinc istud & aliquid compositi est, quod naturaliter ad interitum suum tendit & non constanter subsistere potest: quapropter etiam Deus ad Adamum dixit: *pulvis es, & in pulverem reverteris*, Gen. III, 19.

Exanimatum igitur corpus jure meritoque terræ mandatur, ut ibi in pulverem & cinerem resolvatur.

Actus hic nominatur *sepultura*, quæ a mundo condito inter homines consueta fuit. Pauci tantum inter barbaros populos corpora defunctorum comburere, aut in aquam mittere, aut alia ratione perdere solent.

Apud Judæos & Christianos semper usus sepeliendi corpora floruit. Felicem se judicat quisque ex iis, si honesto funere post obitum sepeliri potest. Per totam fere vitam hujus rei curam habet. Exemplo nobis sunt Patriarchæ, de quibus constat, magna sollicitudine sibi paravisse honestam sepulturam, Gen. XXIII, 4. c. XLIX, 29. Huc etiam spectat Josephus Arimathæus, qui sibi ante mortem exstruxit sepulchrum, Matth. XXVII, 60. E contrario iis, qui sepultura carere debuerunt, id semper probro & dedecori habitum est, 2 Reg. IX, 34. Jer. XXII, 19.

Sepulchra quovis tempore *sacra* esse voluerunt homines, & quidem non aliam ob caussam, quam quia sepulturam corporum inter actus religionis numeraverunt.

Christiani eo magis corpora sua sepelienda curant, quia in sacris literis dormire dicuntur usque ad diem extremam, qua quasi ex somno a Christo excitabuntur, & ad vitam redire jubebuntur, Dan. XII, 2. Joh. V, 28. 29. 1 Thess. IV, 16. Sunt instar seminis, quod terræ committi debet, 1 Cor. XV, 36. 42 - 44.

Neutiquam hinc Christiani sepulchrorum adspectum reformidant. Iis sunt vera *κοιμητήρια* s. *dormitoria*, in quibus placide quiescunt, Jes. LVII, 2. Ipsius Salvatoris corpus propterea per aliquot dies in sepulchro jacuit, ut quasi sanctificet gremium terræ nobisque gratas reddat catacumbas nostras.

Non

Non tamen ſaluti æternæ iis aliquid detrahitur, quorum corpora certis de cauſis non terræ mandari poſſunt, ſed vel in maris abysſum dejiciuntur, vel igne conſumuntur, vel a beſtiis, piſcibus & avibus devorantur, vel in aëre intereunt.

Accidit hoc multis hominibus, qui terra marique peregrinantur, aut in manus carnificis cadunt, aut temporibus belli & perſecutionis interimuntur. Valent hic verba AUGUSTINI, *Lib. I. de Civ. Dei c. 12.* ita ſcribentis: *Multa corpora Chriſtianorum terra non texit, ſed nullum eorum quisquam a cœlo & terra ſeparavit: qui totam implet præſentia ſua terram, is novit, unde reſuſcitet, quod creavit.* Addit ſimul verba Lucani: *Cœlo tegitur, qui non habet urnam.*

Non autem corpus poſt mortem prorſus annihilatur, ſed tantum reſolvitur. Partes ejus elementares, ex quibus compoſitum eſt, diſſolvuntur & cum aliis ſibi analogis conjunguntur. Coëunt quaſi ad formandum aliud quid, quod materiale & corporale eſt, ita, ut de priori corpore nil remaneat, 1 Cor. XV, 36. 37. Appellatur hoc *putrefactio* & *cinefactio*, Hiob. XVII, 14. 1 Cor. XV, 42. 2 Cor. IV, 16. Hæc neceſſaria eſt, ut radix peccati, carni inhærentis, exſtirpetur & deleatur, Rom. VI, 5-7. 2 Cor. IV, 16.

Inde patet, cur Chriſti corpus a putredine immune manſit, Pſ. XVI, 10. Fuit enim in eo non peccatum, quod deleri debuit.


Quan-

Quanquam autem dissolutio corporum interdum ex naturalibus causis impediatur, substantia tamen eorum omnino alteratur.

Dantur enim varia balsama tam naturalia quam arte facta, quæ ad conservandam corporis exanimati structuram aliquid faciunt. Inde fit, ut, si corpus terræ mandatur, quæ balsamica virtute prædita est, istud interdum ad tempus incorruptum maneat. Pontificii igitur valde errant, quando defunctorum corporum bonum odorem & statum incorruptum pro genuino sanctitatis criterio venditant.

Dissolutarum defuncti corporis particularum nova coagulatio cum aliis particulis elementaribus a certis Philosophis appellatur μετενσωμάτωσις, quam in peculiari *Dissertatione academica* B. HENRICUS KLAUSINGIUS, Theologus Lipsiensis, refutavit.

Quid vero de ista judicandum sit, suo loco pluribus docebimus.



LIBER

* * * * * * * * * * * * * * * * *

LIBER VI.

DE

PECCATO.

Doctrina *de peccato* commodissime in *tres Sectiones* dividitur. Agemus nempe in *Sectione I.* de peccato in genere, in *Sectione II.* de peccato originali & in *Sectione III.* de peccatis actualibus.

SECTIO I.

DE

PECCATO IN GENERE.

CAPUT I.

DE

NATURA PECCATI.

Peccatum est quicquid in homine cum lege & voluntate Dei pugnat. Rectissime hinc dicitur *ἀνομία*, 1 Joh. III, 4. Vox hæc ab *α* privativo & *νόμος* composita est, quapropter idem ac *aberrationem a lege* significat. Optime hinc exprimit hæc vox naturam & formam peccati. Con-

Conveniunt cum hac ſignificatione cætera nomina, quæ peccato in lingua tam Hebræa quam Græca imponuntur. Præcipua ex Hebraicis ſunt חֵטְא & חֲטָאָה, פֶּשַׁע & עָוֹן, quæ conjuncta invenimus Exod. XXXIV, 7. & Pſ. XXXII, 1. 2. Inter Græca vero notari merentur *ἁμαρτία*, *ἀδικία*, *παράπτωμα* & *παράβασις*.

Vox חֵטְא proprie aberrationem a ſcopo, Jud. XX, 16. vox פֶּשַׁע, defectionem, prævaricationem & rebellionem, & vox עָוֹן perverſitatem & iniquitatem ſignificat.

Ἁμαρτία ab α privativo & *μάρπτειν*, *capere* & *prehendere*, compoſitum eſſe videtur. Indicat ideo actum & ſtatum, quo quis nec vult nec poteſt ſcopum attingere. Idem hoc eſt, ac *a ſcopo aberrare*.

Ἀδικία, 1 Joh. V, 17. unius ejusdemque fere ſignificationis eſt cum *ἀνομία*. Sicut hæc *illegalitatem*, ita illa *injuſtitiam* ſ. *diſceſſionem a jure* ſignificat.

Παράπτωμα a *παραπίπτειν* deſcendit. Labitur igitur & excidit quaſi a norma ſ. regula, qui peccat.

Παράβασις transgreſſionem ſ. violationem legis & prævaricationem indicat. Convenit cum hac ſignificatione vox Hebræa פֶּשַׁע.

Ex hiſce nominibus *natura peccati* ſatis patet. Eſt in eo aliquid tam poſitivi, quam privativi. Si peccatum abſtractive & formaliter accipitur, eſt privativum, ſi vero concretive & materialiter ſumitur, poſitivum eſt.

In

In abstracto & *objective* consistit in defectu conformitatis cum voluntate & lege Dei, *in concreto* vero & *subjective* in aberratione a voluntate & lege Dei. Utrumque indicatur per voces *ἀνομία* & *ἀδικία*, quæ non modo respiciunt ad formam peccati, sed etiam ad *materiam* ejus, quæ omne id est, quod cum voluntate & lege Dei sive committendo, quod vetitum est, sive omittendo, quod præceptum est, pugnat.

Ἀνομία igitur includit simul *ἀντινομίαν*, nec non omnia, quæ sine lege fiunt. Lex decalogi enim voluntatem Dei non modo præcipiendo, sed etiam interdicendo nobis manifestat.

Quis itaque dubitet, connatam pravam concupiscentiam æque peccatum dicendam esse ac habitus male agendi & actio cum lege divina pugnans, aut actionis mandatæ omissio, peccata sunt.

Quatenus peccatum in natura hominis sedet, *peccatum originale* appellatur, quatenus vero per cogitationes, verba & facinora erumpit, *peccatum actuale* nominamus.

CAPUT II.
DE
NORMA PECCATI.

Norma peccati est *lex*. Sine lege enim non datur *ἀνομία* aut transgressio legis, Rom. IV, 15. c. VII, 7. Est autem lex non *norma* constitutiva, sed *regulativa*.

Lex

Lex in genere eſt præſcripta voluntas Superioris de rebus tam omittendis quam faciendis, nos ad obſequium præſtandum obligans. Differt a *conſilio*, quod non modo per ſe non obligat, ſed quod etiam ab eo, qui non ſuperior eſt, dari poteſt.

Superioris dignitas maxime verſatur circa legislationem. Qui non poteſtatem habet alterum ad obſequium obſtringendi, nec nomen ſuperioris meretur.

Cum igitur *Deus* ſupremus omnium rerum Dominus ſit, omnino etiam poteſtatem ac dignitatem ſuam in eo oſtendere debet, ut, qui ei ſubditi ſint, ad præſtandum omnia, quæ voluntati ſuæ conſentanea ſunt, obliget. Hoc non aliter fieri poteſt, quam per *legem*, quæ quaſi regula eſt, ad quam quisque, cui ea data eſt, actiones ſuas inſtituere debet.

Ejusmodi legem accepit etiam homo, qui ad cultum Dei creatus eſt. Ut autem ſciat, ſe obligatum eſſe ad obſequium, nec eum lateat, quæ officia ipſi præſtanda ſint, Deus ei legem dedit, quam partim cordi inſcripſit, partim voce ac literis promulgavit. Prior dicitur *lex naturæ*, poſterior vero *lex revelata*, utraque vero eo tendit, ut actiones noſtras ad Dei voluntatem inſtituamus.

Obligatio legis a ſubjectione dependet, & hæc reſpectu Dei tam magna eſt, ut major eſſe nequeat. Summa enim Deus gaudet poteſtate, eique omnia in cœlis & terris ſubjecta ſunt, 1 Chron.

Chron. XXX, 12. Ps. CIII, 19. Sap. XI, 24. Matth. XXVIII, 18. 1 Tim. VI, 15.

Dei *voluntas* itaque nobis lex est, quam non transgredi debemus. Cordi inscripta est Jer. XXXI, 33. ita, ut ne quidem per lapsum Adami penitus obliterata sit. Recte hinc Paulus dixit: *Gentes, quae legem non habent, sibi ipsis sunt lex, ostendentes opus legis scriptum in cordibus suis, prout testificantur conscientia & cogitationes eorum se invicem accusantes & excusantes*, Rom. II, 14. 15.

Ut vero eo magis constet, quid Deus a nobis velit, revelavit legem decalogi, quam postea per prophetas & ipsum Christum multoties repetiit, pluribusque explanavit & hominibus severissime inculcavit. Neminem igitur fugere potest, quid bonum sit & Deus postulet, Mich. VI, 8.

Lex itaque est norma & regula *actionum nostrarum*, ad quam istas & instituere & dijudicare debemus. Quae actiones cum hac regula conveniunt, *bonae*, quae disconveniunt, *malae* vocantur. Dicuntur ambae *morales*, quia a creatura rationali, quae libertate agendi gaudet, proveniunt. Sunt vel *naturales*, vel *civiles*, vel *spirituales*, quatenus scilicet ad praescriptionem vel legis naturalis, vel civilis, vel divinae fiunt. Quod enim coacte aut ex mero instinctu naturali, aut furiose fit, nullam habet moralitatem.

Cum autem omnis actio moralis vel bona vel mala sit, quaeritur, quid de *actionibus indif-*

ferentibus s. *adiaphoris* judicemus? Jure meritoque negantur ejusmodi actiones liberæ, quæ per se nec bonæ nec malæ dici possunt. Dantur quidem res indifferentes, sed non actiones indifferentes. *Actio* semper versatur circa objectum aliquod, quod vel per se bonum vel per se malum vel indifferens est. Participat actio quidem, si objective consideratur, naturam objecti, subjective tamen semper moralis est, & consequenter vel bona vel mala, quia non secundum objectum, sed secundum præscriptionem legis dijudicari debet.

Qualis igitur lex est, talis etiam est moralitas actionis ad eam instituendæ. Sic e. g. saltatio in diebus sabbathi in iis locis, ubi a magistratu politico permittitur, respectu legis civilis non actio mala vocatur, at est tamen mala respectu legis divinæ. Objective & per se considerata saltatio in diebus sabbathi est res indifferens, quia certo respectu & permissa & non permissa est, subjective vero non est indifferens, sed mala actio. Est enim lege divina prohibita, etsi lege civili permissa sit.

Est autem lex non modo norma actionum nostrarum, sed etiam earum *judex*, Hebr. IV, 12. Rom. II, 12. Personæ igitur, quæ officium judicis obeunt, sunt quasi legis executores. Ipse Christus non aliter homines judicabit, quam secundum legis & voluntatis divinæ præscriptionem, Joh. XII, 48. 2 Cor. V, 10. Matth. XVI, 27. 1 Petr. I, 17. Apoc. XXII,

12. Hanc ob caussam quoque ethnici *ἀναπολόγητοι* i. e. inexculpabiles vocantur, quia lex cordi inscripta eos aliquando condemnabit, Rom. I, 20.

Est lex divina etiam *index* moralitatis nostrarum actionum. Ex lege enim cognoscimus, num actiones nostræ bonæ sint, an malæ. Paulus propterea testatur, *se nescivisse, pravam cupiditatem peccatum esse, si non ex lege id cognovisset*, Rom. VII, 7. Alibi expresse scripsit, peccata non cognosci nisi ex lege, Rom. III, 20. imo ne quidem *ἐλλογεῖσθαι*, h. e. imputari aut existere sine lege, Rom. V, 13.

Jure meritoque igitur legem nominare possumus normam peccati, quia de cujuslibet actionis moralitate decidit, nec non indicat, quid inter peccata referri debeat.

CAPUT III.

DE
MALO PECCATI.

Malum opponitur bono, Gen. II, 9. sicut autem *bonum* multiplex est, vel metaphysicum, vel logicum, vel physicum, vel morale, ita etiam *malum* diversimode considerandum est.

Malum metaphysicum est defectus perfectionis, *malum logicum* defectus veritatis, *malum physicum* defectus

defectus utilitatis & *malum morale* defectus honestatis.

Si de *peccato* sermo est, facile cognoscitur, istud nec malum metaphysicum nec malum logicum in se habere. Ei tantum inhæret malum physicum & malum morale, quia nec utilitatem præstat, nec honestatem secum fert.

Quod nec utile nec honestum est, id *damnum* & *turpitudinem* infert. Utrumque inest peccato. Hinc jure meritoque appellari potest *summum malum*, quia & perniciosissima & turpissima res est. Dicitur propterea peccatum in sacris literis *κατ' ἐξοχὴν malum*, e. g. Hiob. I, 1. Ps. XXXIV, 15. Rom. VII, 19. 1 Petr. III, 11.

Duplex itaque in peccato datur *malum*, nempe malum *physicum*, quod damnum, & malum *morale*, quod turpitudinem infert.

Damnum peccati, quod ex *malo physico* oritur, iterum *duplex* est, vel privativum vel positivum.

Damnum privativum consistit in jactura omnis istius boni, quod vitam in tempore & æternitate jucundam, felicem & beatam reddit. Bonum hoc cum imagine Dei nobis collatum, at cum ea iterum per peccatum amissum est. Amissa est gratia Dei, tranquillitas animi, immortalitas corporis, innocentia & jucunditas vitæ, quies conscientiæ, benignitas soli, spes proxima vitæ æternæ & quæ sunt cætera.

Magnam

Magnam quoque jacturam fecimus per peccatum respectu intellectus & voluntatis. In nobis nunc nec vera sapientia, nec vera prudentia datur, & quicquid sapientiæ & prudentiæ adhuc præstamus, summo studio ac labore antea disci debet. Nostra desideria sunt immoderata, confusa, iniqua. Magis tendunt ad ea, quæ stulta & perniciosa, quam quæ salutaria sunt & honesta.

Damnum peccati *positivum* consistit non modo in totius naturæ nostræ corruptione, sed etiam in omnis generis miseria & calamitate vitæ hujus, nec non in ipsa morte & condemnatione æterna, de quibus omnibus alibi pluribus agitur.

Alterum *malum peccati*, quod *morale* appellamus, consistit in *turpitudine*. Reddit enim peccatum homines adeo turpes in oculis Dei, ut faciem ab iis avertat, istosque aversetur & nauseam super eos sentiat, Jes. LIX, 2.

Ipsis hominibus turpitudo peccati in oculos cadit, quia in aliis sæpe vitam sceleratam aversantur, cui tamen ipsi dediti sunt.

Ex hac peccati turpitudine oritur *pudor*, qui ea mentis affectio est, qua homo ex innato honoris studio inhonesti facinoris reprehensionem reformidat.

Primi parentes ante lapsum non habuerunt pudorem, Gen. II, 25. c. III, 7. simulac vero peccaverant, pudore afficiebantur, c. III, 10. Ex hoc pudore fugiebant Deum, seque ab ipso

 abscon-

abſcondebant. Faciunt hoc adhuc omnes peccatores, tenebras quærentes & lucem fugientes, Joh III, 20. Vocantur propterea eorum mala opera in ſacris literis *opera caliginis*, Eph. V, 11. Paulus vero, ſi ab iis dehortatur, nos jubet ὡς ἐν ἡμέρᾳ h. e. ſicut in medio die & coram hominibus, ambulare, Rom. XIII, 13.

Pudor naturaliter penes omnes quidem homines eſt, quia omnes peccato infecti ſumus, creſcentibus autem delictis ita interdum decreſcit pudor, ut plane in nonnullis ceſſare videatur. At ſummus hic eſt malitiæ impietatisque gradus, quando hominem nullius flagitii amplius pudet, nec faciei ſuæ ſuffunditur rubor.

CAPUT IV.

DE POENA PECCATI.

Pœna a *puniendo* nomen habet. Eſt malum paſſionis, quod creaturæ rationali a judice ob malum actionis in ejus compenſationem infligitur. Non igitur ex charitate, ſed ſeveritate & juſtitia retributiva oritur pœna.

Proprie *pœnæ finis* non emendatio peccatoris, ſed commiſſi delicti & injuriæ compenſatio eſt. Omnis enim lex vel obedientiam vel pœnam dictitat.

Pœna peccati ab *afflictionibus fidelium* diſtinguenda eſt. Hæ quidem ſunt æque ac illa fructus

ctus peccati & malum aliquod passionis, at non tamen vera pœna dicendæ, quia non compensationem peccati, sed emendationem peccatoris pro fine habent. Nominantur istæ propterea *castigationes paternæ*, quia Deus se in iis præstat instar boni parentis, qui liberos suos ex studio emendationis castigat, Hebr. XII, 6. Apoc. III, 19.

In sacris N. T. literis plerumque nomen *crucis* ferunt afflictiones fidelium, quia iis assimilamur Christo crucifixo, dum per istas corrupta natura cum suis pravis cupiditatibus quasi crucifigitur & hoc modo frenatur & emendatur, Matth. XVI, 24.

Tria dantur ejusmodi *afflictionum genera*. Spectant enim vel ad παιδείαν, vel ad δοκιμασίαν vel ad μαρτύριον.

Afflictiones piorum, quæ ad παιδείαν spectant, sunt castigationes carnis peccaminosæ, Rom. VI, 6. Gal. V, 24. Quæ ad δοκιμασίαν spectant, sunt probationes & tentationes, quibus exploratur fides, patientia, constantia & quævis alia virtus, ut in iis eo magis corroboremur & aliis hominibus bonum præbeamus exemplum, 1 Petr. I, 6. 7. 2 Cor. VIII, 2. Jac. I, 22. Tob. XII, 13. Sir. II, 5. Quæ ad μαρτύριον spectant, sunt testimonia veritatis, quibus confitemur fidem, cui addicti sumus, quæ inprimis in ecclesia plantanda consueta erant, Act. XXII, 20. Hebr. XII, 1. 1 Petr. V, 1. Apoc. II, 13. c. XI, 7.

Omnis peccati pœna unico verbo *mors* dicitur, Rom. VI, 23. Gen. II, 17.

Mors eſt vitæ privatio. Naturaliter ex peccato fluit, quia homo per iſtud Deum, omnis vitæ fontem, deſerit & ab eo diſcedit. Sicut vero triplex datur vita, ſcilicet naturalis, ſpiritualis & æterna, ita etiam *triplex mors* eſt, naturalis, ſpiritualis & æterna.

Omnis mors conſtat ex duabus partibus, privatione boni & ſenſu mali. Datur igitur *duplex* peccati *pœna*, pœna damni & pœna ſenſus.

Pœna damni eſt, quando peccator bono privatur, & *pœna ſenſus*, quando malo afficitur.

Omnis mors *duos* habet *gradus*, inchoationem & conſummationem. *Inchoativa mors* eſt malum morti præcedens, & *conſummativa* malum morti ipſi inhærens.

Quia de *naturali morte* ſupra prolixe egimus, de *æterna* vero ſ. damnatione ſuo loco acturi ſumus, nobis hic ſola *mors ſpiritualis* remanet, de qua aliqua adhuc dicemus.

Mors ſpiritualis eſt prima & proxima peccati pœna. Conſiſtit in privatione gratiæ divinæ, quæ transgreſſionis legis primus effectus eſt. Comprehendit tam malum damni, quam malum ſenſus. *Malum damni* in morte ſpirituali eſt defectus gratiæ divinæ & impotentia ad voluntatem Dei vivendi, *malum ſenſus* vero anxietas cordis, inquietudo animi morſusque conſcientiæ & quicquid animam noſtram turbat, miſereque cruciat. Uti vero omnis gratiæ

priva-

privatio ex ira & odio illius, a quo gratia provenit, oritur, ita etiam *ira & odium Dei* mors ſpiritualis, quæ nos quaſi ſpiritualiter enecat, vocari poteſt, Rom. IV, 15. coll. 2 Cor. III, 6.

CAPUT V.

DE AUCTORE ET CAUSIS PECCATI.

A*uctor peccati* eſt *diabolus*, qui primos parentes ſeduxit & illecebris ſuis ad defectionem a Deo commovit, Gen. III, 1-6. Joh. VIII, 44.

Cauſa efficiens peccati, qua talis & abſtractive ſumti, proprie non datur, quia peccatum aliquid privativi eſt & in defectu illius perfectionis conſiſtit, quæ actiones noſtras coram Deo rectas & juſtas reddit. Quatenus vero peccatum concretive & ſubjective ſumitur, omnino cauſam efficientem habet, quæ ſemper ipſe *homo* eſt, qui peccat.

Sicut enim omnes hominis actiones ab ejus voluntate dependent, ita etiam peccaminoſæ actiones non aliam habere poſſunt cauſam efficientem, quam peccatoris pravam cupiditatem & inclinationem, Jac. I, 14. quæ partim per diabolum, partim per impios homines & mala exempla excitatur.

Deus nullo modo cauſa peccati dicendus eſt, cum nec directe nec indirecte iſtud velit, Pſ.

V, 5. Jes. LXV, 12. Est summe bonus, Matth. XIX, 17. & fons omnis bonitatis, Jac. I, 17. Nemo hinc dicat, si ad peccatum incitatur, quod Deus eum incitet; Deus enim neminem ad malum incitat, Jac. I, 13. Vocatur lux, 1 Joh I, 5. Mich. VII, 8. 1 Tim. VI, 16. Qualem vero communionem habeat cum tenebris, 2 Cor. VI, 14. Joh. III, 19-21. Odit potius peccata, Ps. XLV, 8. quia cum sanctissima sua voluntate pugnant.

Deus ad omnes quidem hominum actiones *concurrit*, non vero quatenus peccaminosæ, sed quatenus naturales sunt. In quavis enim mala actione *duo* perpendenda sunt, *motus physicus* & *moralitas ejus*, quatenus nempe motus ad certum finem fit, & secundum præscriptas leges dijudicatur. Ad prius, scilicet ad motum physicum, non vero ad posterius, nempe moralitatem, quæ ab hominis determinatione dependet, concurrit Deus.

Deus, etsi interdum *peccata peccatis puniat*, 2 Sam. XII, 11, 12. c. XVI, 10. c. XXIV, 1. 2 Chron. XVIII, 22. 2 Thess. II, 11. Rom. I, 24. Ps. LXIX, 28. non tamen horum peccatorum ipsa caussa est. Permittit ea tantum ex justo judicio, neutiquam vero ad ea homines instigat. Antegressa etiam non impedit sequi plura eaque graviora peccata; ex quo fit, ut justitiam suam retributivam super peccatores magis patefaciat & eo insignius in puniendis delictis edat exemplum, Exod. VI, 1. c. XIV, 4.

Sed

Sed quæritur: *cur Deus peccata non impediat, si osor & vindex eorum sit?* Respondemus, eum omnino quidem peccata impedire, sed non aliter id facere, quam per gratiam suam assistentem & quatenus hominibus occasionem peccandi subtrahit, nec non per dehortationes & comminationes; alias naturæ libere agentium hominum vim inferret, quod sine læsione sanctissimi nominis ejus non fieri potest.

Permittit igitur Deus peccata, quæ salva hominum libertate non impedire potest.

CAPUT VI.

DE SUBJECTO PECCATI.

Subjectum peccati est *quilibet homo* ex corrupta Adami natura genitus. Cujus enim naturæ parens est, ejus etiam naturæ est filius. Qualis stirps, talis etiam ramus. Recte hinc Christus dixit: *quicquid ex carne natum est, caro est*, Joh. III, 6.

Tota scriptura S. veritatem hanc non solum probat, sed omnes etiam homines id quotidie in se experiuntur.

Præcipua *scripturæ S. testimonia* de universalitate peccati in hominibus sunt sequentia: 1 Reg. VIII, 46. & 2 Chron. VI, 36. ubi asseritur, non dari hominem, qui non peccet; Rom. III, 23. ubi Paulus testatur, nos omnes sine discri-

diſcrimine eſſe peccatores; Rom. V, 12. ubi expreſſe dicuntur omnes homines peccaſſe; 1 Joh. I, 10. ubi redarguuntur, qui negant, ſe peccare; Hebr. VII, 27. ubi diſcimus, ſacerdotem magnum in V. T. quotidie neceſſe habuiſſe, pro propriis peccatis ſacrificium facere; Hiob. XIV, 4. ubi negatur, mundum inter immundos dari; Pſ. XIV, 3. & Rom. III, 12. ubi perhibetur, ne unicum quidem inter homines reperiendum eſſe, qui juſtus & bonus ſit; Pſ. LI, 7. ubi David confitetur, ſe eſſe ex ſemine peccaminoſo genitum & a matre in peccato conceptum; & denique Rom. VII, 18. ubi Paulus ſe ſcire fatetur, quod in ſe & in ſua carne nil boni habitet.

Cum peccatum in *ἀνομίᾳ* conſiſtat, ejusmodi ſubjectum requiritur, quod naturam rationalem habet & libertate voluntatis gaudet. Bruta igitur & ſubſtantiæ inanimatæ non peccati ſe reos facere poſſunt, quia vel plane non, vel neceſſario agunt atque adeo moralitate carent.

Excipiuntur hic etiam a) *Deus*, cui per eſſentiam ſuam impoſſibile eſt peccare aut male agere, Hebr. VI, 18. 2 Chron. XIX, 7. b) *Chriſtus*, Hebr. VII, 26. 27. quia non ex ſemine peccaminoſo genitus eſt, Luc. I, 35. Matth. I, 20. c) *angeli boni*, qui in bono confirmati ſunt, & d) *beatæ animæ*, quæ in morte a peccato purificatæ ſunt, Rom. VI, 7. c. VII, 24.

Nec

Nec *primi parentes* ante lapſum ſubjectum peccati dicendi ſunt. Licet enim labiles & peccabiles omnino fuerint, non tamen peccatum ipſum in ſe habebant, antequam animum ad peccandum inclinabant.

Pontificii ex numero peccatorum delent etiam *B. Mariam virginem*, quia filium Dei pe- perit, nec non ab angelo Domini blande compellata, Luc. I, 28. 30. ſingularique honore a pia matrona Eliſabetha excepta, Luc. I, 42. 43. nec non per ſponſam Meſſiæ dilectiſſimam Cant. IV, 7. repræſentata ſit.

At quis non futilitatem horum argumentorum cognoſcat? Nil amplius citata loca probant, quam quod B. virgo perſona quidem præ aliis κεχαριτωμένη, non tamen a peccatis libera fuerit. Illa enim non modo actualiter peccavit, Luc. II, 44. Joh. II, 4. ſed etiam in Filio ſuo, tanquam ſuo ſalvatore, æque ac alii, qui per fidem ſalvi fieri cupiunt, omnem ſpem ac fiduciam ſuam poſuit, Luc. I, 45. 47.

In cantico Salomonis per *ſponſam* ipſa eccleſia aut quivis homo in Chriſtum credens intelligendus eſt.

CAPUT VII.
DE
SEDE PECCATI.

S*edem peccati* nominamus *ſubjectum quo*, ſ. locum, ubi in homine fomes peccati latet ac reſidet.

Plurimi

de vetitæ arboris fructu edere, non etiam corpus ejus suppeditasset manus & brachia, ad fructum decerpendum, osque ad istum mandendum & deglutiendum.

Sedes itaque *peccati* est in ipso vinculo unionis inter animam & corpus quærenda. Quamdiu partes hæ in unum conspirantes conjunctæ sunt, peccatum in homine locum habet, quod, si non semper in eo dominatur, saltem in eo habitat, eumque ad malefaciendum incitat. Latet quasi ut anguis in herba & impedit hominem, saluti suæ prospicere.

Sedes hæc non prius in homine cessat, quam dissoluto animæ & corporis vinculo. Patet exinde, quam necessaria & salutaris sit *mors* peccatoris pœnitentis. Nam peccatum in homine non deletur, nisi tota peccaminosa machina diruitur. Fomes peccati tunc penitus extinguitur, radix mala eradicatur & tota massa corporea ita purificatur, ut aliquando sancta & ab omni labe libera restitui queat.

CAPUT VIII.

DE CULPA PECCATI.

Culpa fluit ex obligatione legis & *obligatio* ex debito, ad legem vivendi.

Reatus

Reatus & *culpa* non aliter differunt, quam quod prior latius, posterior vero strictius sumatur. Prior magis statum & posterior magis actum indicat.

Culpa est læsio legis, quatenus alicui imputatur, *reatus* vero est status illius, qui in culpa versatur.

Duplex datur *reatus*, vel reatus culpæ vel reatus pœnæ. *Reatus culpæ* est status culpæ sine respectu ad pœnam, *reatus pœnæ* vero status illius, qui ad culpæ pœnam condemnatus est.

Culpa peccatoris *duplex* est, vel *originaria* s. hæreditaria, vel *actualis*. Prior oritur ex lapsu protoplastorum, posterior vero ex cujuslibet proprio peccato.

Hebraice dicitur אשם, 2 Chron. XXVIII, 13. Græce vero κρίμα, Rom. V, 16. 1 Cor. XI, 29. 34.

Reatus Græce vocatur ἐνοχή. In concreto hinc ἔνοχος, Jac. II, 10. seu ὑπόδικος, Rom. III, 19. dicitur quicunque alicujus criminis reus habetur.

Culpa differt a *debito*. *Debitum* est obligatio ad præstanda officia, quæ nobis incumbunt, *culpa* vero est læsio obligationis, quæ fit per actionem cum lege pugnantem. Illud non est aliquid criminosi, sed tantum hæc. Illustrari potest exemplo. Si aliquis mille thaleros mutuo accipit, debitum inde oritur, istos restituendi. Si vero hosce thaleros luxuriose dissipat,

pat, ita, ut restituere nequeat, crimen culpæ in se suscipit.

Pari modo comparatum est cum hominibus respectu Dei. Præscripsit Deus nobis legem, ad quam vivere debemus. Hoc est debitum. Cum vero hanc legem neglexerimus, in *culpam* transgressionis cecidimus.

Hanc culpam secutus est *reatus* tam culpæ quam pœnæ: *reatus culpæ*, quatenus a culpa non purgari possumus, *reatus pœnæ* vero, quatenus ad promeritam pœnam condemnati sumus.

Omnis hinc homo *culpabilis* est coram Deo, Exod. XXXIV, 7. Nah. I, 3. Rom. III, 19. licet peccata ejus ex infirmitate fiant. Causa enim hujus infirmitatis in ipsis hominibus quærenda est.

Ex culpa peccati oriuntur 1) conscientia mala, quæ accusat & damnat, Rom. II, 15. 2) metus mortis, Hebr. II, 15. & 3) ipsa pœna.

CAPUT IX.

DE STATU PECCATI.

S*tatus peccati* duplex est, *securitatis* & *servitutis*. Prior est sine sensu dominii peccati & posterior sine viribus contra hoc dominium.

In *statu securitatis* vivitur χωρὶς νόμου h. e. sine lege, Rom. VII, 9. Homo tunc est 1) sine legitimo legis usu, 2) sine legis sensu, 3) sine

cura æternæ salutis & 4) sine metu de æterna damnatione. Bene depingit ejusmodi homines Hiobus c. XXI, 7-15. nec non Assaph Ps. LXXIII, 3-12. item Christus, quando de temporibus Noachi & Lothi agit, Luc. XVII, 26-28.

Securitas hæc est vel crassior, vel subtilior. *Crassior* consistit in Epicuræismo, *subtilior* vero in salutis suæ neglectu.

In *statu servitutis* homo quidem ex lege Dei dominium peccati agnoscit, servitutemque inde ortam sentit, at in lucta tamen peccato succumbit. Peccatum in eo ita dominatur, ut pravis cupiditatibus nullo modo repugnari possit. Dehortatur homines ab hoc dominio Paulus, Rom. VI, 12. 13. nec non ipse Deus, Gen. IV, 7.

Est status miserrimus, sub dominio peccati vivere. Conscientia a stimulis legis valde anxiatur & torquetur. Membra corporis sunt arma nequitiæ & totus homo est mancipium diaboli & peccati.


Versatur talis homo in *triplici servitute*, scilicet *peccati*, Joh. VIII, 34. Rom. VI, 12. 20. *diaboli*, Act. XXVI, 18. 2 Tim. II, 26. & *mortis*, Hebr. II, 14. 15. Est mortuus in peccatis, Eph. II, 1. cœcus respectu intellectus, Eph. IV, 18. c. V, 8. & lapideo corde præditus respectu voluntatis, Ezech. XI, 19. c. XXXVI, 26. ψυχικὸς quidem talis homo vocari potest, non vero πνευματικὸς, 1 Cor. II, 14. Σαρκικὰς potius nominat Scriptura S. omnes ejusmodi homines in

statu

ſtatu peccati verſantes, Jud. v. 19. Rom. VII, 14. c. VIII, 5. Joh. III, 6.

Status Servitutis ab ipſa *ſervitute* diſtinguendus eſt. Hæc enim datur etiam in ſtatu ſecuritatis & eſt voluntaria, cum e contra ſervitus in ſtatu ſervitutis involuntaria ſit.

Quæritur autem: *annon homo ſe a dominio peccati liberare queat?* Propriis viribus id non poteſt, quia iis deſtitutus eſt & hinc ad omne bonum opus impotens, Joh. XV, 5. Rom. VIII, 3. 4. poteſt tamen id facere viribus gratiæ divinæ, quas Spiritus S. vi meriti Chriſti per media gratiæ nobis largitur in ſtatu regenerationis & renovationis, ut ſuo loco pluribus oſtendemus.



SECTIO II.
DE
PECCATO ORIGINALI.

CAPUT I.
DE
PECCATO ORIGINALI IN GENERE.

Diſtinguimus *peccatum originale* a *peccato originis.*

Peccatum originis eſt primum protoplaſtorum peccatum in paradiſo commiſſum, per quod

peccatum in mundum venit, Rom. V, 12. *peccatum originale* vero est malum illud hæreditarium, quod per generationem peccaminosam in omnes homines transiit. Nonnulli prius peccatum *originans*, posterius vero, de quo hic acturi sumus, peccatum *originatum* vocant. Illud in malo actu, hoc vero in malo habitu consistit.

Dari peccatum originale non modo ex Scriptura S. & inprimis ex Eph. II, 3. Gen. VI, 5. c. VIII, 21. Ps. LI, 7. Rom. V, 12. Hiob. XIV, 4. c. XV, 14. Joh. III, 6. Jes. XLVIII, 8. probari potest, sed etiam quodammodo ex lumine rationis innotescit, quatenus nempe cognosci licet, homines naturaliter in vetitum niti & ad omne bonum opus ineptos & tædiosos esse.

Peccatum originale varia emphatica in sacris literis habet *nomina*. Dicitur (*a*) *mors*, Eph. II, 1. c. V, 14. Rom. VII, 10. (*b*) *caro*, Rom. VII, 5. 18. c. VIII, 1. 3. 12. 13. Joh. III, 6. Gal. V, 16. 17. c. VI, 8. (*c*) *corpus peccati*, Rom. VI, 6. (*d*) *membra terrestria*, Col. III, 5. (*e*) *vetus homo*, Rom. VI, 6. Eph. IV, 22. (*f*) *peccatum κατ' ἐξοχὴν*, Rom. V, 12. c. VI, 14. (*g*) *peccatum inhabitans*, Rom. VII, 17. (*h*) *lex peccati in membris*, Rom. VII, 23. (*i*) *præputium carnis*, Col. II, 13. (*k*) *concupiscentia*, quatenus non actus, sed habitus est, Rom. VII, 7. (*l*) *figmentum malum*, Gen. VI, 5. (*m*) *fermentum vetus*, 1 Cor. V, 6. (*n*) *absconditum malum*, Ps. XC, 8. (*o*) *φρόνημα τῆς σαρκός*, Rom. VIII, 6. (*p*) *malus thesaurus cordis*, Matth.

Matth. XII, 35. (q) *cor lapideum*, Ezech. XXXVI, 26. & (r) *inimicitia adversus Deum*, Rom. VIII, 7.

In lingua Germanica plerumque vocatur die Erb-Sünde s. *peccatum hæreditarium*, sed vox hæc est tantum ecclesiastica, non vero biblica.

Negarunt peccatum originale *Pelagiani*, a Pelagio Britone sic dicti, qui sub initio Seculi V vixit, cujus castra sequuntur Anabaptistæ, Sociniani, Arminiani & Pontificii, qui propterea *Pelagiani recentiores* vocantur.

Anabaptistæ peccatum originale figmentum Augustini nominant.

Sociniani, ne Adami quidem, multo minus posterorum ejus dona naturalia, per peccatum corrumpi potuisse, asserunt.

Arminiani, homines non lapsos esse nisi per imputationem, perhibent.

Pontificii non aperte quidem corruptionem naturæ nostræ per peccatum Adami negant, docent tamen, liberum nos adhuc habere arbitrium in spiritualibus, nec non per vires naturæ nos ipsos ad gratiam præparare posse.

Quam valde autem omnes hi adversarii errent, in sequentibus satis probaturi sumus Capitibus.

CAPUT II.

DE

FORMA PECCATI ORIGINALIS.

Peccatum originale *non* est ipsa hominis *substantia*, nec nudum *accidens*.

Prius asseruit *Matthæus Flacius*, posterius vero *Victorinus Strigelius*, qui uno eodemque tempore vixerunt & munera Professorum in Academia Jenensi obierunt.

Flacius excusatur a multis, quia Philosophiam Scholasticam non satis intellexit & per vocem *accidens* seductus fuit. Nesciebat enim, dari *duplex accidens*, nempe *separabile* & *inseparabile*. Illustrari potest simili a lepra desumto.

Peccatum originale cum in homine, tanquam in suo subjecto sit, Rom. VII, 17. 18. 20. Hebr. XII, 1. quomodo quæso ipsa ejus substantia esse potest? Valde itaque errant & Flaciani & Weigeliani, hoc statuentes.

Non est merum privativum quod, sed simul aliquid positivi. *Privativum quod* omnino peccatum originale est, quatenus defectum justitiæ originalis indicat, qua antea homo præditus fuit. Probatur hoc ex locis biblicis, ubi istud describitur per *ἀνομίαν* & *ἀδικίαν*, declinationem, inutilitatem, tenebras, impuritatem, paupertatem, cæcitatem, nuditatem, impotentiam, inidoneitatem &c.

Est autem simul *aliquid positivi*, quatenus hominem ad quævis mala inclinantem reddit. Probari potest ex iis Scripturæ S. locis, ubi peccatum originale figmentum cogitationum cordis, Gen. VI, 5. cor lapideum, Ezech. XXXVI, 26. caro, Joh. III, 6. lex in membris rebellans, Rom. VII, 23. inimicitia adversus Deum, Rom. VIII, 7. & concupiscentia, Rom. VII, 7. nominatur.

Intelligitur per *malum* hoc *positivum* non solum proclivitas hominis ad appetendum aliquid pravi, quæ ab *appetitu sensitivo* provenit, sed etiam ipsa *voluntatis* inclinatio ad malum, quin & ipsius *intellectus* temeraria pronitas de rebus spiritualibus perverse judicandi & malas cogitationes fovendi. Unde *in Apologia Aug. Conf. art. II. p. 55. concupiscentia prava* recte describitur, quod *quærat non solum voluptates corporis, sed etiam sapientiam & justitiam carnalem, confidatque his contemnens Deum* &c.

Exinde patet, cur homo carnalis tam mortuus, quam vivus dici queat. Ob privationem vitæ spiritualis omniumque virium activarum, quæ ad actus vitales legi divinæ conformiter exercendos requiruntur, *mortui* instar est, Eph. II, 1. 5. Col. II, 13. quatenus vero facultates animæ & vires corporis ad actus motusque vitales & naturales adhibet homo, omnino *vivus* & *actuosus* vocatur.

Forma itaque peccati originalis consistit in totali humanæ naturæ corruptione, ita, ut ho-

 mo

mo naturaliter non modo ad omnia, quæ cum voluntate Dei pugnant, promtus & paratus, sed etiam ad quævis bona plenus fastidii & impotentiæ sit.

Hæc corruptio cum ex amissione imaginis divinæ orta sit, multi Theologi inde occasionem sumserunt, totam peccati originalis formam in defectu imaginis divinæ ponendi, quod tamen non accurate dictum est.

Secundum *S. Augustinum* consistit hujus peccati forma in *ignorantia in mente & in concupiscentia in carne.*

Pontificii dupliciter in hac doctrina errant, docentes, 1) peccatum originale tantum in defectu imaginis divinæ, non vero in innata pravitate naturæ consistere, & 2) pravam concupiscentiam non esse peccatum, quamdiu non consensus voluntatis accedat.

Quatenus *concupiscentia* facultatem concupiscendi, s. quamcunque inclinationem naturalem indicat, neutiquam peccatum per se est, quatenus vero de habituali inclinatione ad prava facinora, & de ipsis pravis motibus usurpatur, omnino peccatum est.

Pontificii distinguunt inter *motus primo-primos* & *secundo-primos.* In prioribus non adesse voluntatis consensum, ajunt, hinc non ad peccata referunt, in posterioribus vero dari semiplenum consensum, quapropter etiam inter peccata numerant. Nos concedimus quidem, motus primo-primos in regenitis non esse peccatum

catum dominans, at sunt tamen respectu legis divinæ omnino verum & proprie sic dictum peccatum legi repugnans.

CAPUT III.

DE SUBJECTO PECCATI ORIGINALIS.

Hoc est *omnis homo*, ut supra jam probavimus. Quod enim de peccato in genere valet, valet etiam de peccato originali in specie.

In Adamo omnes posteri ejus peccaverunt, Rom. V, 12. Totus hinc mundus coram Deo in culpa esse dicitur, Rom. III, 19. Valet hic verbum Christi: *Quod natum est de carne, caro est*, Joh. III, 6. Si nemo, nisi qui regenitus sit, ingredi potest in regnum Dei, v. 5. satis patet, omnes & singulos propter naturalem generationem ad regnum cœlorum ineptos esse.

Hic ne quidem *protoplasti* post lapsum, aut *Maria virgo* excipi debent.

Protoplasti amissa imagine divina omnem corruptionem in se susceperunt, quæ jam in hominibus est & peccatum originale vocatur. Probatur ex Gen. III, 7. ubi de iis narratur, quod post lapsum nudos se cognoverint & propterea faciem Dei timuerint, cum tamen antea eos non puduerit suæ nuditatis, Gen. II, 25.

Colligi potest exinde jactura justitiæ originalis, quia inordinatam & ignominiosam in se senserunt concupiscentiam, quam non ab initio habuerunt, sed tantum per lapsum sibi contraxerunt.

B. Mariam Virginem Pontificii non modo ab omnibus peccatis actualibus, sed etiam a peccato originali liberam judicant ac declarant. Imo multi ex iis asserunt, eam sine omni peccati labe conceptam esse, quod tamen monachi ex ordine Dominici in dubium vocant. Disceptatur propterea valde inter istos & cæteros monachos, inprimis illos, qui regulam Francisci sequuntur.

Hi immaculatam Mariæ Virginis conceptionem fervide defendunt. Eorum partes jam tenent fere omnes papicolæ, provocantes ad Concilium Basileense, in quo sententia hæc pro orthodoxa habita & in ecclesiam Romano-Catholicam tanquam vera introducta est.

Solus *Christus* sine peccato conceptus, ideoque a peccato originali prorsus immunis fuit, etsi veram humanam naturam in utero materno induit. Angelus Domini dixit propterea ad Mariam: *Sanctum, quod ex te nascetur, Filius Dei vocabitur*, Luc. I, 35. Jure meritoque hinc appellatur *ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν*, Hebr. VIII, 26. Non enim genitus est vi primæ benedictionis, Gen. I, 28. sed vi gratiosæ promissionis, Gen. III, 15.

Nec

Nec conceptus eſt ex ſemine virili, ſed tantum ex muliebri, a Spiritu S. ſanctificato, Luc. I, 35.

Errant *Petrus Poiret* & *Dippelius*, docentes, Chriſtum peccaminoſas illecebras ſenſiſſe, eas tamen feliciter viciſſe, iisque nunquam indulſiſſe.

Quanquam omnes homines peccato infecti ſint, in regenitis tamen peccatum tantum tentans, in irregenitis vero regnans eſt.

CAPUT IV.

DE PECCATO ORIGINALI IN INTELLECTU.

I*ntellectus* hominis ante lapſum plenus ſapientiæ fuit. Non modo omnium rerum cœleſtium & terreſtrium rectam & ſufficientem habebat cognitionem, ſed etiam facultatem, omnia in memoria retinendi, ſobrie de iis judicandi, ſolide ratiocinandi & ad certum bonumque finem dirigendi. Verum per lapſum & imaginis divinæ jacturam omnis hæc humani intellectus virtus & perfectio perdita eſt.

Intellectus hominis nunc plenus eſt ignorantiæ, erroris, præjudiciorum & ſtultitiæ, etſi facultas cognoſcendi, recordandi, fingendi, judicandi & ratiocinandi non plane extincta

ſit;

ſit, quia lumen aliquod rationis remanſit, alias homo pejor foret animali irrationali.

Facultates intellectus non modo valde debilitatæ, ſed etiam de recto tramite deflexæ ſunt. Homo igitur nunc in ſpiritualibus nec ſatis accurate & perfecte aliquid, nec quid bonum & ſalutare ſit, cognoſcere poteſt. Intellectus tantum inclinat ad ſciendum, quod vetitum eſt, & Deo diſplicet ſibique ipſi noxium, abominatur autem omnem ſpiritualium, ſalutarium & divinarum rerum cognitionem, 1 Cor. II, 14.

Scriptura S. nominat hanc intellectus corruptionem *cæcitatem*, Eph. IV, 18. Joh. IX, 41. 2 Pet. I, 9. Apoc. III, 18. Jeſ. XXIX, 18. c. XLII, 16. c. LIX, 9. 10. Pſ. CXLVI, 8.

Cæcitatem hanc ut eo melius perſpiciamus, præcipua *intellectus vitia* recenſebimus. Sunt iſta 1) ignorantia, 2) imbecillitas mentis, 3) proclivitas ad errandum, 4) præcipitantia, 5) ſtultitia, & 6) ſtupiditas.

Primum intellectus *vitium*, quod nobis per peccatum originale inhæret, eſt *ignorantia*. Intellectus eſt quaſi tabula cerea, literarum vacua, aut camera obſcura, cui lux deficit. Concreata quidem erat homini facultas, omnia, quæ ad cultum divinum & propriam ſalutem ſpectant, per ſe ſciendi, Col. III, 10. ſed intelligentia hæc per lapſum primorum parentum perdita eſt. Plenus nunc eſt intellectus noſter ignorantiæ, Hiob. VIII, 9. Quod non diſcimus, neſci-

nescimus, Sir. XVIII, 19. In primis in rebus divinis & spiritualibus plane nil intelligit homo. Ethnicorum tempora vocantur propterea *ævum ignorantiæ*, Act. XVII, 30. Hæc ignorantia istæ sunt tenebræ, quibus totus terrarum orbis ante Christi adventum obtectus dicitur, Jes. LX, 2. De hisce tenebris agitur etiam Jes. IX, 2. Matth. IV, 16. Luc. I, 79. Eph. V, 8.

Alterum intellectus *vitium* post lapsum est *imbecillitas mentis*. Mens h. l. idem est ac ratio s. facultas, aliquid discernendi aut dijudicandi. Hæc in homine lapso quidem remansit, alias non amplius foret animal rationale, sed tamen per jacturam imaginis divinæ ita debilitata est, ut jure meritoque magnam ei attribuere possimus imbecillitatem. Difficultas aliquid discendi, memoriæ mandandi, reminiscendi & judicandi effectus hujus imbecillitatis est, quæ in rebus spiritualibus semper major est, quam in rebus terrestribus. Huc spectant non modo querelæ Dei de facilitate hominum obliviscendi sui creatoris & ejus legis, Ps. L, 22. Jes. VII, 10. c. LI, 13. Jer. II, 32. c. XVIII, 14. Hos. IV, 6. sed etiam ejus exhortationes ad consultandum & animo infigendum id, quod per verbum suum nos docet, Ps. XCIV, 8. Jes. LI, 4.

Tertium vitium intellectus est *proclivitas ad errandum*. Defectus intelligentiæ nostræ & imbecillitas mentis non modo obstaculo nobis sunt, veritatem cognoscendi, sed impediunt etiam nos, quo minus certi esse queamus veritatis.

ritatis. Inde oritur proclivitas ad errandum & a veritatis tramite deflectendum, ad quam prava voluntas multum confert, quæ intellectum ad obsequium trahit & præjudiciis implet. Est autem intellectus magis promtus paratusque ad credendum mendaciis, quam veritati, facilioremque se præstat ad errorem, quam ad veritatem amplectendam. Necesse hinc est sibi prospicere, ne ducamur in errores, peccata & damna, quia facillime seduci possumus.

Deus propterea nos diligenter de omni seductione admonet, Jes. III, 12. Matth. XXIV, 4. 1 Cor. XV, 33. 2 Cor. XI, 3. 2 Thess. II, 3. 2 Petr. III, 17.

Quartum intellectus *vitium* est *præcipitantia*, qua homo plus sibi fidit, quam vires ejus valent. Multa ideo loquitur, judicat & agit, quorum postea pœnitet illum. Actus voluntatis plerumque præcedit actum intellectus, hinc verba & facta nostra sæpissime sine consilio facimus. Oriuntur ex hac præcipitantia, ad quam quilibet homo valde propensus est, Sir. XIX, 16. multa infortunia & damna, in quæ homines se ipsos & alios præcipitant. Lente igitur festinandum & nil temere aut sine consilio faciendum est. Spectant huc sapientis morum doctoris, Siracidis, tam monita, c. VI, 13. c. VII, 40. c. XI, 7. 8. c. XIX, 16. quam preces, c. XXIII, 2. 3. nec non Salomonis admonitio de non nimium innitendo intelligentiæ suæ Prov. III, 5.

Quin-

Quintum intellectus *vitium* appellamus *ſtultitiam*. Diſtinguimus eam ab inſipientia. Hæc eſt proprietas hominis ſtupidi, illa vero nugatoris. Oritur ſtultitia ex defectu judicii, luxuriante ingenio, judicium exſuperante. *Ingenium* ea animæ facultas eſt, qua ideas concipimus, quas poſtea per judicium conjungimus, in ordinem redigimus & ad certum finem dirigimus. Quo minor autem in homine hæc facultas eſt, eo magis iſte abundare ſolet viribus ingenii. Hæc ingenii abundantia in ſtultitiam vergit, hominemque reddit nugarum plenum, quia plures concipit fovetque ideas, quam per judicii vires conjungere & ad certum finem dirigere valet. Inde veniunt nugatores. Omnis homo ad hanc inclinat ſtultitiam, quia facultas judicandi & diſcernendi per lapſum Adami valde debilitata eſt, altera facultas vero, quam ingenium vocamus, ex ſuis cancellis erumpit. Oritur exinde communis hominum pruritus nugandi, jocandi, facetiis ludendi, riſum movendi & ſcurriliter loquendi, quæ omnia hominem Chriſtianum non decent. Produnt ejusmodi facetiæ plerumque cordis malitiam & pertinent ad *μωρολογίαν* & *εὐτραπελίαν*, quam Paulus tanquam *ȣ̓κ ἀνήκοντα* interdicit, Eph. V, 4. Chriſtus vero inter verba inutilia refert,

fert, de quibus die extremo rationem reddere debemus, Matth. XII, 36.

Sextum denique intellectus *vitium* est *stupiditas*, per quam id, quod Germani die Dumm-heit seu den Unverstand vocant, intelligimus. Non solum defectum ingenii, sed etiam judicii indicat. Homo secundum hanc stupiditatem non solum saluti suæ consulere nescit, sed imprudenter etiam & secure in diem vivit, acsi nec mors, nec periculum, nec judicium extremum immineat. Datur hæc naturalis stupiditas in omnibus hominibus, qui deliciis luxuriant, mundo & Mammoni serviunt, conscientiæque morsus non metuunt. Tales insipidi homines erant Judæi, quos Christus deplorat, Luc. XIX, 42. Salomo comparat propterea homines cum piscibus & avibus, nullum periculum timentibus, Eccl. IX, 12. communique nomine כְּסִילִים h. e. *stultos* eos nominat, qui Deum non timent, nec in viis ejus ambulant. In eorum usum scripsit Proverbia sua & Ecclesiasten, qui libri adhuc in Bibliis sacris extant. Paulus ab hac insipientia homines valde dehortatur, Eph. V, 15-17.

CAPUT

CAPUT V.

DE PECCATO ORIGINALI IN VOLUNTATE.

V*oluntas* eſt facultas animæ tam appetendi, quam averſandi aliquid. Objectum itaque, circa quod voluntas verſatur, duplex eſt, vel appetibile vel averſabile. Prius eſt cognitum bonum, poſterius vero cognitum malum. *Bonum* eſt, quod non modo per ſe debitas ſuas perfectiones habet, ſed etiam in rem noſtram conducit, *malum* vero, quod non modo corruptum & vitioſum, ſed etiam noxioſum eſt.

Omnia hæc, ut a ſe invicem bene diſcernat homo, Deus ei largitus eſt *ſapientiam*, quæ proprietas eſt intellectus, qua bonum & malum, fas & nefas, utile & pernicioſum diſtinguere poteſt. Amiſſa vero intellectus perfectione ſapientia hæc evanuit. Homo nunc non modo circa voluntatis objectum errat, ſed voluntas ejus ipſa etiam ita corrupta eſt, ut ne quidem cognitum bonum appetat & cognitum malum averſetur. Amiſit etiam certo modo voluntatis libertatem, quæ præcipua hujus facultatis virtus fuit. Ple-

rumque ista vocatur *liberum arbitrium*, de cujus jactura infra specialiter acturi sumus.

Hic tantum de *voluntate* ipsa, quatenus per lapsum corrupta est, aliqua dicemus. Tota ejus corruptio in eo versatur, ut bonum aversetur, malum vero appetat, semperque nitatur in vetitum. *Triplex* hoc *vitium* pluribus exposituri sumus.

Primum voluntatis *vitium* est *aversatio à bono*. Hæc omnibus hominibus a natura ingenita est. Ipse Paulus in statu sanctificationis de ista conquestus est, Rom. VII, 23. Non solum irregenitis fastidio est, quicquid ad cultum divinum & amorem erga Deum & proximum spectat, sed ipsi regeniti non sine tædio officia christianismi præstant. Vim sibi quasi afferunt in facienda voluntate Dei, & quodcunque faciunt, imperfectione laborat. Aversationem sentiunt in fundendis precibus, in audiendo verbo Dei, in frequentando templo, in præstanda vitæ sanctimonia, in distribuendis eleemosynis & in omnibus aliis christianismi officiis. Cognoscendum hoc dant homines per oscitationem, dispersionem cogitationum, negligentiam attentionis, facilitatem dormiendi, procrastinationem pœnitentiæ & alia fastidii signa.

Alterum

Alterum corruptæ voluntatis *vitium* eſt *inclinatio ad malum.* Hæc tanta eſt & tam violenta, ut nullo modo refrenari queat. Impii ſumma cum voluptate peccata committunt & nullius periculi & damni curam habent, Jeſ. XXVIII, 15. Hiob. XXI, 13. Nullum malitiæ opus iis tam arduum ac difficile eſt, ut id non faciliori negotio perficiant, quam quod lex divina poſcit. Ipſi regeniti non poſſunt non aures & oculos libentèr arrigere, quoties aliquid mali auſcultandum & ſpectandum eſt. Captant dulcedinem ex narratione ſcelerum & facile ſe ſinunt ſeduci ſcandalizarique. Jucunda quoque iis eſt præteritorum facinorum recordatio. Hæc omnia proclivitatem naturæ ad malum ſatis ſuperque teſtantur, quam nec regeneratio, nec ſanctificatio in hominibus delere poteſt, quanquam per gratiam Spiritus S. ita ſupprimi queat, ut non facile in actum erumpat.

Tertium voluntatis *vitium* eſt *proclivitas ad faciendum, quod prohibitum eſt.* Ipſi ethnici id cognoſcunt teſte Ovidio, qui ſcripſit: *Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata.* Obſervamus hoc in parvis infantibus, qui ordinarie tendunt ad omnia quæ interdicta ſunt, & e contra abhorrent ab omni, quod iis conducit, aut præceptum eſt. Satis hoc de-

clarat corruptionem cordis noſtri. Benigniſſimus enim creator non potuit non nobiliſſimas ſuas creaturas ita condere, ut ad nil aliud inclinent, quam quod cum voluntate ejus ſanctiſſima conveniat & ſibi ipſis quovis modo commodum ſit ac conducibile. Proclivitas igitur ad faciendum, quod vetitum & damnoſum eſt, ad intermittendum vero, quod præceptum eſt & utilitatem præſtat, certiſſimum ſignum eſt miſeri illius lapſus, in quem ex culpa primorum parentum cecidimus.

CAPUT VI.

DE PECCATO ORIGINALI IN CARNE.

Per *carnem* hic intelligimus omnia, quæ ad hominis corpus ſpectant. Huc non modo membra & vires ejus, ſed etiam cupiditates referuntur, quas alias appetitum ſenſitivum nominamus.

Sicut totus homo corruptionem paſſus eſt, ita quoque non datur aliquid in eo, quod non corruptionem redoleat.

Corpus erat ante lapſum immortale, gaudebatque tanta integritate & perfectione, ut non modo nullus defectus alicujus membri,

nec

nec vitium aliquod in isto daretur, sed vires etiam sensuum & facultatum nunquam diminuerentur. Nunc vero corpus nostrum innumeris morbis & imbecillitatibus obnoxium est. Ab utero materno vergit ad interitum & crescente ætate quotidie decrescunt corporis vires. Organa sensuum sensim debilitantur, usque dum denique facultates videndi, audiendi, olfaciendi, sapiendi & tangendi cessare incipiunt. Miserum hunc humanæ vitæ statum optime depingunt *Salomo*, Eccl. XII, 1 sq. *Jobus*, c. XIV, 1. 2. *David*, Ps. XXXIX, 5-8. Ps. CIII, 14-16. *Moses*, Ps. XC, 5-10. & *Siracides*, c. XL, 1-4.

Carnis cupiditates & *appetitus sensitivus* respectum habent ad hominis nutritionem, delectationem & propagationem. Sedem suam habent in carne animata, in qua nunc nil boni habitat, ut ipse Paulus de se testatur, Rom. VII, 18. Dicitur hoc a Paulo cupiditas, quæ in membris sese exerit adversus legem mentis, Rom. VII, 23.

Per se & originaliter cupiditates carnis & appetitus sensitivus non sunt peccata. Deus istos naturæ humanæ ingenuit in bonum finem, per corruptionem vero naturæ depravati sunt, ita, ut non modo ἀνόμως tendant ad objecta, sed etiam injusta objecta pro justis

& rectis eligant. Huc spectant *voluptates* tam *Veneris*, quam *gulæ*.

Harum principium omnino bonum est. Ingenuit enim Deus hominibus instinctum, sese per generationem propagandi, nec non corpus nutriendi. Instinctus vero hic per lapsum primorum parentum degeneravit in feritatem, ita, ut omnes jam hominis cupiditates effectus sint peccati, Rom. VII, 8.

Pari modo comparatum est cum *avaritia* & *superbia*. Sunt itidem nil aliud, quam species degenerati appetitus sensitivi. Originaliter fuerunt instinctus naturales, suam promovendi felicitatem & gloriam. Per peccatum originis autem factæ sunt turpes pravæque cupiditates, quibus homines detruduntur in exitium & æternam damnationem, 1 Tim. VI, 9.

Requiritur hinc ab omni christiano studium mortificationis carnis & abnegationis sui ipsius, quo spectant sequentia scripturæ S. loca: Gal. V, 24. Tit. II, 12. 1 Petr. II, 11.

CAPUT

CAPUT VII.

DE LIBERO ARBITRIO EJUSQUE DEFECTU IN REBUS SPIRITUALIBUS.

Vox *liberi arbitrii* in Scriptura S. non occurrit. Peripatetici istud vocabant ἐλευθερίαν & προαίρεσιν, Platonici vero αὐτεξουσίαν, quam vocem etiam Patres primitivæ ecclesiæ usurpant.

Liberum arbitrium est ea animæ rationalis, & speciatim voluntatis facultas, secundum quam homo proprio motu & sine ulla coactione agere vel non agere, itemque hoc vel illud agere potest.

Est istud præcipua voluntatis virtus, qua deficiente homo a bruto parum differt. Caveamus igitur, ne in excessu peccemus, quando defectum liberi arbitrii post lapsum nimis extollimus.

Datur enim omnino adhuc in hominibus liberum arbitrium, sed tantum respectu rerum *temporalium*, non vero respectu *spiritualium*, in quibus omni libertate prorsus destitutus est homo, Rom. VII, 15. 16. 19. imo pro mortuo habendus, Eph. II, 1. Col. II, 13.

Liberum arbitrium in spiritualibus mutatum est in *servum arbitrium*, Joh. VIII, 34. Rom. VII, 17. 20. 2 Petr. II, 19. Deficit enim hic

tam libertas contrarietatis, quam libertas contradictionis, quia voluntas non modo ad peccandum proclivis, ſed etiam ad eligendum bonum inhabilis eſt, ut ſupra ſatis docuimus.

Diſtinguendum autem eſt inter *internos voluntatis motus* & *externos* ejus *actus*. Reſpectu priorum non datur liberum arbitrium, ſed tantum reſpectu poſteriorum. *Actus* voluntatis omnino *liberi* ſunt, 1 Cor. VII, 37. Matth. XXIII, 37. non vero ejus *motus*. Motus enim voluntatis oriuntur ex commoventibus cauſis & rationibus intellectus, cui voluntas ſubjecta eſt. Dependent igitur a dictamine intellectus.

Exinde ſatis patet, cur in hominibus tantum reſpectu rerum temporalium, non vero ſpiritualium detur liberum arbitrium. Intellectus enim in ſpiritualibus cœcus eſt, quapropter etiam voluntas non ad res ſpirituales movetur. Dantur quidem in hominibus motus voluntatis ſpirituales, ſed non ſunt naturales. Proveniunt a Spiritu S. ejusque gratia præveniente & illuminante. Quemadmodum autem omne, quod a Spiritu S. proficiſcitur, carni & naturæ noſtræ faſtidium creat: ita etiam impoſſibile eſt, ea, quæ Spiritus S. in nobis operatur, libere & ſine lucta carnis & ſpiritus perficere, Gal. V, 17. Rom. VII, 23. Inde venit omnis defectus liberi arbitrii in ſpiritualibus.

In *rebus temporalibus* autem omnino adhuc datur liberum arbitrium, quia primi voluntatis

tis motus, ad istas directi naturales sunt. Referimus ad has res temporales non modo *actiones civiles*, sed etiam *ecclesiasticas* & *morales*. Per priores intelligimus, quæ ad vitam communem & civilem, per alteras, quæ ad externum Dei cultum, & per ultimas, quæ ad ducendam vitam honestam spectant.

Non enim negandum est, hominem irregenitum ex libero arbitrio hoc vel illud opus civile suscipere, templum frequentare, verbum Dei legere & audire, formulas precatorias recitare, hoc vel illud malum facinus intermittere, aut officium aliquod alteri præstare posse, quia omnia hæc ex motibus naturalibus fieri queunt, Marc. VI, 20. Luc. XXIII, 8. Act. XIII, 7. sed per se non genuinum regenerationis statum constituunt.

Est vero liberum arbitrium in temporalibus neutiquam perfectum, sed valde quoque imminutum & quidem, 1) per consuetudinem peccandi, 2) per vehementiam affectuum & 3) per multifariam seductionem. Facile exinde judicare licet, virtutes irregenitorum hominum esse opera mortua s. splendida peccata. Nemo enim per se aliquid boni facere, nec legem implere, nec per opera justificari potest.

In doctrina de libero arbitrio peccatur tam in excessu, quam in defectu.

In excessu peccant *Stoici* & *Manichæi*, qui hominibus illud prorsus quasi abjudicant & in omnibus actionibus vel fatalem necessitatem,

vel irresistibilem determinationem statuunt; *in defectu* vero *Pelagiani*, & qui eorum vestigiis insistunt, nempe *Scholastici*, *Pontificii*, *Sociniani*, *Arminiani* & *Synergistæ*. Hi omnes vires liberi arbitrii nimium extollunt & ad hominis conversionem eas aliquid conferre posse contendunt.

CAPUT VIII.

DE TENACITATE ET PROPAGABILITATE PECCATI ORIGINALIS.

Præcipuæ peccati originalis affectiones sunt *tenacitas* & *propagabilitas*.

Tenacitas peccati originalis ea est affectio ejus, secundum quam illud toti homini tam pertinaciter inhæret, ut non aliter quam per mortem exstirpari queat. Εὐπερίστατος propterea a Paulo vocatur ἁμαρτία, h. e. firmiter inhærens & quasi undiquaque cingens, Hebr. XII, 1. Metaphora desumta est a corona populi conferti s. turba circumfusa, unde vox περίστασις oritur, quæ circumstantem hominum multitudinem significat. Est itaque ἁμαρτία εὐπερίστατος ejusmodi peccatum, quod undique omnes vires, membra & totum hominem occupat. Hinc non nisi cum ipso corpore exui, aut instar oneris nobis alligati deponi potest.

Indicat hoc Paulus Rom. VII, 17. 18. quando, jam conversus, fatetur, in se nil boni habitare.


tare. Totam naturam quasi domicilium peccati esse testatur, ex qua impossibile sit, hospitem hunc hæreditarium expellere. Sola mors est, quæ domicilium hoc destruit, inhabitansque malum exstirpare potest, Rom. VI, 7. c. VII, 24.

Altera peccati originalis affectio est *propagabilitas*, secundum quam peccatum originale propagatur per carnalem generationem in posteris. Hoc est, quod Christus judicat dicendo: *quod natum est ex carne, caro est*, Joh. III, 5. Hisce verbis docet, quemcunque a parentibus peccaminosis genitum itidem peccaminosum esse. Hoc probant etiam verba Jobi c. XIV, 4. dicentis: *Quis inveniet mundum inter immundos?* nec non verba Davidis ingemiscentis: *ecce in iniquitate formatus sum & in peccato concepit me mater mea*, Ps. LI, 7. Satis clare exinde liquet, peccatum *contagium* esse, quod totam naturam hominis ita infecerit, ut nequicquam de illa proficisci queat, quod non ab ejus veneno infectum sit. Cum fermento bene comparari potest, de quo constat, quod pusillum de isto totam farinariam massam fermentet, 1 Cor. V, 6. fermentationemque hanc cum omni alia farinæ massa communicet.

Sicut igitur tam caro, quam anima hominis a peccati veneno infecta est, ita quoque peccatum in utraque propagatur & quidem per carnalem generationem. Quomodo autem anima malum hoc sibi contrahat, non monstrari

ſtrari quidem, ſalva tamen fide ignorari poteſt. Qui vel perhibent, Deum cujuslibet hominis animam in utero materno creare, vel præexiſtentiam animarum ſtatuunt, dicunt, Deum propter fœdifragium a primis parentibus commiſſum non amplius eorum poſteris juſtitiam originalem conferre poſſe.

Optima hypotheſis eſt doctrina de propagatione animæ per *traducem*, Gen. I, 28. c. V, 3. Per iſtam enim inhærens pravitas in liberos naturaliter ita propagatur, ut nec cauſa peccati in Deum cadat, nec eſſentia hominis propterea alterari debeat. Tali modo corruptio naturæ diffunditur in omnes poſteros, quæ quidem in iis eadem numero, non vero eadem ſpecie eſt.



SECTIO III.

DE PECCATIS ACTUALIBUS.

CAPUT I.

DE PECCATIS ACTUALIBUS IN GENERE.

Peccata actualia ſunt effectus peccati originalis. Nomen habent ab *agendo*, quia per ea

ea *actu* fit, ad quod homines a natura corrupta incitantur. Proprie omne, quod contra legem Dei vel *agendo*, vel *non-agendo* committitur, ſignificant.

Sunt vero omnia peccata actualia aberrationes a lege divina, quæ vel concupiſcendo, vel cogitando, vel loquendo, vel faciendo aut omittendo fiunt. Plerumque deſcribitur *peccatum actuale* per actionem, aut actionis omiſſionem, pugnantem cum lege Dei.

In ſcriptura S. peccata actualia varia habent nomina. Vocantur *mali fructus*, Matth. VII, 21. *opera carnis*, Gal. V, 19. *negotia corporis*, Rom. VIII, 13. *opera tenebrarum*, Eph. V, 11. *opera mortua*, Hebr. VI, 1. & *inquinationes carnis & ſpiritus*, 2 Cor. V, 1.

Non ſunt unius ejusdemque generis. Theologi vario modo illa inter ſe diſtinguunt. Dividunt enim in *peccata commiſſionis* & *omiſſionis*, in peccata *contra Deum*, *proximum* & *ſemetipſum*, in peccata *voluptatis*, *ambitionis* & *avaritiæ*, in peccata *voluntaria* & *involuntaria*, ſ. *regnantia* & *non-regnantia*, in peccata *cordis*, *oris* & *operis*, in peccata *malitiæ* & *imbecillitatis*, in peccata *clamantia* & *non-clamantia*, in peccata *propria* & *aliena*, in peccata *mortalia* & *venialia*, in peccata *habitualia* & *non-habitualia*, in peccata *aperta* & *occulta*, & in peccata *remiſſibilia* & *irremiſſibile*. De omnibus hiſce peccatorum generibus infra pluribus agetur.

Omnia

Omnia peccata actualia sunt offensiones Dei, Rom. VIII, 7. Jac. IV, 4. Peccatores hinc jure meritoque dicuntur in lingua Germanica Gottlose, quia quasi se abalienarunt a Deo ejusque cultu. Græci ἀσεβεῖς & Hebræi רְשָׁעִים nominant, quos Latini *impios* vocant. Cunctæ hæ voces ejusmodi irreligiositatem indicant, quæ omnem communionem & amicitiam cum Deo tollit. Recte hinc Jesaias ad Judæos dixit: *iniquitates vestræ vos & Deum vestrum disjungunt*, Jes. LIX, 2.

Maximi adversarii in doctrina de peccatis actualibus sunt *Pontificii*, qui partim nimis exaggerant ea, partim nimis extenuant, ut suo loco ostendemus.

CAPUT II.

DE CAUSIS PECCATORUM ACTUALIUM INTERNIS.

In homine *generatim* nil aliud, quam ipsa *humanæ naturæ* connata *perversitas*, quæ in defectu justitiæ originalis & pravitate concupiscentiæ consistit, peccatorum actualium causa efficiens est.

Scriptura S. hanc naturalem hominis perversitatem plerumque vocat *carnem*, Gen. VI, 3. Joh. III, 6. c. VI, 63. Rom. VIII, 13. Gal. V, 17. 19. 24. c. VI, 8. nec non *cor*, quod propterea

pterea dicitur *impurum*, Prov. XX, 9. Act. XV, 9. *lapideum*, Ezech. XI, 19. *vetus*, Ezech. XXXVI, 26. & *incircumcisum*, Deut. X, 16. c. XXX, 6. Jer. IV, 4. Rom. II, 29. Alias etiam hæc perversitas a Paulo *inhabitans malum* Rom. VII, 17. 18. & *vetus homo*, Rom. VI, 6. Eph. IV, 22. a Christo vero *malus cordis thesaurus*, Matth. XII, 35. & *mala cordis scaturigo*, Marc. VII, 21. Jer. VI, 7. nominatur.

Est autem *cor* & *caro hominis* sedes pravæ concupiscentiæ, prava *concupiscentia* vero omnium peccatorum actualium mater. Concupiscentia enim *συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν*, h. e. *cum conceperit, parit peccatum*, Jac. I, 15.

Speciatim quærendæ sunt peccatorum actualium causæ internæ tam in intellectu, quam in voluntate.

In *intellectu* dantur *ignorantia* & *præjudicia*, quæ homines ad actualiter peccandum ducunt.

Ignorantia est causa peccatorum, quatenus excludit genuinam veritatis cognitionem, quæ actum peccandi alias impedit. Sic *Paulus* 1 Tim. I, 13. testatur, se persecutorem Jesu factum fuisse, cum caruisset veræ religionis cognitione. Pari modo peccata ex ignorantia commiserunt etiam *Abimelech*, Gen. XX, 5. 6. *Loth*, c. XIX, 33. 35. *Juda*, c. XXXVIII, 14-16. aliique.

Ignorantia alias distinguitur in *vincibilem* & *invincibilem*. *Vincibilis* est, quæ tolli, & *invincibilis*, quæ non tolli potest, licet omnis diligentia

gentia propterea adhibeatur. Hæc, etsi excuset homines coram hominibus, non tamen coram Deo excusationem invenit, quia omnis peccati ignorantia apud ipsum pro vincibili habetur, Rom. I, 19 21. Interim Deus ex singulari gratia in fidelibus ejusmodi peccata inter venialia numerat.

Est autem *ignorantia peccati* vel *antecedens* vel *consequens*.

Antecedens peccati ignorantia est, quæ antecedit voluntatem. Hæc duplex est. Aut qu s ignorat, quod scire potest & debet, aut ignorat, quod facit, quod tamen, si sciret, æque facturus foret. Hæc ultima plerumque *ignorantia concomitans* appellatur.

Ignorantia peccati consequens est, quæ voluntatem sequitur, quapropter etiam *voluntaria* vocatur. Est vel *affectata* vel *supina*.

Ignorantia affectata est, quando ex malitia homo aliquid nescire vult, quod tamen scire posset; *supina* vero, quando ex negligentia aliquid nescit, quod scire posset.

Præjudicia sunt falsæ persuasiones mentis ex dominatione voluntatis super intellectum ortæ, quibus homo conscientiam suam super hoc vel illo peccato tranquillare, istudque extenuare ejusque peccaminositatem prorsus tollere studet. Vocantur *præjudicia vitæ* s. *præjudicia practica*, quia christianismo valde nocent, & non

& non modo peccatores in sua vita securos reddunt, sed etiam alios scandalizant & in eadem peccata trahunt.

Huc spectant etiam *errores*, qui ex deceptione intellectus aut sensuum circa objectum aliquod oriuntur. Ignorantia generat eos & seductio istos parit. Quia genuinam rerum causam, modum & finem non semper scimus, opus nobis est institutio aut manuductio aliqua, qua tamen pari facilitate in errores rapimur, quam in veritatem ducimur. Interim de errore idem dici potest, quod de ignorantia supra diximus. Discrimen inter ambos in eo consistit, quod homo errans id non recte noverit, quod ignorans plane nescit.

In *voluntate* sunt *prava concupiscentia* & *pravi affectus* id, quod ad causas peccatorum actualium internas refertur.

Prava concupiscentia duplicem habet significationem. Significat enim vel peccatum originale, ut supra ostendimus, vel habitualem propensionem ad malum, qualis est illa, quam Jacobus vocat ἐπιθυμίαν συλλαβῦσαν, c. I, 15. Homo tunc plenus est motuum inordinatorum, qui eum ad quærendam occasionem, pravis suis desideriis satisfaciendi, instigant. Cupidinem peccandi hanc concupiscentiam

dicere possumus, quia semper aliquid jucundi secum fert, nosque tanta dulcedine captat, ut nullius periculi aut damni inde enascentis rationem habeamus.

Affectus sunt motus animi, qui ex repræsentatione vel imminentis vel jam præsentis boni aut mali oriuntur, nosque ad vehementius appetendum vel aversandum id, quod jam appetimus vel aversamur, impellunt.

Dicuntur *pravi*, quia non modo peccato infecti sunt, sed etiam ad peccata actualia incitant. Per se non sunt pravi, quia ipsi Deo tribuuntur, Christoque in statu exinanitionis consueti fuerunt. Attamen quia voluntatem nostram partim distrahunt, partim impediunt, quo minus ad objecta ab intellectu repræsentata tendat, nec non intellectus judicium turbant, voluntatemque ad bona temporalia trahunt, imo, si nimis vehementes sunt, suo quasi pondere voluntatem contra rationis dictamen prorsus dejiciunt, jure meritoque inter causas peccatorum actualium internas numerantur.

Ejusmodi *affectus* sunt amor, odium, ira, gaudium, tristitia, spes & metus. Hi omnes in hominibus peccaminosis degenerant in pravas commotiones, quæ excœcant intelle-

ctum, perturbant voluntatem & præcipitant nos in varia facinora, quorum nos postea valde pœnitet.

CAPUT III.

DE
CAUSIS PECCATORUM ACTUALIUM EXTERNIS.

Extra hominem ad peccata actualia incitant *diabolus* & *mundus*. Vocantur propterea hostes hominum spirituales.

Primus & præcipuus hominum *hostis* est *diabolus*, magnus ille homicida, Joh. VIII, 44. de quo Petrus scripsit, quod quotidie obambulet sicut rugiens leo & devorare studeat, quem inveniat, 1 Petr. V, 8. Præstat istud præcipue per suas tentationes & incitationes ad peccandum. Nominatur propterea ὁ πειράζων, h. e. seductor, Matth. IV, 3. quia totum mundum seducit, Apoc. XII, 9. & magnam indignationem erga homines habet, Apoc. XII, 12. Utitur autem ob limitatam suam potentiam variis μεθοδείαις s. occultis & fraudulentis circumventionibus, Eph. VI, 11.

Quando hominem decepit & in peccata dominantia detrusit, spiritualiter eum inhabitare solet ut Judam, Luc. XXII, 3. Voca-

tur hoc *obsessio spiritualis*, de qua alibi pluribus actum est.

Duplici modo diabolus homines ad peccandum incitat, partim mediate, partim immediate. *Mediate* fit per malos homines & nostri proprii cordis pravas inclinationes, nec non per varia nos allicientia objecta aut suppeditatas occasiones, *immediate* vero per malas cogitationes, quas indesinenter nobis inspirat, Joh. XIII, 2. 1 Chron. XXI, 1. Act. V, 3. nec non per malas imaginationes, aut mala somnia, quæ omnia diabolum habent auctorem.

Paulus omnes has incitationes *tela ignea* vocat, quibus Satanas nos petere solet, Eph. VI, 16. Excœcat per ea sensus, ne nobis illucescat lumen Evangelii, 2 Cor. IV, 4. Intellectum variis præjudiciis & erroribus implet, nobisque mala consilia inspirat, actiones vero vetitas commendat & excusat, utque eas committamus, suadet. Verbum Dei de corde sumit, ut oblivioni id demus, Luc. VIII, 12. affectus animi & cupiditates carnis excitat, divinas veritates dubias reddit & Deum ipsum apud nos calumniatur.

Hoc experiuntur & pii & impii; *pii*, quatenus eos Deus ex certa eaque sapientissima causa tentationibus diabolicis submittit, 1 Cor. X, 13.

X, 13. Matth. VI, 13. Jac. I, 13. Apoc. II, 10. *impii* vero, quatenus se ipsos petulanter in laqueos & retia Satanæ immittunt. Illi ex viribus gratiæ divinæ repugnant, hi vero desideriis diaboli, sui patris, obsequium præstant, Joh. VIII, 44. Dicitur propterea diabolus efficaciter agere in filiis incredulitatis, Eph. II, 2. quod tamen non mirandum est, quia tales homines diaboli mancipia sunt, 1 Joh. III, 8.

Neutiquam vero diabolus homines ad obsequium cogere potest. Ei enim resistere possumus, 1 Petr. V, 9 Eph. VI, 13. 16. Jac. IV, 7. Homines ipsi in culpa sunt, si mancipia diaboli evadunt. Principiis non obstant, quando a Satana ad peccandum irritantur. Semel si consenserunt & jugo ejus collum suum subjecerunt, facile in deteriora delabuntur ac velut captivi ad ejus voluntatem circumducuntur, 2 Tim. II, 26.

Alter hostis hominum spiritualis, qui eos externe ad peccata actualia incitat, est *mundus*.

Vox hæc vel omnium rerum terrestrium complexum, quibus homines abuti solent, vel malos homines significat.

In priori sensu *mundus* dici potest *instrumentum diaboli*, in posteriori vero *sponsa diaboli*.

Res mundi præbent hominibus varia objecta, quæ malas propensiones & commotiones ani-

mi excitant. Sunt ista vel decora, vel utilia vel jucunda, quæ omnia ambitioni, avaritiæ & voluptati pastum suppeditant. Admonemur propterea, mundo hoc non abuti, 1 Cor. VII, 31. nec ea, quæ in mundo sunt, nimium diligere, quia in eo, qui mundum, h. e. res mundanas, nimium diligit, non dilectio Patris cœlestis est, 1 Joh. II, 15. Vocatur vero id, quod præcipue ex mundi amore in homine nascitur, *cupiditas carnis, libido oculorum* & *fastus vitæ*, 1 Joh. II, 16.

Mali homines collective *mundus* dicuntur, quia de mundo sunt, mundoque abutuntur, Joh. III, 16. c. XVI, 20. Rom. XII, 2. 1 Cor. VI, 2. 1 Joh. III, 13. Pertinent ad causas peccatorum externas, quatenus partim suadendo, Prov. I, 10. 1 Reg. XI, 3. partim terrendo, Matth. XXVI, 69 - 74. c. X, 28. partim mala exempla præbendo, Sap. IV, 12. 1 Cor. XV, 33. homines ad peccata incitant.

Mala exempla alias appellantur *scandala*, quæ in *data* & *accepta* distinguuntur.

Scandala data sunt ipsa peccata, quatenus proximo nostro occasionem peccandi dant. Per illa vel a bono abstrahitur proximus, vel ad malum instigatur. Christus *væ!* exclamat super omnes, qui scandalum præbent, Matth. XVIII, 7.

Scan-

Scandala accepta ſunt actiones innocentes, quæ ab hominibus vel inſipientibus, vel perverſis male intelliguntur & iis propterea offendiculo ſunt. Hac ratione Judæi ab ipſo Chriſto ſcandalum acceperunt, Matth. XIII, 57. Jeſ. LII, 14. 1 Petr. II, 8. 1 Cor. I, 23. Matth. XI, 6.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO PECCATORUM ACTUALIUM.

Subjectum peccatorum actualium eſt quilibet homo, 1 Reg. VIII, 46. Eccl. VII, 21. 1 Joh. I, 8. Rom. III, 23. Pſ. XIV, 3. Pſ. CXLIII, 2. Prov. XX, 9. Nemo hic excipitur, niſi ſolus Chriſtus, 1 Petr. II, 22. Joh. VIII, 46. Hebr. VII, 26. 27.

Ipſi *regeniti* peccata actualia committunt, Hiob. IV, 18. c. XV, 15. 1 Joh. I, 8. Nec *Maria virgo* ab iis libera fuit, ut ex Luc. II, 44. & Joh. II, 4. patet.

Plura de hac materia diximus *in Libro VI. cap. VI.* ubi *de peccati ſubjecto in genere* egimus. Hic tantum addimus, quæ adhuc de peccatorum actualium *ſubjecto quo* dicenda ſunt.

Subjectum quo ſunt non modo omnes facultates animæ, ſed etiam omnia corporis membra & organa.

Facultates animæ plerumque ſub nomine *cordis* intelliguntur. Sicut enim cor principium

eſt circulationis ſanguinis, in qua hominis vita naturalis conſiſtit, Lev. XVII, 14. ita etiam quaſi ſedes eſt animæ & omnium ejus facultatum, nec non ſpirituum vitalium.

Hac de cauſa *cor* in ſacris literis non modo fons omnium peccatorum actualium vocatur, Matth. XII, 34. c. XV, 19. ſed ei etiam omnes malæ cupiditates & cogitationes adſcribuntur, Pſ. XXVIII, 3. Pſ. LXII, 11. Prov. XI, 20. c. XVI, 5. Hoſ. XIII, 6. Luc. XXI, 34. 1 Cor. IV, 5.

Qui igitur a pravis cupiditatibus & cogitationibus, quæ inter actualia omnino peccata numerantur, liber eſſe vult, Deum rogare debet, ut novum cor ei creet, Pſ. LI, 12. Ezech. XXXVI, 26. aut lapideum cor in carneum mutet, Ezech. XI, 19. aut impurum cor purificet per fidem, Act. XV, 9.

Si Deus ab homine poſtulat, ut ſibi cor det, Prov. XXIII, 26. nil aliud deſiderat, quam quod homo ſuas animæ facultates ita ſanctificet, ut nec cupiditatibus, nec cogitationibus, nec ratiociniis aut præjudiciis ſuis contra eum peccet.

Ad *ſubjectum quo* pertinent etiam reſpectu peccatorum actualium *organa* & *membra corporis* noſtri. Huc ſpectant non modo manus, pedes, labia & alia membra corporis externa, ſed etiam organa ſenſuum, e. g. oculi, aures, lingua, gula & quæ intra corpus dantur viſcera. Hæc omnia ſunt quaſi inſtrumenta, quibus actualia peccata tam verbis quam factis committuntur.

Admo-

Admonemur propterea, membra nostra non dare in arma nequitiæ, Rom. VI, 13. 1 Cor. VI, 15. sed ea potius quovis modo refrenare & ad præstanda officia Christianismi adhibere. Paulus, qui hoc nominat *sacrificium spirituale*, Rom. XII, 1. in hoc nobis exemplo est, quando fatetur, se corpus suum ὑπωπιάζειν & δουλαγωγεῖν, h. e. valde affligere & in servitutem redigere, 1 Cor. IX, 27.

CAPUT V.

DE

DISCRIMINE PECCATORUM ACTUALIUM.

Peccata actualia varia modo distinguuntur.

Respectu *causæ efficientis* dividuntur in *peccata voluntaria* & *involuntaria*. Priora, quæ vel *regnantia* vel *non regnantia* sunt, vocantur etiam *proæretica*, nec non peccata malitiæ, quia sponte & voluntarie aut ex dominante consuetudine committuntur, posteriora vero ea sunt, quæ non libenter, sed ex ignorantia, infirmitate & præcipitantia patrantur.

Respectu *causæ materialis* dividuntur in *peccata commissionis* & *omissionis*. Illa consistunt in actibus positivis, hæc vero in neglectione aut omissione officiorum. Plerumque in omni peccato actuali omissio & commissio conjunctæ sunt. Malum enim agendo semper bonum

omittitur: hinc nuda boni omiſſio jure meritoque inter peccata numeratur, Jac. IV, 17. Interim fit a potiori denominatio.

Reſpectu *objecti* dividuntur in *peccata contra Deum, contra proximum* & *contra ſemet ipſum.*

Priora ſunt, quibus Deus directe & immediate offenditur, poſteriora vero, quæ vel contra proximum vel ſemetipſum homo committit, cujus generis ſunt ſcortatio, 1 Cor. VI, 18. ebrietas & *αὐτοχειρία.*

Reſpectu *gravitatis* dividuntur in *peccata clamantia* & *non-clamantia.* Peccata clamantia ſunt, quæ tacentibus hominibus ipſam quaſi implorant Dei vindictam & propterea a Deo plerumque etiam in hac vita puniuntur. Huc ſpectant 1) effuſio innocentis ſanguinis, Gen. IV, 10. 2) oppreſſio miſerarum perſonarum, Exod. III, 7 ſq. c. XXII, 22-27. 3) denegatio mercedis promeritæ, Jac. V, 4. & 4) ſcelera Sodomitica, Gen. XVIII, 20. quæ ob turpitudinem *muta* vocantur *peccata*, Sap. XIV, 26. quia ſine pudore nec nominari nec deſcribi poſſunt. Continentur omnia hæc peccata in hiſce verſibus:

Clamitat ad cœlum vox ſanguinis & Sodomorum,
Vox oppreſſorum, merces detenta laborum.

Reſpectu *gradus* dividuntur in *peccata cordis, oris* & *operis*, quorum priora cupiditatibus & cogitationibus, altera verbis & ultima factis committuntur, Matth. XV, 19.

Re-

Respectu *effectus* dividuntur in *peccata mortalia* & *venialia*. *Mortalia* sunt, quæ Deus hominibus imputat & morte æterna punire vult, *venialia* vero, quæ Deus ex singulari gratia fidelibus, ut infra docebimus, non imputat, sed eorum veniam dat. Per se omnia peccata *remissibilia* sunt pœnitentibus peccatoribus, excepto solo peccato in Spiritum S. de quo infra agetur.

Respectu *subjecti* dividuntur in *peccata propria* & *aliena*, quæ ultima ea sunt, in quibus homo tanquam causa moralis concurrit. Dicuntur alias *peccata participationis*, 1 Tim. V, 22. 2 Joh. v. 11. Fiunt vel agendo, vel omittendo. Agendo fiunt secundum versum hunc:

Consulo, præcipio, consentio, provoco, laudo.

Omittendo vero committuntur secundum hosce versus:

Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed contribuo & defendo aliena.

Pontificii distinguunt *peccata*, in ea, quæ sunt *contra legem*, & ea, quæ sunt *præter legem*. Posteriora habent pro peccatis venialibus. Sed distinctio hæc nullo nititur fundamento, quia forma omnis peccati in transgressione legis consistit.

CAPUT VI.

DE

GRADIBUS PECCATORUM ACTUALIUM.

Peccata *actualia non sunt æqualia*, sed se invicem gravitate antecedunt, Matth. VII, 3-5. Joh. XIX, 11.

Gravitas peccati dependet non solum a qualitate ipsius peccati, respectu ἀνομίας & ἀποστασίας, sed etiam a qualitate tam subjecti, quam objecti, nec non a circumstantiis & causis, quæ peccati qualitatem variant, ejusque gravitatem modo augent, modo minuunt.

Minori gradu peccat, qui de voluntate Dei parum novit, aut majorem peccandi instinctum & occasionem habet, minorique resistendi gratia gaudet, quam qui voluntatem Dei bene novit, ad peccandum non instigatur & gratia Dei ad resistendum largiter præditus est. Cui enim multum datum est, ab eo etiam multum postulatur, Luc. XII, 47. 48.

Augetur etiam gravitas peccati, si per istud simul aliis *scandalum* datur, quia sic plures in eadem peccata ruunt, Matth. XVIII, 6.

Generatio peccatorum actualium secundum Jacobum c. I, 14. 15. per sequentes fieri solet gradus.

Radix est ἰδία ἐπιθυμία f. ipsa prava concupiscentia, alias πάθος dicta, unde παθήματα oriuntur.

Con-

Concupiſcentiam hanc ſequitur 1) τὸ πειράζειν, ſ. primum incitamentum ad malum, 2) τὸ δελεάζειν, quando illecebris carnis dictamen rationis obturatur, 3) τὸ ἐξελκεῖν, quando voluntas captiva ducitur, 4) τὸ συλλαμβάνειν, quando malum proponitur, & 5) τὸ τίκτειν, quando malum peragitur.

Ex peractione mali operis plerumque oritur peccandi conſuetudo, inde venit peccati excuſatio, hinc ejus defenſio, poſtea peccatoris obſtinatio, tunc peccati gloriatio, deinde ſenſus reprobus & tandem cordis obduratio, quæ ſummus peccati actualis gradus eſt.

CAPUT VII.

DE PECCATIS MORTALIBUS ET VENIALIBUS.

Peccata *mortalia* nomen habent a *morte*, quæ peccati ordinaria pœna eſt, Rom. V, 12. c. VI, 23.

Comprehendit autem vox hæc omne malum, quod Deus tanquam pœnam peccatoribus impoſuit. Exinde patet, peccatum mortale ejusmodi peccatum eſſe, quod pœnam Dei importat. Quicquid igitur ab homine irregenito & extra ſtatum gratiæ vivente contra legem Dei vel concupiſcitur, vel cogitatur, vel dicitur, vel peragitur, peccatum mortale eſt, ſeu ejusmodi

modi peccatum, quod hominem morte æterna dignum reddit, Rom. VIII, 13. Gal. VI, 8. Joh. VIII, 24.

Huc referenda sunt non modo peccata clamantia & regnantia, quæ *manifesta opera carnis*, Gal. V, 19. & *opera diaboli*, 1 Joh. III, 8. Eph. II, 2. Joh. VIII, 44. nuncupantur, sed generatim omnia peccata voluntaria & quicquid libenter & studiose contra legem Dei committitur. Ipsa peccata omissionis inter mortalia numerantur, Jer. XLVIII, 10. Neque hic excluduntur errores extantiores circa fundamentum fidei & ordinem salutis, Gal. V, 4. 1 Tim. IV, 1. 2 Tim. II, 18.

Subjectum peccatorum mortalium proprie sunt omnes impii & irregeniti, qui non in statu gratiæ vivunt. Omnis enim transgressio legis divinæ iis est peccatum mortale, Rom. XIV, 23. 1 Joh. III, 8. 9.

Committunt impii interdum quidem etiam peccata involuntaria. Quia vero sub dominio peccati sunt, omnes eorum actiones malæ, etsi non semper cum pleno voluntatis consensu fiant, inter peccata mortalia referuntur.

Pii & regeniti quotidie etiam in periculo sunt, in peccata mortalia ruendi, si non in statu renovationis & in quotidiana pœnitentia vivunt.

Peccata venialia proprie sunt ea peccata, quæ Deus regenitis, qua talibus, non imputat. Nomen habent a *venia*, quia Deus eorum veniam dat.

Per

Per ſe non datur peccatum veniale, ſed propter meritum Chriſti fide apprehenſum ea peccata ſic nominantur, quæ ex imbecillitate carnis committuntur ab iis, qui in ſtatu gratiæ & quotidiana pœnitentia vivunt, Rom. VIII, 1.

Pontificii varia peccata per ſe venialia eſſe contendunt, & quidem 1) verba otioſa, 2) quicquid ex præcipitantia committitur, 3) motus peccati ſecundo-primi, & 4) furta rerum nimis exiguarum, e. g. unius oboli, acidulæ &c. Sed ex 1 Joh. III, 4. c. V, 17. Matth. V, 18. c. XII, 36. Gal. III, 10. Pſ. XIX, 13. facile refutari poſſunt Pontificii.

Nec *ignorantia invincibilis*, nec *ſomnus* peccata noſtra reddere poteſt venialia, niſi in ſtatu gratiæ verſamur. Coram Deo enim omnis ἀνομία damnabilis eſt.

Calviniani diſtinguunt inter *peccata electorum* & *reproborum*. Illa omnia nominant venialia, hæc vero mortalia, quod autem cum divina veritate & ſanctitate valde pugnat.

Certa peccata Deus quidem ad tempus tolerat, quæ tamen non propterea venialia dicenda ſunt. Ex occulta ſapientia id facit. Sic Deus Act. XVII, 30. ὑπεριδὼν τοὺς χρόνους τῆς ἀγνοίας, ſ. diſſimulans dicitur, quaſi non videat tempora ignorantiæ.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE STATU EXCOECATIONIS ET INDURATIONIS.

Excæcatio & *induratio* ſunt conſequens peccatorum actualium. Prior ad intellectum & poſterior ad voluntatem ſpectat. A naturali cœcitate & duritie cordis diſtingui debent, quæ ad proprietates peccati originalis pertinent.

Excæcatio & *induratio* plerumque ſecum conjunctæ ſunt. Oriuntur ex dominio peccati contemtis gratiæ mediis & Spiritus S. admonitionibus internis. In iis itaque hominibus dantur, qui quidem in eccleſia vivunt & veritatis divinæ cognitione gaudent, ſed ob ſceleroſam vitam ſui ipſius omniumque officiorum & quæ ſibi ſaluti ſint, obliviſcuntur.

Intellectus ejusmodi hominis amittit ſenſum veri & falſi, cœcusque quaſi redditur ad cognoſcendum & credendum, quæ verbum Dei docet, *voluntas* vero ejus in tantam perverſitatem ducitur, ut prudens ſciensque ad interitum ruat & ſuæ ſalutis nullam curam habeat. Cor ita indureſcit, ut non amplius exhortationi locum det. Exemplo ſunt Judæi temporibus Chriſti, Luc. XIX, 42. 44. c. VII, 30. Act. XIII, 46. Tribuit ſcriptura ejusmodi hominibus frontem æneam, cervicem ferream & faciem

faciem lapideam, Jeſ. XLVIII, 4. Jer. V, 3. Ezech. III, 7.

Talis *induratio* cordi adſcribitur, Ezech. XI, 19. *excæcatio* vero animo, cui propterea oculi tribuuntur, Eph. I, 18. Pſ. XIII, 4. Conſtituunt ſtatum, qui homines ad peccatum in Spiritum S. ducit.

Cauſa hujus miſeri ſtatus proxima eſt ipſe homo, Gen. VI, 3. Pſ. XCV, 8. Mich. VI, 8. Hoſ. XIII, 9. Prov. I, 24. 25. remotior vero diabolus, 2 Cor. IV, 4. neutiquam vero Deus, etſi interdum dicatur cor hominis indurare, Jeſ. VI, 10. 11. Exod. IV, 21. Rom. IX, 18. quod tamen non ad luendam pœnam æternam, ſed tantum temporalem fit, ut ſuo loco pluribus oſtendemus.

Concurrit autem Deus ad ſtatum excœcationis & indurationis non aliter, quam judex, & quidem 1) per juſtam permiſſionem, quæ vocatur traditio in ſenſum reprobum, Rom. I, 28. & in pravas cupiditates, v. 24. 26. & 2) per ſubtractionem gratiæ reſipiſcendi, Pſ. LXIX, 28. Sap. I, 5. Theologi anſam inde ſumſerunt, de Deo dicendi, quod peccata peccatis puniat, ut ex 2 Theſſ. II, 10-12. Ezech. XIV, 9. Jeſ. X, 5. 6. probatur.

Effectus excœcationis & obdurationis ſunt, quod talis homo 1) apertis oculis non videat & apertis auribus non auſcultet, Matth. XIII, 14. 2) divinis promiſſionibus aut commina-

tionibus non credat, sed utrasque ludibrio habeat, Jes. LIII, 1. Joh. XII, 37. Jer. V, 11-13. c. XX, 8. 3) perversa judicia de rebus spiritualibus ferat, Act. XVII, 32. 1 Sam. II, 17. 4) veritatis hostem se praebeat, Matth. XXIII, 34. Joh. XV, 20. c. XVI, 2. & 5) in suam propriam perniciem currat, Jes. XIX, 13. 14. Hiob. XII, 24. 25.

CAPUT IX.

DE PECCATO IN SPIRITUM S.

Multum de hoc peccato inter Theologos disputatum est, quia ejus irremissibilitas cum gratia Dei universali pugnare videtur.

Loca Scripturae S. praecipua, quae de peccato in Spiritum S. agunt, sunt: Matth. XII, 31. 32. Marc. III, 29. & Luc. XII, 10. Hisce addi possunt: Hebr. VI, 4-6. 1 Joh. V, 16.

Ex his locis patet, 1) quod peccatum hoc contra Spiritum S. committatur, 2) quod in blasphematione consistat, 3) quod pejus sit crimen, quam blasphematio Filii Dei, 4) quod blasphemia Pharisaeorum propter expulsionem mali daemonis occasionem dederit Christo, de peccato in Spiritum S. loquendi, 5) quod inter omnia peccata unicum sit, quod non remittatur, & denique 6) quod sit peccatum summe

ſumme mortale, pro quo non deprecari debeamus.

Optimam clavem ad cognoſcendum genuinum ſenſum verborum Chriſti, de peccato in Spiritum S. loquentis, ſuppeditat locus ad Hebr. VI, 4-6. ubi de iis, qui ſemel illuminati ſunt, & dona cœleſtia guſtaverunt, nec non participes facti ſunt Spiritus S. & gratioſum Dei verbum facultatesque futuri ſeculi guſtaverunt, docetur, quod, ſi iterum prolabantur in peccata proæretica & Filium Dei de novo crucifigant ignominiæque exponant, impoſſibile iis ſit, ad pœnitentiam reduci.

Dictum hoc biblicum de peccato in Spiritum S. omnino agere, nemo negabit, qui perpendit, quod præter hoc peccatum non detur aliud, quod irremiſſibile ſit, Matth. XII, 31. Marc. III, 28. Cum igitur in hoc loco aſſeratur, peccatores malitioſe relapſos & merito Chriſti repugnantes non ad agendam pœnitentiam iterum excitari poſſe, ſatis patet, cauſam irremiſſibilitatis non in Deo, ſed in peccati indole, quatenus illud gratiæ Dei convertenti & mediis ejus per ſe contrarium eſt, quærendam eſſe.

Committitur enim peccatum hoc contra officium Spiritus S. quod circa media gratiæ & converſionis verſatur, & quidem ex malitia, non vero ex infirmitate.

Qui abnegat agnitam fidem ſalvificam, aut coram magiſtratu deliberato animo perjurium

 facit,

facit, peccato quidem in Spiritum S. proximus eſt, non tamen reipſa iſtud per ejusmodi facinora committit. Poſſunt enim illa crimina ex metu periculi & cum propoſito reſipiſcendi fieri, quapropter iis, qui taliter peccant, non per ſe præcluditur via ad pœnitentiam.

Cum Phariſæis aliter comparatum erat. Hi enim Spiritus S. opera miraculoſa, quibus ad fidem ſalvificam perduci debebant, diabolo ejusque operationi adſcribebant, Marc. III, 30. Hoc modo ſe ipſos deſtituebant occaſione, verum Meſſiam, ſine quo non datur ſalus æterna, cognoſcendi & in eum credendi.

Jure meritoque hinc Chriſtus eorum blaſphemiam in Spiritum S. *peccatum irremiſſibile* dicere poterat, cum cordium eorum naturam & indurationem optime cognoſceret, Joh. II, 25. Matth. IX, 4.

Hac cognitione vero cum nemo gaudeat, de nullo quoque peccatore judicare poſſumus, eum contra Spiritum S. peccaſſe, etſi quilibet ſibi ſollicite cavere debeat, ne in ejusmodi horribile ruat crimen, in quod multi proh dolor! jam delapſi ſunt, de quibus nemo id judicavit.

Finalis incredulitas neutiquam ad proprietates hujus peccati pertinet, alias omne peccatum, cujus remiſſio per veram pœnitentiam non ante mortem impetratur, peccatum in Spiritum S. dicendum foret. Finalis incredulitas igitur non ad formam hujus peccati pertinet, ſed

tantum

tantum consequens ejus est. Propter hoc consequens autem peccatum in Spiritum S. non ab aliis peccatis, quatenus irremissibile dicitur, differt, sed quia per se & per naturam suam irremissibile est.

Hæc *irremissibilitas* vero non ex parte Dei, sed tantum ex parte hominis huic peccato tribuitur. Non enim pœnitentiam agere & gratiam Dei meritumque Christi sibi applicare potest homo, qui istud committit.

Optime igitur describi potest peccatum hoc, quod in totali Spiritus S. omniumque ejus in convertendis hominibus operationum, quas jam sensimus, abnegatione consistat & propterea per se irremissibile sit.



LIBER VII.

DE

CHRISTO.

Doctrina de Christo est præcipua inter omnes, quas Evangelium docet, quia Christus non modo nucleus totius Scripturæ S. est, Act. X, 43. sed etiam unicum fundamentum fidei & salutis, Act. IV, 12. Joh. XVII, 3. c. XX, 31.

Rectissime hinc doctrina hæc vocatur ὁμολογουμένως μέγα μυςήριον τῆς εὐσεβείας, h. e. ejusmodi christianæ religionis mysterium, cu-

jus magnitudo apud omnes homines in confesso est, 1 Tim. III, 16. Plena enim est tota hæc doctrina rerum arcanarum & intellectum humanum superantium, continetque fundamentum totius christianæ religionis. Ipsi angeli ad istud intelligendum παρακύψαι, h. e. incurvare se & proclinato quasi capite in istud introspicere dicuntur, 1 Petr. I, 12.


Hominibus non nisi per revelationem divinam innotescit, Matth. XVI, 17. Necessitas quidem mediatoris inter Deum & hominem facile cognosci potest ab omni, qui corruptionem naturæ humanæ intelligit, sed qualis is esse debeat, quis fuerit, & quomodo officio suo mediatorio satisfecerit, in æternum absconditum mansisset, nisi Deus per verbum suum id nobis revelasset.

Quicquid igitur de doctrina hac in ecclesia docetur & discitur, ex Scriptura S. hauriendum est, quæ fons est omnis divinæ veritatis.

Potest autem hæc doctrina commodissime dispesci in *quatuor Sectiones*, quarum *prima* de *Persona*, *altera* de *duplici statu*, *tertia* de *triplici officio* & *quarta* de *ipsa redemptione* Christi agit.



SECTIO



SECTIO I.

DE PERSONA CHRISTI.

CAPUT I.

DE PERSONA CHRISTI IN GENERE ET EJUS MISSIONE.

Christus vera quidem, sed prorsus *singularis persona* est. Non modo enim est verus homo, sed etiam Dei filius & consequenter verus Deus ipse, 1 Joh. V, 20.

Non ab æterno fuit Christus, qua talis, etsi respectu divinæ naturæ omnino *æternus* dicendus sit, Joh. I, 1. 2. 1 Joh. I, 1. 2. Missus potius est a Patre in tempore, Gal. IV, 4. Jes. XLVIII, 16. c. LXI, 1. Rom. VIII, 3. secundum promissionem, quæ statim post lapsum hominum in paradiso facta est, Gen. III, 15.

Commovit autem Deum ad hanc missionem Filii sui 1) miseriæ humanæ consideratio, Luc. I, 78. Ezech. XVI, 5. 6. Jer. XI, 20. Ps. XLIX, 8. 9. b) inexhausta Dei dilectio, Joh. III, 16. Rom. V, 8. & c) divinæ gloriæ manifestatio, Joh. XVII, 6. 2 Tim. I, 10. Joh. I, 18.

Missio Christi non separationem a Patre involvit. Mansit enim secundum divinam naturam in cœlo & in sinu Patris, sicut ante incarnationem ibi fuit, Joh. I, 1. 18. c. III, 13. Nec per incarnationem inferior factus est Patre suo, quia non modo ultro & libenter, Ps. XL, 8. sed etiam ad certum tempus Joh. XIII, 1. missionem hanc in se suscepit.

In media vero mundi ætate mitti voluit, ut significaret, efficaciam redemptionis tam super præterita, quam futura tempora æquali virtute se extendere.

Missionem sequitur *adventus*. Hinc Christus in mundum & in carnem venisse dicitur, 1 Joh. IV, 2. 3. 1 Tim. I, 15. Ipse de se fatetur: *Exii a Patre & veni in mundum*, Joh. XVI, 28. Vocabatur propterea *ὁ ἐρχόμενος*, i. e. qui venturus erat, Matth. XI, 3.

Triplex adventus tribuitur Christo. *Primus* factus est *in carnem & mundum*, de quo h. l. agitur, *alter* fit *in cor hominum* & est spiritualis, Joh. XIV, 23. & *tertius* fiet *ad judicium*, scilicet die extremo, Luc. XXI, 27. Act. I, 11. Apoc. XXII, 12.

Primus & præcipuus Christi adventus est ejus *manifestatio in carne*. Facta est non ex alia ratione, quam ut nos redimeret & salvaret, Matth. XVIII, 11. 1 Tim. I, 15. Gal. IV, 4. Jes. LXI, 1 sq.

Hunc ut pertingeret finem, necesse erat, ut duas in sua persona conjungeret naturas, seque exina-

exinaniret & omne id præstaret, quod officium mediatorium requirebat.

Maximum mysterium est *unio duarum diversarum naturarum* in ejus persona. Hoc ut contra hostes evangelicæ veritatis eo melius defendere possimus, pluribus de hac unione personali in sequentibus capitibus acturi sumus, si antea demonstravimus, quod Jesus Nazarenus omnino verus fuerit Christus.

CAPUT II.

DE JESU NAZARENO, QUOD VERUS FUERIT MESSIAS S. CHRISTUS.

Christum in persona *Jesu Nazareni* vere venisse in mundum, nemo magis negat, quam gens cœca Judæorum, cui tamen non modo specialiter a Deo promissus, sed etiam ex ejus regia stirpe progenitus, nec non in ejusdem salutem præcipue missus est.

Omnes de Christo promissiones, quæ in V. T. factæ sunt, quadrant in personam Jesu, qui non modo secundum genealogiam Matthæi c. I & Lucæ c. III, ex lumbis patriarcharum & regum Israeliticorum ortus est, sed etiam promissiones V. T. de matre, patria & tempore Christi implevit.

Sunt autem *promissiones de Christo* ita factæ, ut quasi per gradus manifestent circumstantias de ejus persona. Horum graduum sunt *sedecim*, qui in tot promissionibus continentur.

Prima promissio est protevangelium in paradiso, Gen. III, 15. ubi generaliter redemptor generis humani promittitur. *Altera* occurrit Gen. V, 29. ubi indicatur, quod Christus venturus sit ex stirpe Noachi. *Tertia* est promissio de semine Abrahami, Gen. XII, 3. Isaaci, c. XVIII, 18. c. XXVI, 4. & Jacobi, c. XXVIII, 14. *Quarta* est promissio de Schilo ex semine Judæ, Gen. XLIX, 10. *quinta* agit de semine Davidis, 2 Sam. VII, 12. Jes. XI, 1. Jer. XXIII, 5. *sexta* de matre Christi, Jes. VII, 14. Jer. XXXI, 22. *septima* de ejus patria, Mich. V, 1. *octava* de nativitate ejus, Jes. XI, 6. *nona* de tempore adventus ejus, Dan. IX, 24. *decima* de gloria secundi templi, Hagg. II, 8. *undecima* de ejus præcursore, Jes. XL, 3. Mal. III, 1. *duodecima* de ejus unctione, Ps. XLV, 8. Jes. LXI, 1. *decima tertia* de ejus officio & quidem a) prophetico, Deut. XVIII, 18. 19. Jes. LXI, 1. 2. b) sacerdotali, Ps. CX, 4. Zach. VI, 12. 13. & c) regio, 2 Sam. VII, 13. Jes. IX, 7. Jer. XXIII, 5. 6. Zach. IX, 9. *decima quarta* de ejus passione & morte, Ps. XXII, 7-9. 13-19. Jes. LIII, 4-12. *decima quinta* de ejus resurrectione, Ps. XVI, 10. Jon. II, 1. coll. Matth. XII, 39. 40. & *decima sexta* de adscensione ejus in

in cœlos & feffione ad dextram Patris, Pfalm. XLVII, 6. Pf. CX, 1.

Omnes has promiffiones Jefus implevit, uti ex fcriptis N. T. fatis cognofci poteft. Inprimis Johannes evangelium fuum in eum finem fcripfit, ut credamus, Jefum fuiffe Chriftum, Filium Dei, & quod per fidem in nomine ejus vitam æternam habeamus, Joh. XX, 31.

Chriftum autem *vere veniffe* in mundum contra hodiernos Judæos exinde probatur, quod 1) fceptrum de Juda jam dudum ablatum fit, Gen. XLIX, 10. 2) LXX hebdomades Danielis c. IX, 24. completæ fint, 3) templum fecundum Hagg. II, 8. jam dudum deftructum fit, 4) urbs Bethlehem Mich. V, 1. non amplius extet, 5) tribus Ifraelis non amplius diftinctæ & genealogiæ totius populi perditæ fint, & 6) facerdotium & facrificia jam prorfus ceffaverint, Dan. IX, 27.

CAPUT III.

DE CHRISTI DUPLICI NATURA IN GENERE.

N*aturæ* vox a *nafcendo* originem habet. Significat principium activum, fubftantiæ effentialiter inhærens.

Qualibet fubftantia fuam habet naturam, f. principium activum, fibi effentialiter inhærens, quod

quod omnium ejus motuum & operationum, ei convenientium, causa est. Hac ratione non solum omne animal & omnis planta, sed etiam omnis homo suam *naturam* habet.

Certo modo etiam *Deo* tribuitur natura, quatenus in ipso datur principium operandi, ad essentiam ejus imperscrutabilem pertinens.

Res itaque summe miraculosa & omnem humanum intellectum transcendens est, quod *Christus* ex *duabus* constet *naturis*, infinite diversis. Datur ex hac causa duplex in eo quasi principium activum operandi, per se quidem infinite diversum, in una tamen substantia harmonice operans.

Occasionem hoc dedit *Nestorio* & *Eutychi*, quorum uterque Seculo V vixit, doctrinam de persona Christi ejusque duplici natura valde corrumpendi. *Prior* negavit, Mariam dici posse θεοτόκον, & *posterior* docuit, humanam Christi naturam a divinitate ejus absorptam esse. Orta exinde est in ecclesia duplex hæresis, quæ adhuc sub nomine *Nestorianismi* & *Eutychianismi* in terris Asiaticis grassatur. Secundum *Nestorianismum* docetur, Christum ex duabus constare personis, & secundum *Eutychianismum*, in ipso unam duntaxat dari naturam.

Operæ igitur pretium est, de naturis Christi pluribus agere, ne istas inter se confundamus.

Persona & *natura* valde inter se differunt. *Persona* est ens per se subsistens, propriamque individualitatem habens, *natura* autem est principium

cipium activum, personæ s. substantiæ inhærens.

Patres ecclesiæ Græcæ οὐσίαν, φύσιν & μορφὴν pro synonymis habuerunt, sed non satis accurate, etsi ex sacris literis eorum synonymia quodammodo pateat. Φύσις enim indicat proprietates naturales & essentiales, μορφὴ vero accidentia, naturam sequentia. Non igitur hæ voces de divinitate Christi commode usurpari possunt.

Christum ex una tantum persona constare, ex 1 Tim. II, 5. Eph. V, 5. & 1 Cor. VIII, 6. satis probari potest.

Si autem dicimus, Christi *personam duas* habere *naturas*, divinam & humanam, idem est, ac si dicamus, in Christo duo esse diversa principia activa, scilicet divinum & humanum, quæ tamen arctissime inter se conjuncta sunt, ita, ut ad unum scopum harmonice tendant, conjunctimque unicum tantum individuum constituant. Cognosci id licet ex duplici voluntate Christi, quam in agonia sua, Luc. XXII, 42. Joh. XII, 27. demonstravit.

Humana Christi natura non per se est persona, sed quatenus conjuncta est cum divina natura, qua de causa non completam, sed incompletam substantiam habet. Illustrari potest simili, ab anima vel corpore hominis desumto.

Aliter autem comparatum est cum *divina Christi natura.* Hæc propriam suam subsistentiam & personalitatem habet, & quidem sine

respectu

respectu ad humanam ejus naturam. Secundum divinam enim naturam Christus Filius Dei est, & consequenter secunda SS. Trinitatis persona. Interim recte humanitas Christi in persona τοῦ λόγου subsistere dicitur.

De Christi *divina natura* non opus est, hic multa proferre, cum hoc jam supra *Lib. II c. VI.* satis probatum sit, Jesum fuisse filium Dei, atque adeo verum Deum, quapropter hic tantum de ejus incarnatione & duarum naturarum communione & communicatione acturi sumus, postquam de humana Christi natura adhuc aliqua in specie dixerimus.

CAPUT IV.

DE CHRISTI HUMANA NATURA IN SPECIE.

Christum verum esse hominem, *Marcionitæ* & *Schematici* olim negarunt, docentes, eum non verum humanum corpus habuisse, sed tantum schema s. Φάντασμα. Neutiquam autem iis patrocinantur loca Rom. VIII, 3. & Phil. II, 7. quia in istis non ad ipsam carnem s. corpus, sed ad accidentia ejus s. infirmitates respicitur.

Requirebatur omnino ad salvandos homines ejusmodi redemptor, qui non modo legi divinæ obnoxius esse, eique satisfacere, sed etiam peccata

peccata hominum in se suscipere, pro iis pati & mori, nec non sanguinem effundere queat. Si igitur Christus non verus fuisset homo, neutiquam quoque nos salvare aut redimere potuisset.

Sunt autem multo pauciores, qui Christi humanitatem in dubium vocant, quam qui ejus divinitatem negant. Tota enim Scriptura S. plena est testimoniorum de *vera Christi humanitate*. Legimus enim in ea, quod ex semine mulieris genitus, Gen. III, 15. Matth. I, 18. 20. Luc. I, 42. & tanquam tenerrimus infans in lucem editus, Luc. II, 7. 12. octavoque post nativitatem die circumcisus, Luc. II, 21. & a parentibus postea educatus sit, Luc. II, 40. 51. 52. Legimus porro, quod ederit & biberit, Matth. XI, 19. nec non dormiverit, c. VIII, 24. Legimus, eum esurivisse, Matth. IV, 2. Marc. XI, 12. sitivisse, Joh. IV, 7. c. XIX, 28. & lacrymasse, Luc. XIX, 41. Joh. XI, 35. nec non itineribus fatigatum, Joh. IV, 6. & super instantem suam mortem contristatum esse, c. XII, 12. imo dolores sensisse, Jes. LIII, 4. c. XLIII, 44. Ps. XL, 13. sanguinem effudisse, Matth. XXVI, 28. Joh. XIX, 34. & denique animam emisisse, Luc. XXIII, 46. quæ omnia sunt signa veræ humanitatis.

Huc spectat etiam ejus *genealogia*, Matth. I, 1-16. & Luc. III, 23-38. cujus harmoniam multi Theologi satis demonstraverunt. Ortus hinc dicitur ex patribus secundum carnem, Rom.

Rom. IX, 5. numeraturque inter posteros Adami, Luc. III, 38. in cujus lumbis latuit a tempore primæ promissionis, Gen. III, 15. Vocatur etiam propterea *semen Abrahæ*, Gal. III, 16. *virga de stirpe Isai* & *surculus ex ejus radice*, Jes. XI, 1. nec non *germen Davidis*, Jer. XXXIII, 15. ejusdemque *filius*, Luc. I, 32. Matth. XII, 23.

Sicut omnis *homo* ex *corpore organico* & *anima* constat, ita etiam Christus utroque præditus fuit. *Corpus* ejus *organicum* supra satis descriptum est. Christus ipse comparavit istud cum templo destructibili, Joh. II, 19. 21. Habebat carnem & sanguinem, Hebr. II, 14. ossa, Joh. XIX, 33. Luc. XXIV, 39. Ps. XXII, 18. manus, pedes, os, oculos, aures, caput & omnia alia humani corporis membra & organa.

Habebat etiam veram *humanam animam*. Matth. XXVI, 38. Luc. XXIII, 46. quapropter ei tam intellectus humanus, Luc. II, 52. quam voluntas humana, Matth. XXVI, 39. Luc. XXII, 42. tribuitur. Erat quoque non sine affectibus humanis, e. g. ira, Marc. III, 5. lætitia, Luc. X, 21. tristitia, Joh. XII, 27. Matth. XXVI, 38. zelo, Luc. XIX, 45. 46. indignatione, Joh. XI, 33. 38. inclinatione, Joh. XI, 3. 36. c. XXI, 20. & cupiditate animi, Luc. XXII, 15.

Errarunt igitur olim *Apollinaristæ*, animam Christi negantes & divinitatem in ejus locum substituentes, quapropter Ἄψυχοι vocati sunt.

Quæri-

Quæritur autem: *unde anima Christi originem suam traxerit?* Cl. CARPOVIUS in *Theol. Rev. Dogm. T. II. p. 128 sq.* omnem lapidem movet, ut evincat, animam Christi immediate a Deo, cum stamina corporis ejus miraculose produxerit, creatam esse. Provocat ad Jer. XXXI, 22. ubi de conceptione Christi dicatur, quod novum creaturus sit Deus in terra, dum mulier circumdatura foret virum. At nil aliud ex loco hoc probari potest, quam quod miraculose Christus in utero materno conceptus sit.

Certus *Anglus* in sua *Dissert. Theologica & Critica,* an. 1739. edita ex Joh. VI, 62. c. VIII, 58. c. XVII, 5. Phil. II, 6. 7. demonstrare voluit, animam Christi ante creationem terræ in cœlo præextitisse, postea vero in corpus ejus, quod ex virgine Maria assumserit, de cœlo descendisse, eamque in principio fuisse puram intelligentiam & gloriosum spiritum, natura angelica eaque excellentissima præditum. Vide *Supplementa ad Nova Acta Erudit. T. V. p. 259 sq.* Sed ex allegatis locis biblicis nil amplius probatur, quam quod Christus respectu divinæ naturæ ante conditum mundum jam extiterit.

Omnes orthodoxi ecclesiæ nostræ Theologi docent, animam Christi per *traducem* in Maria Virgine productam esse eo momento, quo caro s. corpus conceptum est. Quod enim Christus non assumsit, non redemit, Hebr. II, 16-18.

Interim Christi humana natura non modo in genere certis proprietatibus & prærogativis

prædita erat, ſed etiam tam reſpectu animæ quam corporis ſingulari gaudebat excellentia.

Prærogativæ humanæ Chriſti *naturæ* ſunt *ἀναμαρτησία* & *ἐνυποστασία*.

Ἀναμαρτησία eſt ea humanæ Chriſti naturæ proprietas & prærogativa, ſecundum quam omnis peccati expers fuit, Jeſ. LIII, 9. Hebr. VII, 26. 2 Cor. V, 21. 1 Petr. II, 22. Joh. VIII, 46. Dan. IX, 24. Luc. I, 35. Duplex autem datur *ἀναμαρτησία*, nempe inhæſiva & imputativa. Prior in Chriſtum competit, non vero poſterior, Joh. I, 29. Pſ. XL, 13. Jeſ. LIII, 6. 2 Cor. V, 21.

Ἐνυποστασία illa eſt proprietas & prærogativa naturæ Chriſti humanæ, ſecundum quam in altera hypoſtaſi, ſcilicet *ἐν τῷ λόγῳ*, ſubſiſtit, Joh. I, 14. Illuſtrari poteſt ſimili a ſurculo deſumto, qui arbori alius generis implantatur. Etſi ambæ arbores alias per ſe ſubſiſtant, per implantationem tamen amittit una ex iis propriam ſuam individualitatem.

Gaudebat quoque Chriſti humana natura *ſingulari excellentia*, tam reſpectu *animæ* quam *corporis*.

Animæ Chriſti excellentia conſiſtebat in habituali perfectione facultatum ſuarum, ſ. in excellentiſſimis qualitatibus intellectus & voluntatis, Luc. II, 40. 47. 52. Matth. XIII, 54. Ad excellentiam vero *corporis ejus* pertinebant, 1) *ſumma εὐκρασία*, ſecundum quam optimum & nobiliſſimum habebat temperamentum na-

turæ-

turæque complexionem, 2) ἀθανασία, s. *immortalitas*, secundum quam non in se habebat principium mortalitatis: hinc non nisi voluntarie se ad moriendum commisit, Joh. X, 18. & 3) *formæ elegantia*, virum gravem & honestum decente, Ps. XLV, 3. Hanc pulchritudinem hostes ejus tempore passionis & mortis ipsius valde inquinaverunt & polluerunt, Jes. LIII, 2.

Non autem propterea destitutus esse voluit *infirmitatibus* humanis, quæ vel fructus sunt lapsus Adamitici, e. g. esurire, sitire, fatigari, contristari &c. vel non fructus ejus sunt, e. g. edere, bibere, dormire &c. Assumsit Christus eas, 1) ut pati & mori posset pro peccatis nostris, & 2) ut intelligeret miserum hominum statum, quo magis nostrum misereri queat, Hebr. II, 17. 18. c. IV, 15. Excipiuntur autem infirmitates tam personales, e. g. morbi & vitia corporis, quam peccaminosæ, e. g. stimuli carnis.

CAPUT V.

DE

UNIONE DUARUM CHRISTI NATURARUM.

Utraque *natura*, *divina* scilicet & *humana*, ita sunt secum unitæ, ut unicam tantum personam constituant, quæ propterea θεάνθρωπος dicitur. Hic est unicus ille mediator inter

Deum & homines, de quo Paulus agit, 1 Tim. II, 5.

Eſt hæc *unio* non naturalis, ſed prorſus ſingularis, quia circa maximum verſatur fidei myſterium, 1 Tim. III, 16. Neceſſe igitur eſt, ut ita eam deſcribamus, ne in errores Eutychianorum, Neſtorianorum & Calvinianorum incidamus.

Unio ſequitur *unitionem.* Hæc vero eſt *actus*, qui præcedit *unionem*, quæ in *ſtatu* conſiſtit.

Unitio naturarum in Chriſto eſt actus ille divinus, quo divinitas Filii ſe conjunxit cum humanitate ex Mariæ ſemine producta.

Divinitas itaque Filii Dei ſ. τῦ λόγυ & *humanitas* ex ſemine Mariæ virginis ſanctificato producta, in unam perſonam coaluerunt.

Hæc unitio ſ. conjunctio facta eſt in ipſo incarnationis Chriſti momento, ſ. in ipſo conceptionis actu.

Tribuitur autem jure meritoque *Deo*, quia opus eſt ad extra tranſiens perſonale, omnibus tribus Deitatis perſonis commune, hac tamen ratione, ut *Pater* & *Spiritus S.* productam humanitatem cum Filii hypoſtaſi, *Filius* vero cum ſui ipſius hypoſtaſi univerint.

Filius igitur Dei ſ. λόγος ὑποςατικὸς in infinitam ſuam hypoſtaſin aſſumſit *humanam naturam*, ita, ut hæc propterea nec αὐθυπόςατος ſ. per ſe ſubſiſtens, nec ἀνυπόςατος, h. e. omni ſubſiſtentia carens, ſed ἐνυπόςατος h. e. *in alterius hypoſtaſi ſubſiſtens*, dici queat. Si autem humana

mana natura in hypoſtaſin τῦ λόγυ recepta eſt, ea quoque in conſortium ſanctiſſimæ Trinitatis venit.

Actum unitionis ſequitur *unionis ſtatus*, qui in tempore cœpit, & in æternum durat, Hebr. VII, 3. nunquam vero, & ne quidem in morte Chriſti, ceſſavit.

Unio hæc dicitur *perſonalis*, quia non ad Filii Dei eſſentiam, ſed ad ejus perſonalitatem reſpectum habet.

Conſiſtit hæc *unio perſonalis* in arctiſſima duarum naturarum conjunctione, quæ tamen nullam naturarum commixtionem & confuſionem, nec unius in alterius converſionem aut mutationem, nec abſorptionem involvit.

Neutiquam igitur *unio naturarum* in Chriſto dicenda eſt 1) *eſſentialis*, quia non in unam eſſentiam coaleſcunt, nec 2) *naturalis*, qualis eſt inter animam & corpus, nec 3) *accidentalis*, qualis eſt inter corpus & veſtem, nec 4) *paraſtatica*, qualis fuit in V. T. quando Filius Dei formam hominis ad tempus aſſumſit, nec denique 5) *moralis*, qualis olim fuit inter Deum & Prophetas.

Exploduntur hinc Neſtoriana παράςασις, Eutychiana σύγχυσις, Monotheletica κρᾶσις, Vorſtianus influxus, Calviniſtica & Jeſuitica aſſiſtentia & denique ipſa communicatio idiomatum, quatenus pro unionis forma habetur.

Neque hic approbanda eſt *duplex illa naturarum Chriſti unio*, quam GEORGIUS SOHNIUS,

 Theo-

Theologus Heidelberg. excogitavit, scil. *mediata* & *immediata*. Illam descripsit per *unionem personæ* τῦ λόγυ cum humana natura, hanc vero per unionem naturæ τῦ λόγυ cum humana natura.

Operæ pretium est hic aliqua de Nestorianismo & Eutychianismo addere, quia præcipuæ in hac doctrina hæreses sunt. Uterque originem cepit Seculo V.

Nestorianismus a NESTORIO, Episcopo Constantinopolitano, nomen habet. Hic non quidem aperte & expressis verbis docuit, Christum ex duabus constare personis, at talem tamen fovit doctrinam, ex qua per consequentiam id elici potuit. Mariam non θεοτόκον vocare voluit, & duas in Christo naturas tantum per παράστασιν, i. e. per *assistentiam* & quasi per *gestationem humanæ naturæ* unitas esse statuit. Non Deum, sed hominem crucifixum esse docuit. Christum non Deum, sed Θεοφόρον nominavit. Deum tantum in Christo, non Christum ipsum, adorandum esse perhibuit, & carnem Christi, virtutem miracula patrandi, habuisse, negavit. Per ejusmodi locutiones personam Christi divisit, & duas quasi de Christo personas statuit. Refutatus & cum doctrina sua damnatus est Nestorius in Concilio Oecumenico III. quod Imp. Theodosius jun. Ephesi habuit.

Maximus ejus adversarius fuit CYRILLUS ALEXANDRINUS. Hæresis hæc in Orientali ecclesia adhuc floret, in Occidentali vero exspiravit, nisi quod *Calviniani* & *Jesuitæ* se

aliquo

aliquo modo ejus participes faciunt per *assistentiam* suam, qua naturas Christi unitas esse perhibent.

Eutychianismus nomen habet ab EUTYCHE, Archimandrita Constantinopolitano, qui eodem tempore vixit. Ejusmodi verba in sermonibus & scriptis suis usurpavit, ut Patribus ecclesiæ orthodoxis, unam tantum naturam Christi statuere, visus fuerit. Concedebat quidem, Christum ex duabus naturis genitum esse, sed utramque naturam in unicam quasi ita coaluisse judicabat, ut divinum ejus corpus non nobis consubstantiale, nec nostri generis proprietatibus præditum fuerit. Statuit enim Eutyches, Christum non in duabus, sed ex duabus naturis subsistere, descripsitque unionem naturarum per commixtionem & conversionem. Refutatus & damnatus est Eutyches cum sua doctrina in Concilio Chalcedonensi s. Oecumenico IV. ab Imp. Martiano circa medium Seculi V. habito, in quo præcipuus ejus adversarius THEODORETUS, Cyri Episcopus, fuit. Eutychianismum postea amplexi sunt *Monophysitæ*, *Theopaschitæ* & *Acephali*. In orientali ecclesia apud *Jacobitas* & *Armenios* adhuc floret, in occidentali ecclesia vero ex cineribus quasi eum resuscitarunt *Schwenckfeldiani*.

Huc pertinet etiam *Monotheletismus*, qui Christo unam tantum voluntatem tribuit. Est iste in Concilio Constantinopolitano III. s. œcumenico VI. condemnatus.

Ad profligandos hosce errores Patres primitivæ ecclesiæ Græcæ olim docuerunt, duas *naturas in Christo unitas* esse, 1) ἀσυγχύτως s. *inconfuse*, ut rejiciatur unio per mixtionem, qua, quæ uniuntur, id, quod fuerunt, esse desinunt, dum tertium, quod mixtum vocatur, inde oritur; 2) ἀτρέπτως s. *inconvertibiliter*, ut distinguatur ab ea unione, qua alterutrum uniendorum absorbetur aut in alterum convertitur, & 3) ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως s. *inseparabiliter* tam respectu temporis, quam respectu loci, ita, ut unio ista arctissima & indissolubilis maneat in æternum, quia nec Deus unquam illam destruere vult, nec aliud quicquam istam destruere potest.

Addimus, Christum secundum utramque naturam *Filium Dei naturalem* dicendum esse. Secundum divinam naturam filius Dei dicendus est naturaliter, secundum humanam vero personaliter. Errant igitur FELIX ORGELLANUS & ELIPANDUS TOLETANUS, qui Christum secundum humanam naturam non naturalem, sed adoptivum Dei filium nominaverunt.

CAPUT VI.

DE COMMUNICATIONE ET COMMUNIONE NATURARUM IN CHRISTO.

Communicatio & *communio* naturarum inter se differunt. Illa significat actum, hæc statum.

tum. Illa non est reciproca, hæc vero reciproca. Illa unitionem, hæc vero unionem supponit.

Communicatio naturarum in Christo est actus ille divinus, quo factum est, ut humana natura sit Filii Dei & divina natura sit filii hominis natura, Hebr. II, 14. Col. II, 9.

Appellari etiam potest *participatio naturarum*, quæ includit & mutuam possessionem & mutuam usurpationem, ita, ut dici queat Deus incarnatus & caro deificata esse.

Per hanc communicationem naturarum Christus in statum communionis naturarum venit, ita, ut quælibet natura in Christo in æternum particeps facta sit proprietatum alterius naturæ.

Caro Christi itaque divinis gaudet attributis, ita, ut omnipotens, omnipræsens &c. nominari possit.

Hac de causa etiam Christus in miraculis suis plerumque usus est membris corporis sui, e. g. manibus, oculis, digito, saliva &c. Voluit per ejusmodi circumstantias humanitatem suam coram hominibus adorabilem reddere, alias absque iis etiam se miraculosum præstare potuisset.

Theologi ad describendam hanc naturarum Christi communionem adhibent vocem ΠΕΡΙΧΩΡΗΣΙΣ, quæ *penetrationem* aut unius rei in alteram ingressionem significat. De divina natura *active* & de humana *passive* usurpant hanc

vocem, ita, ut *divina natura* penetret & permeet, *humana* vero penetretur & permeetur. Illustratur hæc permeatio simili, ab igne desumto, quod ferrum penetrat.

Hæc tamen περιχώρησις s. *permeatio* & *penetratio* non *successive*, nec *extensive* fit. Est spiritualis & indivisibilis, hinc uno actu totam humanam naturam implet, ita, ut divina natura sit non solum tota in tota humana natura, sed etiam tota in qualibet ejus parte. Probatur hoc ex Col. II, 9. Quando enim h. l. πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, s. *omnis plenitudo Deitatis*, σωματικῶς s. *corporaliter in Christo habitare* dicitur, idem est, ac si dicatur, divinam naturam cum omnibus suis perfectionibus ita esse in natura humana, ut hanc nulla parte expertem sui esse permittat, adeoque intime penetret, ut B. BAIERUS *in Compend. Theol. Posit. p. 464.* loquitur.

Περιχώρησιν s. *permeationem duarum naturarum* sumunt Theologi vel *positive* vel *relative*. Si sumunt *positive*, divina natura permeat humanam, non vero reciproce. Si vero hanc vocem *relative* sumunt Theologi, permeatio est reciproca. Divina natura hac ratione humanam profundissime penetrat, sibique non modo carnem, sed etiam omnia, quæ sunt humanæ naturæ, appropriat, hæc vero ab altera ita inhabitatur, ut ejusdem etiam cum omni plenitudine divinitatis particeps sit, unde recte dici-

dicitur humana natura in *κοινωνίαν θεότητος* f. *communionem Deitatis* assumta & recepta esse.

Facit quidem unaquæque Christi natura id, quod suum est, ita tamen, ut altera natura propter unionis vinculum semper participet, sibique appropriet ea, quæ alterius naturæ sunt, Matth. IX, 6.

Maximi adversarii in hac doctrina sunt *Calviniani*, qui non quidem cum *Samosatenianis* naturas Christi incommunicabiles nominant, attamen de eorum communione ita loquuntur, ut exinde satis cognosci liceat, eos deificationem humanæ Christi naturæ prorsus negare. Et sane propter hos doctrina de communicatione idiomatum, de qua nunc agemus, præcipue in ecclesia orta est.

CAPUT VII.

DE

COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

Idioma hic omne id significat, quod alterutri naturæ Christi per se proprium est ac in eam competit. Involvit igitur tam attributa, quam accidentia, probaturque ex Col. II, 9. Joh. I, 14.

Communicatio est actus, quo pluribus aliquid commune redditur. Sumitur hic magis pro statu, quam pro actu, quia actus divini ad intra

tra nunquam cessant, actusque & status in Deo unum idemque sunt.

Communicatio idiomatum simul cum unitione naturarum facta est, *communio* eorum autem sequitur ex unione naturarum.

Non *communicatio idiomatum* in Christo reciproca est, sed *communio*, quæ tamen nec *exæquativa*, nec *multiplicativa*, nec *transfusiva* dici debet.

Communicatio idiomatum illustrari potest simili, ab *anima* desumto, quæ suas proprietates communicat cum corpore. Huc spectat etiam *ignis*, vim lucendi & urendi cum ferro communicantis, item *magnes*, qui virtutem, ad polum arcticum se convertendi, lingulæ ferreæ, cui affricatur, communicat, nec non *moschus*, odorem suum cum rebus appositis communicantis.

DAMASCENUS auctor est doctrinæ de communicatione idiomatum, qui *Libr. II. orthod. fid. c. 15.* scripsit: *proprias glorificationes Divinitas cum corpore communicat.*

Impugnant hanc doctrinam *Calviniani*, omnipræsentiam carnis Christi negantes. Opponunt enim, personam esse incommunicabilem. Sed respondemus, 1) personam quidem incommunicabilem esse alteri personæ, non autem alteri naturæ, 2) incommunicabilem esse κατὰ μέθεξιν, non vero καθ' ἕνωσιν, & 3) incommunicabilem esse concretive, quatenus ὑφιστά-

μενον

μενον est, non vero abstractive, quatenus subsistentia est.

Tota hæc doctrina propter *locutiones* de Christo *biblicas* & *ecclesiasticas* necessaria est, ne istas ita interpretemur, ut Nestorianismus, aut Eutychianismus, aut Calvinianismus, aut alia hæresis inde resultet.

Dictæ locutiones in scholis Theologorum plerumque *propositiones personales* nominantur. Dicuntur alias *prædicationes inusitatæ*, quia non aliud præter hoc datur ens in toto mundo, in quo duo disparata in casu recto proprie de se invicem prædicentur, aut citra manifestam falsitatem de se prædicari possint. Inde non accurate appellantur *accidentales*, quales sunt propositiones *denominativæ*, quæ semper realiter & essentialiter inter se differunt.

Has propositiones in Scriptura S. non quidem totidem verbis expressas legimus, at ex verbis tamen biblicis elici possunt.

Vocantur autem *propositiones personales* eæ, in quibus concretum unius naturæ de concreto alterius naturæ prædicatur.

Concreta naturæ sunt voces, quæ personam Christi secundum alterutram naturam concretive indicant, e. g. Deus, Homo, Filius Dei, Filius hominis, Dominus &c. Harum *abstracta* sunt Divinitas & Humanitas.

Distinguenda sunt concreta naturæ a concretis personæ.

Con-

Concreta personæ sunt voces, quæ personam Christi secundum utramque naturam concretive indicant, e. g. Christus, Immanuel, Jesus &c. Horum abstracta sunt Concreta naturarum: v. g. Deus, homo, λόγος, filius Mariæ.

Dantur *propositiones*, in quibus de concreto personæ prædicatur concretum alterius aut utriusque naturæ, e. g. *Christus est Deus*, aut *Filius Dei*, item: *Christus est homo* aut *Filius hominis*, nec non: *Christus est* θεάνθρωπος, h. e. Deus & homo simul.

Hæ propositiones huc quidem referri possunt, sed tamen a *personalibus* recte distinguuntur. *B.* MENZERUS propterea *Tom. V. Dispp. Giess. Disp. IX. p. 205 & 206.* ita scripsit: *Quando dicitur: Christus est Deus, vel, Christus est homo, non est illa propositio, si exquisite loquaris, personalis, describens ipsam unionem, sed est descriptio totius personæ compositæ ab altera naturarum.*

Propositiones personales non sunt mere nominales, nec tropicæ & figuratæ, nec paronymicæ, nec mere verbales, nec synonymicæ, aut identicæ, sed reales & propriæ dicendæ. Neutiquam quoque per ἀλλοίωσιν, qualem sermo Bileami Num. XXIII, 10. continet, interpretandæ sunt.

Cum omnia, quæ de Christo prædicari possunt, ad tria referri queant, nempe ἰδιώματα, s. proprietates, αὐχήματα s. dona divina, & ἀποτελέσματα. s. actiones officii mediatorii, *tria* etiam dantur *communicationis idiomatum genera.*

pera. Primum genus agit de *communicatione naturarum*, alterum de *communicatione majestatis divinæ* & tertium de *communicatione operationum*.

De singulis hisce generibus nunc plura dicemus.

CAPUT VIII.

DE

PRIMO COMMUNICATIONIS IDIOMATUM GENERE.

Veteres Theologi hoc genus absolute & *κατ' ἐξοχὴν communicationem idiomatum* vocaverunt. Ortis vero controversiis cum Calvinianis, Osiandro, Stancaro, aliisque, plura communicationis genera ad eos refutandos facta sunt.

Primum idiomatum genus est illud, quando ea, quæ Deo ejusque naturæ propria sunt, Christo, qua homini, & quæ homini ejusque naturæ propria sunt, Christo, qua Deo, propter unionem personalem tribuuntur.

Subjectum itaque est concretum alterutrius naturæ Christi & *prædicatum* idioma s. proprium alterius naturæ, determinative, non vero abstractive sumtum.

Patres Græci primum hoc genus *ἀντίδοσιν* & *τρόπον ἀντιδόσεως* appellare solebant, quia omnes huc spectantes propositiones idiomaticæ in hanc unicam, quæ reciproca est, resolvi

solvi possunt: *Deus* (scilicet in Christo) *est homo & homo est Deus.*

Duæ autem sunt idiomaticarum primi generis propositionum *species.* Prior est, in quibus *subjectum* concretum divinæ naturæ & *prædicatum* idioma humanæ naturæ, & *posterior*, in quibus *subjectum* concretum humanæ naturæ, & *prædicatum* idioma divinæ naturæ est. *Prior* proprie ἰδιοποίησις, *posterior* vero κοινωνία τῶν θείων vocatur, ubi tamen observandum est, quod propositiones posterioris classis ad alterum communicationis idiomatum genus referri possunt.

Ad *priorem Classem* idiomaticarum propositionum sequentia referuntur *dicta biblica:*

Filius Dei natus est ex semine Davidis secundum carnem, Rom. I, 3.

Filius Dei natus est ex Maria virgine, Luc. I, 35.

Deus proprio sanguine redemit ecclesiam, Act. XX, 28.

Filius Dei tradidit semet ipsum pro me, Gal. II, 20.

Filius Dei proprius pro nobis omnibus traditus est, Rom. VIII, 32.

Filius Dei natus est ex muliere, Gal. IV, 4.

Verbum Dei factum est caro, Joh. I, 14.

Verbum vitæ, oculis conspectum, manibus est contrectatum, 1 Joh. I, 1. 2.

Filius

Filius Dei mortuus est, Rom. V, 10.

Dominus gloriæ crucifixus est, 1 Cor. II, 8.

Auctor vitæ interfectus est, Act. III, 15.

Filius Dei didicit, in quibus passus est, obedientiam, Hebr. V, 8.

Ad *posteriorem* vero *Classem* pertinent:

Filius hominis sedet ad dextram potentiæ, Matth. XXVI, 64.

Filius hominis veniet ad judicandum vivos & mortuos, Matth. XXV, 31 sq. Luc. XXI, 27.

Filius hominis in cœlo est, Joh. III, 13.

Filius hominis adscendet eo, ubi erat, Joh. VI, 62.

Huc referuntur etiam istæ propositiones idiomaticæ, quæ alias *reductive* tales vocantur. Subjectum in iis est concretum personæ, de quo vel idioma divinæ naturæ vel idioma humanæ naturæ prædicatur. Hujus generis sunt sequentes locutiones biblicæ:

Christus est splendor gloriæ Patris & imago essentiæ ejus, Hebr. I, 3.

Ego fui, antequam Abraham erat, Joh. VIII, 58.

Christus mortuus & resuscitatus sedet ad dextram Dei, Rom. VIII, 34.

Christus natus est in urbe David, Luc. II, 11.

Christus surrexit a mortuis, 2 Tim. II, 8.

Immanuel vocabitur s. erit, *qui a virgine nascetur*, Jes. VII, 14.

Interdum particulæ diacriticæ e. g. κατὰ & ἐκ adduntur propositionibus idiomaticis, tam

ſimpliciter quam reductive talibus, ad ſignificandum, cui naturæ idioma tribuatur per ſe.

Huc pertinent ſequentes propoſitiones biblicæ:

Filius Dei eſt genitus ex ſemine David κατὰ σάρκα, Rom. I, 3.

Chriſtus eſt ex patribus κατὰ σάρκα, Rom. IX, 5.

Chriſtus eſt ex fructu lumborum Davidis κατὰ σάρκα, Act. II, 30.

Chriſtus crucifixus eſt ἐξ ἀσθενείας, *ſed vivit* ἐκ δυνάμεως Θεοῦ, 2 Cor. XIII, 4.

Chriſtus pro peccatis paſſus eſt θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι, 1 Petr. III, 18.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis σαρκὶ, 1 Petr. IV, 1.

Et quamvis in aliis locis non addita legitur reſtrictio, e. g. Joh. III, 13. Act. III, 15. 1 Petr. II, 21. ſemper tamen iſta ſubintelligenda eſt.

Rejicitur hic *Zwinglii* ἀλλοίωσις, qua unum pro altero ponitur & accipitur, e. g. quando Bileam dixit: *anima mea moriatur morte juſtorum*, Num. XXIII, 10. Per ejusmodi ἀλλοίωσιν etiam Zwinglii aſſeclæ ſ. Calviniani interpretantur idiomata divinæ naturæ, quæ Chriſti carni & humanæ naturæ tribuuntur. Ex eorum hypotheſi non realiter, ſed tantum verbaliter Dominus gloriæ crucifixus & Filius Dei incarnatus eſt.

CAPUT

CAPUT IX.

DE SECUNDO COMMUNICATIONIS IDIOMATUM GENERE.

Secundum genus communicationis idiomatum est, quando de Christi humana natura, abstractive & intra unionem personalem spectata, aliquid prædicatur, quod divinum & gloriosum est, & quidem concretive spectatum, e. g. humana Christi natura s. humanitas Christi est omnipotens, omnipræsens, adoranda &c.

Recte igitur hoc genus vocatur *majestaticum*, nec non *ὑπερύψωσις* Phil. II, 9. *δόξασις* Joh. XVII, 5. & *μετάδοσις* Matth. XI, 27.

Theologi plerumque ΑΥΧΗΜΑΤΑ appellant, quæ secundum hoc communicationis genus de humanitate Christi prædicantur. Intelligunt per ea omnes divinas perfectiones, quarum humana Christi natura per communicationem idiomatum s. unctionem Spiritus S. extraordinariam, Ps. XLV, 8. Joh. III, 34. particeps facta est. Paulus nominat illa *πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος*, s. *omnem plenitudinem Deitatis*, h. e. totum complexum divinorum attributorum, & testatur, *τὸ πλήρωμα* istud *σωματικῶς* s. *corporaliter* in Christo & ejus humana natura habitare, Col. II, 9.

Competunt itaque in humanam Christi naturam 1) divina attributa, 2) divina opera &

3) divina gloria, & quidem non ad ſolam denominationem, ſed etiam ad poſſeſſionem, & exercitium.

Divina attributa ſunt vel ἐνεργητικὰ ſ. *operativa*, vel ἀνεργητικὰ ſ. *quieſcentia*. Hæc ſunt e. g. æternitas, ſimplicitas, immenſitas &c. illa vero omnipotentia, omnipræſentia, omniſcientia &c. Utriusque generis attributa cum humana Chriſti natura communicata ſunt, hoc tamen cum diſcrimine, ut attributa quieſcentia non niſi mediante alio quodam attributo operativo de humana Chriſti natura prædicari poſſint, e. g. humanitas Chriſti æternam & immenſam habet omnipotentiam, omnipræſentiam & omniſcientiam. Contradictio in adjecto foret, ſi de humana natura prædicarem abſolute aliquid, quod per ſe cum iſta pugnat. Sicut de ferro ignito dicere quidem poſſum, quod candeat, aut luceat, non vero, quod leve ſit, etſi levitas ignis ſimul cum calore & luce ignis communicata ſit ferro: ita etiam comparatum eſt cum humana natura Chriſti, quatenus de iſta abſolute dicere velim, eam per ſe æque æternam eſſe ac ipſum Deum.

Aliter autem ſe res habet cum *attributis operativis*, quorum præcipua ſunt omnipotentia, omnipræſentia & omniſcientia. De ſingulis aliqua dicemus.

I. *Humana Chriſti natura eſt omnipotens*, Joh. V, 19. Matth. XXVIII, 18. Dan. VII, 14. Joh. XVII, 2. Apoc. V, 12. Pſ. VIII, 7. 8. 1 Cor. XV,

XV, 27. Effectus hujus omnipotentiæ sunt *miracula*, quæ a Christo in diebus carnis suæ facta sunt. Potuit enim coecos reddere videntes, claudos ambulantes, leprosos mundos, ægrotos sanos, surdos audientes, mutos loquentes & mortuos vivos, Matth. XI, 5. c. IV, 24. c. IX, 35. c. XV, 30. Marc. VII, 37. Luc. VII, 22.

Huc spectant etiam miraculosæ actiones ejus, cum 1) non modo quinque, sed etiam septem millia hominum in deserto cum pauco pane & aliquot pisciculis cibaverit, Marc. VIII, 6-8. Joh. VI, 5-13. 2) æstuans & procellosum mare sedaverit, Matth. VIII, 26. 27. 3) super aqua ambulaverit, Matth. XIV, 25-31. 4) piscaturæ Petri ita benedixerit, ut uno piscatu multa millia piscium caperentur, Luc. V, 4-9. 5) se invisibilem reddiderit, Joh. VIII, 59. c. X, 39. & 6) malos spiritus ex obsessis potenter expulerit, Luc. XI, 14. 20. Matth. VIII, 28-32. Act. X, 38.

Erat autem humana Christi natura in miraculis patrandis *instrumentum cooperativum*, at unitum tamen, non separatum, cum e contra prophetæ & apostoli fuerunt instrumentum cooperativum separatum.

Largiebatur etiam suam virtutem *θαυματουργικὴν* apostolis, cum non modo Spiritum suum super eos effuderit, Act. I, 8. c. II, 4. sed istos etiam jusserit, omnia facta in nomine ejus

 facere,

facere, Matth. X, 7. 8. Luc. X, 17. Act. III, 12 sq. c. VIII, 7. c. XVI, 18.

Ad quæstionem Calvinianorum; *cur Christus in diebus carnis suæ opem Patris imploraverit?* respondemus, quod fecerit hoc, 1) ut honoret Patrem, qui miserat eum, Joh. VII, 18. c. VIII, 49. 2) ut testetur coram hostibus, se non agere contra Deum, 3) ut fratribus suis, quibus per omnia similis fieri voluit, Hebr. II, 17. bonum exemplum præbeat, & 4) ut ostendat, se abdicasse omni usu secum communicatæ majestatis & potentiæ divinæ eo tempore, quo pro nobis Deo satisfaceret obedientia & passione sua.

Virtutem Christi θαυματουργικὴν eludere solent hostes humanæ ejus naturæ ex Marc. VI, 56. ubi de fimbria Christi perhibetur, quod omnis, qui eam attigerit, sanatus sit. Sed Christus Luc. VIII, 46. expresse fatetur, vim sanandi de sua carne exiisse.

Calviniani tribuunt humanæ Christi naturæ tantum potentiam mediam, quæ minor est infinita Dei potentia, major vero qualibet creaturarum potentia.

II. *Humana Christi natura est* etiam *omnipræsens*, Matth. XVIII, 20. c. XXVIII, 20.

Calviniani hanc omnipræsentiam, quam *ubiquitatem* vocant, negant. Concedunt, personam Christi quidem omnipræsentem esse, sed non carnem ejus s. humanam naturam, in persona Filii Dei subsistentem.

Calix-

Calixtini humanam Chrifti naturam multipræfentem quidem, fed non omnipræfentem nominaverunt. Alii dicunt, Chriftum quidem fecundum humanam naturam ubique præfentem effe, at non fubftantiali præfentia, fed tantum potentia & providentia fua.

Difputatum olim quoque eft inter Theologos Helmftadienfes & Tubingenfes: *num omnipræfentia humanæ Chrifti naturæ abfoluta dici queat?* Priores id negabant, & *limitatam* tantum eam appellabant, docebantque Chriftum fecundum illam ubique, quo velit, effe poffe. Sed rejecta eft hæc propofitio a fanioribus noftræ ecclefiæ Theologis.

III. *Humana Chrifti natura eft* denique *omnifcia*. *Duplex* datur in Chrifto *fcientia*, nempe *infinita* & *habitualis* f. *experimentalis*. Prior propter unionem perfonalem ei tribuitur. Hæc eft illa omnifcientia, fecundum quam Chriftus in ftatu fummæ exinanitionis omnia fcire poterat. Noverat non modo omnes homines, & eorum corda, Joh. II, 24. 25. c. VI, 64. nec non fidem, & cogitationes hominum, Matth. IX, 2. 4. fed fciebat quoque, quæ in occulto fiebant, Joh. I, 48. c. IV, 29. c. XIII, 11. Marc. V, 30. Matth. XVII, 27. & quæ fibi ipfi imminebant, Luc. XVIII, 32. 33. quæque futura erant, Matth. XXIII, 34. 38. c. XXIV, 2. Luc. XIX, 43. 44. c. XXI, 25-27.

Scientia habitualis f. *experimentalis* Chrifto tribuitur, quatenus homo per fe fuit. Secundum eam

eam in infantia profecisse, Luc. II, 52. & cum doctoribus anno ætatis suæ duodecimo, disputasse dicitur, Luc. II, 46, 47. Secundum eandem dabatur quoque in eo aliqua ignorantia, quæ tamen non pravæ dispositionis, sed puræ negationis fuit. Huc etiam referri possunt, quæ de Christo narrantur Matth. XXI, 19. Marc. XI, 13. & Marc. XIII, 32.

Calviniani summam quidem, sed tantum finitam humanæ Christi naturæ tribuunt scientiam & sapientiam, quam quidem æque ac nos infinitam nominant, at tantum respectu objecti. Vocant istam etiam incomprehensibilem, quæ tamen non sit vere & simpliciter infinita. Distinguunt propterea inter *scientiam intelligentiæ* & *simplicis visionis*. Hanc quidem, non vero illam tribuunt Christo secundum humanam naturam. Verum ex Col. II, 3. satis patet, omnem divinam sapientiam & scientiam in Christo θεανθρώπῳ habitasse.

CAPUT X.

DE
TERTIO COMMUNICATIONIS IDIOMATUM GENERE.

T*ertium genus communicationis idiomatum* est, quando de Christo concretive considerato aliquid prædicatur, quod ad officii ejus mediatorii actus, utrique naturæ communes, spectat. Non

Non accurate hic vox *idioma* usurpatur, quia loco ejus potius vox *opus* s. *actus* adhiberi debet.

Accipitur igitur hæc vox h. l. latius & comprehendit opera officii, quæ aliquid, utrique naturæ proprium, complectuntur.

Dicitur ab aliis hoc idiomatum genus κοινοποιΐα aut κοινοποίησις, s. communicatio aut communio operationum, & quidem ejusmodi operationum, quæ ex utraque natura proficiscuntur.

Theologi plerumque operationes istas nominant ἈΠΟΤΕΛΈΣΜΑΤΑ a voce ἀποτελεῖν, h. e. perficere. Respectum igitur habent ad triplex Christi officium, cujus functiones utramque requirebant naturam. Vocantur propterea etiam opera θεανδρικὰ s. *Deivirilia*, quia per divinæ & humanæ naturæ concursum perficiuntur.

Apotelesma ab *idiomate* ita differt, ut prius ambabus naturis simul, posterius vero uni soli naturæ tribuatur.

Omne apotelesma duo comprehendit ἐνεργήματα, scilicet divinum & humanum. Differunt ab ἐνεργείᾳ, ut principiatum a principio. Habet autem quælibet Christi natura sua singularia ἐνεργήματα, quia quælibet natura singulatim id, quod suum est, facit, sed tamen in communione cum altera.

DAMASCENUS propterea *Lib. III. de orthodoxa fide c. 19.* ita scripsit: *Nec divisas esse dicimus*

 opera-

operationes, neque divisim operari naturas, sed conjunctim utramque cum alterius communicatione agere, quod ei proprium est.

Cognoscitur utraque naturarum operatio in qualibet miraculosa Christi actione. Cum e. g. cœco homini visum restitueret Joh. IX, 6 sqq. humana natura suum ad istud opus contulit per actum exspuendi in terram, faciendi lutum ex sputo & illinendo hoc lutum super oculos cœci, dicendoque ad eum: *vade, lava te in piscina Siloa*; divina vero natura suum contulit largiendo virtutem divinam ad effectum istum supernaturalem producendum.

Omnes *triplicis officii Christi actus* & functiones sunt apotelesmata s. operationes per concursum utriusque naturæ peractæ.

Actus officii sacerdotalis sunt apotelesmata necessaria, quia sine concursu duarum naturarum prorsus non perfici potuerunt, *actus* vero *officii prophetici* & *regii* sunt apotelesmata voluntaria, quia sine illo concursu perfici potuerunt.


Huc igitur pertinent omnes propositiones, quarum subjectum persona Christi, prædicatum vero operatio aliqua ad officium Christi mediatorium spectans est. Sunt ita comparatæ, ut maxima ex parte simul ad primum communicationis idiomatum genus referri possint.

Talis propositio e. g. est: *Christus mortuus est pro peccatis nostris*, 1 Cor. XV, 3. Subjectum h. l. est *Christus*, prædicatum vero *mortuus est pro peccatis nostris*, quod ad officium ejus mediatorium

rium ſpectat, ubi *mortuum eſſe* ad ἐνεργήματα humanæ naturæ & *pro peccatis noſtris mortuum eſſe* ad ἐνεργήματα divinæ naturæ pertinet.

Hujus generis ſunt etiam propoſitiones, quæ Gal. I, 4. & Eph. I, 2. occurrunt.

Non dici poteſt, Chriſtum ſecundum divinam naturam paſſum & mortuum eſſe, etſi vere & realiter paſſus & mortuus ſit, & quidem 1) ὑποςατικῶς, quatenus caro, in qua paſſus eſt, in ipſa Filii Dei hypoſtaſi ſubſiſtit, & unam eandemque cum eo hypoſtaſin ſ. perſonam conſtituit, & 2) ἰδιοποιητικῶς, quatenus Filius Dei appropriando ſibi carnem ſibi quoque appropriavit carnis paſſionem.



SECTIO II.

DE DUPLICI STATU CHRISTI.

CAPUT I.

DE DIVERSO CHRISTI STATU IN GENERE.

Chriſtus ſecundum humanam naturam non in uno eodemque *ſtatu* manſit, etſi cum hac natura omnis divina majeſtas in unione perſo-

personali communicata sit. Ad perficiendum enim opus redemptionis necesse erat, ut se aliquamdiu abdicaret usu plenario attributorum divinorum, unde factum est, ut Christus primum *exinanitus*, deinde *exaltatus* esse dicatur.

Locus palmarius, unde *duplex* hic *status Christi* probatur, est Phil. II, 6-11. ubi expresse de Christo verba hæc occurrunt: ἑαυτὸν ἐκένωσε, h. e. *se ipsum exinanivit*, aut potius: *evacuavit*, v. 7. &: ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, h. e. *Deus eum valde exaltavit*, v. 9.

Duplex hic status non secundum utramque naturam, ut Calviniani docent, sed tantum secundum humanam naturam locum habet, quia divina natura nulli mutationi obnoxia esse potuit, Ps. CII, 28. Hebr. I, 12. Jac. I, 17.

Certi Calviniani *triplicem* statuunt *statum Christi*, nempe 1) statum dignitatis, 2) statum exinanitionis & 3) statum exaltationis. *Primum* a tempore nativitatis Christi usque ad ejus captivitatem, & *alterum* a captivitate Christi usque ad ejus resurrectionem duravisse, *tertium* vero adhuc durare & in æternum duraturum esse dicunt. Verum tota hæc status Christi partitio non accurata est, nec convenit cum ordine salutis & sacris literis.

Duplex tantum datur *status* Christi, scilicet *status exinanitionis* & *status exaltationis*. De utroque nunc non modo generaliter, sed etiam specialiter acturi sumus.

CAPUT

CAPUT II.

DE STATU EXINANITIONIS CHRISTI IN GENERE.

Status Christi Exinanitionis non in κρύψει, f. *occultatione*, sed in vera κενώσει f. *evacuatione* ordinarii usus divinæ majestatis constitit. Expresse enim Paulus de Christo scripsit: οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, (scilicet τὰ ἑαυτοῦ), ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, h. e. *non rem raptam esse existimavit Christus, quod esset similis Deo*, Phil. II, 6. 7. Idem hoc est, ac si dixerit Paulus: *Non egit ut victores, qui spolia ab hostibus capta & rapta cum pompa ostentare solent, sed semet ipsum exinanivit.* Alibi dicitur Christus πτωχεύσασθαι, h. e. *pauper factus* esse, 2 Cor. VIII, 9.

Theologi Tubingenses olim & in primis THEODORUS THUMMIUS, docuerunt, Christi statum exinanitionis non in vera κενώσει, sed tantum in κρύψει constitisse. Maluerunt igitur vocem ταπείνωσις, quam κένωσις usurpare. Provocarunt ad confirmandam suam sententiam 1) ad ἀδιαστασίαν, Nestorianis oppositam, qui negarunt, duas in Christo naturas ἀδιαστάτως unitas esse; 2) ad Joh. V, 17. ubi Christus dixit, se sicut Patrem huc usque operari; & 3) ad miracula Christi, in diebus carnis ab ipso patrata. Sed respondemus ad 1) distinguendo inter ἀδιαστασίαν, quæ est inter carnem & λόγον,

γὸν, & ἀδιαςασίαν, quæ eſt inter carnem & creaturas: prior, non vero poſterior Neſtorianis opponitur. Ad 2) reſpondemus, Chriſtum non per humanam naturam, ſed ſecundum divinam naturam in humana operatum eſſe; & ad 3) diſtinguimus inter divinæ majeſtatis uſum univerſalem & particularem: hic in ſtatu exinanitionis locum habuit, non vero ille, ut infra pluribus oſtendemus.

Diſtinguunt alias Theologi reſpectu attributorum divinorum inter κτῆσιν & χρῆσιν, h. e. *poſſeſſionem* & *uſum*. Κτῆσιν Chriſtus ſemper habuit, non vero χρῆσιν.

Κένωσις ſ. *evacuatio* differt ab *exinanitione*, quæ generalior eſt, quam illa & minus proprie ſignificat, qualem ſtatus exinanitionis habuerit rationem.

Id, quod Chriſtus in hoc ſtatu depoſuit, fuit μορφὴ Θεοῦ, Phil. II, 6. quæ idem eſt ac ſtatus Dei gloriæ.

Fuit autem *abdicatio* ejus vera quidem & libera, ſed tamen non plenaria, quia interdum radios divinæ gloriæ de ſe dedit, quando ſe omniſcientem & omnipotentem præbuit ad monſtrandum, ſe eſſe verum Meſſiam, Joh. I, 14. c. XX, 31. Major gloriæ divinæ gradus non modo ab oculis mortalium non tolerari potuiſſet, Matth. XVII, 2-6. ſed etiam opus redemptionis impediviſſet, Joh. XVIII, 6.

Pertinent ad ſtatum exinanitionis Chriſti ſequentes *ſeptem actus*, ſcilicet 1) ejus *incarnatio*,

2)

2) *conceptio*, 3) *nativitas*, 4) *educatio vitæque cursus*, 5) *passio*, 6) *mors*, & 7) *sepultura*.

De singulis acturi sumus, si antea aliqua de ejus statu exaltationis præmisimus.

CAPUT III.

DE STATU EXALTATIONIS CHRISTI IN GENERE.

Status Exaltationis Christi is est, in quo Christus secundum humanam naturam infirmitates carnis deposuit & plenarium divinæ majestatis usum suscepit. Probatur ex Jes. LII, 13. Act. II, 33. Eph. I, 20-22. Phil. II, 9-11.

Facta est hæc exaltatio quasi per gradus. Initium fiebat per ejus *reviviscentiam*, quam *descensus ad inferos*, *resurrectio* & *adscensio in cœlos* secutæ sunt. Complementum denique dedit *sessio ad dextram Patris*. De omnibus hisce speciatim agemus, quando singulos actus status exinanitionis descripsimus.

Non facta est exaltatio Christi per ipsius gloriæ divinæ recuperationem, utpote quam in statu exinanitionis nunquam deposuit, sed per divinæ gloriæ *plenarii* usus aliquamdiu depositi reassumtionem, quia jam in statu exinanitionis divinis interdum attributis usus est.

Causa efficiens exaltationis Christi est tota sacrosancta Trinitas, quapropter etiam Christus secun-

secundum divinam naturam sui ipsius exaltationis causa efficiens dici potest. Hæc est *gloria* illa *Patris*, per quam Christus a mortuis resuscitatus esse dicitur, Rom. VI, 4.

Incepit autem exaltatio Christi, postquam μοςΦὴν δούλου s. formam servi, Phil. II, 7. nec non ὁμοίωμα καὶ σχῆμα τῶν ἀνθςώπων, h. e. similitudinem & externam hominum speciem deposuit. Hæc vero similitudo & forma servi neutiquam ipsam ejus constituit naturam humanam. Hanc enim in æternum retinuit, etsi per exaltationem valde istam glorificaverit.

Est vero exaltatio hæc certo modo adhuc coram hominibus occulta, manifestabitur autem in *redita* ejus *ad judicandum vivos & mortuos*, Col. III, 4. Refertur propterea reditus hic in symbolo apostolico ad actus exaltationis Christi, qui tamen magis *actus exaltati Christi* nuncupandus est, quales etiam fuerunt apparitiones ejus post resurrectionem.

Status exaltationis Christi apud *Socinianos* nil aliud est, quam regressus ex statu non-existentiæ in statum existentiæ. Dicunt etiam, Christum per exinanitionem & mortem sibi exaltationem acquisivisse.

CAPUT

CAPUT IV.

DE

INCARNATIONE CHRISTI.

Vox Ἐνσάρκωσις s. *incarnatio* sumta est ex Joh. I, 14. ubi de λόγῳ ὑποςατικῷ dicitur: σὰρξ ἐγένετο, h. e. *caro factus est*. Hoc non idem significat ac: *in carnem mutatus est*, sed: *carnem assumsit*, Hebr. II, 16. Consistit itaque incarnatio Filii Dei in assumtione humanæ naturæ, qua natura hæc in hypostasin Filii Dei ita recepta est, ut exinde quidem unio duarum naturarum, non vero duplex persona orta sit.

Tria hic perpendenda sunt, 1) *persona*, quæ carnem assumsit, 2) *caro*, quæ assumta est & 3) *incarnatio* ipsa.

Subjectum s. *persona*, quæ carnem assumsit, est altera Deitatis persona. Hæc ad opus redemtionis electa esse videtur, 1) quia est *imago & character* ὑποςάσεως *Dei*, Hebr. I, 3. nos vero ad imaginem Dei restituendi eramus, & 2) quia est *Filius Dei*, nos vero, qui filii iræ eramus, iterum in filios Dei recipi debebamus.

Incarnatus autem est *Filius Dei* secundum totam divinam naturam, non vero totaliter secundum totam Deitatem, quia prima & tertia Deitatis persona incarnationem non participarunt, quanquam utraque essentialiter cum secunda persona unita est. Interim recte dicitur *Deus manifestatus esse in carne*, 1 Tim. III, 16. etsi soli

Filio Dei descensus de cœlo tribui debeat, Joh. III, 13. c. VI, 33. 50. Jes. LXIV, 1.

Id, quod Filius Dei assumsit, *caro* vocatur, per quam nil aliud, quam humana natura intelligitur, Rom. IX, 5. 1 Petr. III, 18. c. IV, 1. 1 Joh. IV, 2. 3. Hebr. II, 14.

Caro alias subjectum corruptionis est, Joh. III, 6. c. VI, 63. 1 Cor. XV, 50. & sedes peccati, Rom. VII, 18. 25. c. VIII, 3. Quia vero Christus condemnare debebat peccatum in carne sua per peccatum s. oblationem pro peccato, propterea missus dicitur ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, Rom. VIII, 3. natura ejus humana jure meritoque *caro* nominatur.

Fuit autem caro hæc *sancta*, etsi de corpore peccaminoso sumta sit, Luc. I, 35. Quæritur vero: *num per se a prima origine sancta dici possit, an vero in actu conceptionis demum a Spiritu S. sanctificata fuerit?* Posteriorem sententiam multi priori præferunt, quia Christus non vi benedictionis universalis, Gen. I, 28. sed vi promissionis singularis, Gen. III, 15. ex patribus descendit, Rom. IX, 5. Verum non video, cur caro Christi non per se sancta dici queat, etsi carnis & sanguinis particeps factus sit, sicut pueri nostri, Hebr. II, 14. fructusque ventris Mariæ nuncupetur, Luc. I, 42. neque negari possit, ipsum de semine mulieris peccaminosæ genitum esse, & quidem vi promissionis paradisiacæ.

Non

Non vero aliam hic intelligere debemus *carnem*, quam *animatam*, quia Chriſtus cum carne totam humanam naturam, ex corpore & anima conſtantem, aſſumſit.

Fuit autem *vera caro*. *Marcionitæ* & *Schematici* olim docuerunt, Chriſtum non veram humanam carnem, ſed tantum ſchema ſ. φάντασμα aſſumſiſſe.

Patrocinantur iis neutiquam loca, Rom. VIII, 3. Phil. II, 7. quia non ad ipſam carnem ſ. corpus Chriſti, ſed ad accidentia ejus, ſcilicet infirmitates, reſpectum habent.

Valentiniani & *Peterſeniani* perhibent, Chriſtum carnem ſuam de cœlo attuliſſe, eamque quaſi in utero Mariæ per canalem tranſiiſſe. Sed quod Chriſtus ex nobis non aſſumſit, etiam non redemit. Sunt, qui cum BARCLAJO, POIRETO & aliis Chriſto *duplex corpus* ſ. *duplicem carnem* tribuunt, unam de cœlo allatam ante ſecula mundi & alteram in Maria virgine in tempore aſſumtam. Provocant ad Joh. VI. ubi tamen non de Chriſti humana, ſed divina natura agitur.

Ab hac ſententia parum diſtant ex noſtratibus Theologis B. JOHANNES OLEARIUS & B. BALTHASAR MEISNERUS. Prior inter ipſam carnem & vivificam ejus qualitatem diſtinguit, a qua caro circumdata, efformata & animata quaſi fuerit; hanc qualitatem eſſe panem de cœlo datum & ab alia carne terrena diſtinctam. Refutavit ſententiam hanc modeſte B. VAL.

ERN. LOESCHERUS in *Relat. Innocuis A. 1711. p. 250 sq.*

Posterior, nempe BALTHASAR MEISNERUS, massam, ex qua corpus Christi formatum est, vel de cœlo delatam, vel aliunde sumtam, & postea in utero Mariæ elaboratam esse autumat *in Christologia* sua *p. 29.*

CAPUT V.

DE

CONCEPTIONE CHRISTI.

Conceptio Christi primus quasi gradus est status exinanitionis ejus, ad quem tamen a Cel. Jo. ERNESTO SCHUBERTO *in Instit. Theol. Dogm. p. 386,* non refertur.

Est mysteriosissimus actus, cujus descriptio occurrit Luc. II, 31. 35. ubi angelus Domini primum generaliter, postea vero specialiter de hoc mysterio agit.

Quatuor hic perpendenda sunt *momenta* 1) *subjectum* conceptionis, 2) *causa efficiens ejus,* 3) *actus* conceptionis ipse & 4) *effectus* illius, s. infans, qui conceptus est.

Subjectum conceptionis fuit *Mariæ*, desponsata virgo, de stirpe quidem regia Davidis, sed persona imæ sortis.

Erat de stirpe regia Davidis, ut implerentur vaticinia de Christo, tanquam filio Davidis, Jes. XI, 1. Jer. XXIII, 5. Luc. I, 32. Apoc. V, 5. pro

pro quo etiam Messias ab omnibus Judæis olim habebatur, Matth. XXI, 9. c. XXII, 42. Sicut vero David ad posteros Patriarcharum pertinuit, ita etiam Christus secundum carnem recte ex patribus descendisse dicitur, Rom. IX, 5. & quidem de tribu Judæ, Gen. XLIX, 9. 10. Mich. V, 1. Hebr. VII, 14. Apoc. V, 5. & ex stirpe Isai s. Jesse, Jes. XI, 1. qui pater fuit regis Davidis, Ruth. IV, 22.

Sociniani negant, Christum ex tribu Judæ ortum esse. Matrem ejus potius de tribu Levi fuisse asserunt. Provocant ad propinquitatem ejus cum Elisabetha, uxore sacerdotis Zachariæ, Luc. I, 36. & ad Genealogiam Christi, in qua non Mariæ, sed tantum ejus sponsi, nempe Josephi, mentio fiat, Matth. I, 16. Luc. III, 23.

Verum respondemus ad objectionem de propinquitate Mariæ cum Elisabetha, hanc matronam omnino quidem fuisse de tribu Levi, Luc. I, 5. sed tantum respectu patris. Cum enim lex Num. XXXVI, 7-9. fœminis, quæ bona hæreditaria non possederunt, permiserit, extra suam tribum nubere, mater aut avia Elisabethæ facile potuit esse de tribu Judæ, cujus regio Zachariæ patria fuit, Luc. I, 39. Dantur in Scriptura S. plura exempla virorum, qui ex alteris tribubus uxores duxerunt, e. g. Exod. VI, 23. 1 Sam. XVIII, 27. 1 Reg. III, 1. 2 Chron. XXII, 11. Jud. XXI, 21-23. Inprimis familia regia & sacerdotalis conjugiis mutuis se conjungere solebant.

Quod ad *Genealogiam Christi* attinet, *Matthæus* Josephi, & *Lucas* Mariæ origines descripsit, quorum utriusque primordia in regis Davidis filiis, Salomone & Nathane Matth. I, 6. & Luc. III, 31. quærenda sunt. Quod autem Lucas loco Mariæ nominaverit Josephum, factum est secundum morem Hebræorum, qui mulierum genealogiam non recensere solebant. Erat etiam Judæis tunc temporis satis cognitum, quis fuerit pater Mariæ; & si particula τῆς, Luc. III, 23. adjicitur verbis: υἱὸς ἰωσὴφ, textus ita sonat: ὤν, ὡς ἐνομίζετο υἱὸς ἰωσὴφ, τῆς τῦ Ἡλὶ, i. e. *is, qui habebatur filius Josephi,* τῆς (h. e. filiæ) *Eli,* (nomine Mariæ,) *filius est.*

Nomen *Maria* apud Hebræos *Mirjam* pronunciabatur. Idem significat ac *excelsam* a radice רום, h. e. *altus* & *elevatus fuit.* Alii a מרר, h.e. *amarus* & *acerbus fuit,* derivant. Erat per se peccatrix, etsi semen ejus, ex quo Christi humana natura in utero ejus formata est, ab omni peccato purificatum sit. Εὐλογημένη ἐν γυναιξὶν ab angelo quidem vocatur, Luc. I, 28. sed non propterea adorabilis redditur, nec pro impeccabili declaratur, ut Pontificii perhibent. Alibi satis probavimus, eam non modo in peccato conceptam, sed etiam actualibus peccatis infectam fuisse.

Veram autem *virginem* fuisse, ex Jes. VII, 14. Matth. I, 23. Luc. I, 27. satis liquet. Voluit Deus virginem in matrem Christi eligere, ne is haberetur pro nudo homine de semine virili

genito.

genito. Quod vero desponsata fuerit, factum esse videtur, ut cognoscamus statum conjugii Deo haud minus placere quam statum virginitatis. Nec debebat Christus ab infidelibus pro illegitime genito, nec mater ejus pro meretrice, aut adultera haberi, quod fieri potuisset, si non desponsata fuisset.

Causa efficiens conceptionis Christi non in patre naturali, sed in ipso Deo quærenda est. Angelus Domini enim miraculosam Christi generationem expresse tribuit *Spiritui S.* & *virtuti Altissimi*, Luc. I, 35.

Spiritus S. non σπερματικῶς f. seminaliter, sed δημιουργικῶς f. *operative* Mariam gravidam reddidit. Sicut in prima creatione Gen. I, 2. ita in hac altera, Jer. XXXI, 22. singulari sua operatione id, quod procreandum erat, procreavit. Particula ἐκ Matth. I, 18. 20. non materiam, sed causam efficientem denotat. Neutiquam tamen propterea Spiritus S. Christi pater nominari debet, quia non ex ejus hypostasi aut substantia in utero materno conceptus est.

Tribuitur etiam conceptio Christi *virtuti Altissimi*, per quam plerumque intelligitur omnipotentia divina, tribus Deitatis personis communis, etsi alias ipse Spiritus S. Luc. XXIV, 49. ita appelletur, cui quoque conceptio Christi proprie adscribitur.

Sunt autem nonnulli, qui cum BALTH. MEISNERO in *Christol. p. 26.* & JAC. CARPOVIO in *Theol. Rev. Dogm. T. II. p. 188.* per δύναμιν τȣ ὑψίςȣ

ipſum *Filium Dei* intelligunt, provocantes ad 1 Cor. I, 24. 30. & Jeſ. IX, 6. coll. Gen. XLIX, 3. Dicunt enim, Filium Dei ad perſonam Mariæ ita appropinquaſſe, ut aſſumendo hominis naturam uterum ejus divina ſua majeſtate tanquam templum Salomonis, 1 Reg. VIII, 11. & tabernaculum Moſis, Exod. XL, 34. impleverit.

Actus conceptionis Chriſti per ἐπέλευσιν Spiritus S. & ἐπισκιασμὸν Virtutis Altiſſimi deſcribitur.

Ad *Spiritûs S.* ἘΠΙΈΛΕΥΣΙΝ, qua ſuper Mariam ſuperventurus dicitur, pertinet 1) virginalis uteri fœcundatio, 2) maſſæ ſeminis ejus, ex qua corpus Chriſti formandum erat, ſanctificatio, 3) animæ ejusdem per traducem propagatio, & 4) ſucceſſiva corporis ſanctiſſimi formatio.

ἘΠΙΣΚΙΑΣΜΟ͂Σ ſ. *obumbratio Mariæ* indicat miraculoſum λόγȣ æterni deſcenſum in uterum virginis ad conſervandam ejus peccaminoſam ſubſtantiam, ne a Deitate tanquam igne conſumeretur.

Infans, qui per conceptionem hanc miraculoſam formatus eſt, erat quidem verus embryon, antequam naſceretur, ſed qui ſimul a primo conceptionis momento divinæ naturæ particeps & ab omni peccato immunis fuit, Hebr. VII, 26. Dicebatur propterea τὸ ἅγιον ſ. *Sanctum*, Luc. I, 35.

Errant, qui conceptionem Chriſti ita deſcribunt, quaſi ſtamen corporis Chriſti in ovulo materno Mariæ immediate a Deo productum crea-

creatumque ſit. Nam ſic Chriſtus non deſcenderet a patribus ſecundum carnem, nec fructus ventris Mariæ dici poſſet. Vide CARPOVII *Theolog. Revel. Dogm. T. II. p. 118.*

CAPUT VI.
DE
NATIVITATE CHRISTI.

Chriſti *nativitas* cum ſingularibus quidem circumſtantiis, ſed non tamen inconſueto more facta eſt.

Mater fuit & manſit quidem in pariendo filio ſuo vera virgo, edidit tamen illum non aliter in lucem, quam aliæ mulieres, quia alias non potuiſſet lex de prima ruptura matricis ad eam applicari, Luc. II, 22, 23.

Non ſine *doloribus* conſuetis & *mater* peperit & *Chriſtus* natus eſt. Illa enim erat non ſine peccato, ob quod mulieribus dolores partus a Deo impoſiti ſunt, Gen. III, 16. hic vero ad noſtros dolores portandos in mundum venit, Jeſ. LIII, 4.

An Maria poſt nativitatem Chriſti cum Joſepho, marito ſuo, concubuerit, quæſtio eſt, quæ non ad ſalutis noſtræ fundamentum pertinet, ideoque tacente Scriptura S. ſalva noſtra ſalute & affirmari & negari poteſt. Satius tamen eſt, iſtam negare, Chriſtus quidem *primogenitus* dicitur, Matth. I, 25. Luc. II, 7. at non reſpectu fratrum

ſuorum, Matth. XII, 47. 48. qui matris ſuæ privigni erant, ſed reſpectu juris primogenituræ, quod apud Iſraëlitas magnas prærogativas habebat. Particula ἕως autem Matth. I, 25. non terminum fixum, ſed continuum indicat.

Præcipuæ circumſtantiæ, quæ nativitatem Chriſti memoratu dignam faciunt, ſpectant ad *tempus*, *locum* & *angelicum cantum*.

Quod ad *tempus* attinet, chronologi ſacri computarunt, quod nativitas Chriſti facta ſit anno mundi 4000. qui annus incidit in annum ab urbe condita 750. Specialiter notari meretur, ſalutiferam Chriſti nativitatem factam eſſe 1) ſub imperio Auguſti, 2) ultimis temporibus Reipublicæ Judaicæ, 3) ſexto menſe poſt nativitatem Johannis Baptiſtæ, 4) tempore autumni & 5) veſperaſcente die.

Sub *imperio Auguſti* natus eſt Chriſtus, ut impleatur vaticinium patriarchæ Jacobi, Gen. XLIX, 10. ſecundum quod ſceptrum ſ. regnum de populo Judaico ablatum eſſe debebat, quando *Schilo* ſ. Meſſias venerit. Hoc ſatis cognoſci poterat ex cenſu Auguſti, qui non modo ſuper univerſum orbem Romanum, Luc. II, 1. ſed etiam ſuper terram Iſraëliticam ſe extendebat, v. 3. 4. Hoc non fieri potuiſſet, niſi Romani terram hanc ſub ſuam redegiſſent poteſtatem.

Naſci debebat Chriſtus *ultimis temporibus Reipublicæ Judaicæ* ſecundum vaticinium Danielis, qui prædixerat, exſtirpato Chriſto urbem & ſanctuarium ſubverſum & devaſtatum iri, Dan. IX,

24.

24-27. Populus Iſraëliticus cum ſua republica & ſtatu eccleſiaſtico typus fuit Chriſti ejusque regni gratiæ. Hoc cum initium ceperit adveniente Chriſto, reſpublica Judaica tunc non potuit non ad interitum vergere, eo magis, cum gens Judaica ad luendam Dei pœnam ob ſuam incredulitatem & commiſſa crimina non diutius florere potuerit. Daniel determinavit tempus per ſeptuaginta ſuas hebdomades, quarum explicatio Philologis ſacris magnam parit difficultatem.

Chriſtus naſcebatur *ſexto menſe poſt nativitatem Johannis baptiſtæ*, Luc. I, 26. 36. 56.

Hic ejus præcurſor erat, qui ſicut aurora ortum ſolis juſtitiæ & diem ſalutis indicaret.

Secundum promiſſionem divinam eſſe debebat *vox clamantis in deſerto*, Jeſ. XL, 3. 4. Joh. I, 23. & *angelus viam ſternens* angelo fœderis, Mal. III, 1. nec non *alter Elias*, Mal. IV, 5. Luc. I, 17. c. XVII, 11. 12. Agitur prolixe de ejus conceptione, Luc. I, 5-25. 41. nativitate, Luc. I, 57-80. officio, Matth. III, 1-13. c. XI, 24-29. Marc. I, 1-9. Joh. I, 19-36. & martyrio, Matth. XIV, 3-12.

Naſcebatur Chriſtus *tempore autumni* circa feſtum tabernaculorum, quod ſecundum computum Hebraicum tempore æquinoctii autumnalis in recordationem itineris ex Ægypto in terram Canaan, in quo ſub tentoriis habitabat populus, nec non in gratiarum actionem pro feliciter finita meſſe quotannis celebrabatur. Fie-

Fiebat nativitas Christi hoc tempore, 1) quia mundus, quem Christus quasi spiritualiter renovare voluit, 2 Cor. V, 19. Act. III, 20. 21. Eph. I, 10. Col. I, 19. hoc tempore conditus est; 2) quia habitatio in tabernaculis typus fuit habitationis Christi inter nos, Joh. I, 14. & 3) quia nativitas Christi nobis largam fructuum messem dedit, Jes. IX, 3. Quod vero Festum nativitatis Christi die 25 Decembris a nobis celebretur, ab Epocha Dionysiana dependet, quam ecclesia christiana in concilio Nicæno usu recepit.

Nascebatur denique Christus *vesperascente die*. Non perspicue quidem hoc ex Scriptura S. liquet, ex circumstantiis tamen id satis conjici potest. Plerumque creditur, nativitatem Christi noctu factam esse, quia tempore noctis angeli apparuerunt pastoribus Bethlehemiticis, Luc. II, 8. At vero cum angelorum apparitio non simul cum Christi nativitate, sed post eam secundum v. 11. 12. facta esse legatur, satis inde patet, Christum circa vesperam, cum caupona secundum v. 7. adhuc plena hominum fuerit, natum esse.

Vespera in rebus fidei olim fuit tempus mysticum. Non modo pœna peccati, propter quam Christus in mundum venit, eo tempore primis parentibus, irrogabatur, Gen. III, 8. sed eodem quoque tempore agnus paschalis, tanquam typus Christi, qui itidem hoc tempore mortuus & sepultus est, Marc. XV, 34-37. Matth.

Matth. XXVII, 57. Luc. XXIII, 54. mactabatur, Exod. XII, 6. Num. IX, 5. Cur igitur non etiam Christus vesperi natus fuisset, cum ad tollendam peccati pœnam, vesperascente die a Deo irrogatam, præcipue in mundum venerit? Circumstantiæ nativitatis ejus id saltem sufficienter indicant.

Locus nativitatis Christi tam respectu urbis, quam respectu domus notatu dignus est.

Urbs vocabatur *Bethlehem*, quæ sita erat in regione ad tribum Judæ spectante, haud procul ab Hierosolyma. Temporibus Christi inter exiguos numerabatur vicos, qui olim tamen urbs fuit haud incelebris. Volebat Deus filium suum hoc loco nasci, ad significandum, quod Christus ex gente regis Davidis, cujus patria hæc urbs fuit, 1 Sam. XVI, 1 sq. descenderet, Luc. II, 4. & ad implendum vaticinium Michæ, Mich. V, 1. Matth. II, 6. Erat autem respectu Jesu locus peregrinus, quia parentes ejus in Galilæa habitabant & tantum occasione census, ab Imperatore Augusto indicti, Bethlehemum profecti erant, Luc. II, 6. Sapienter Deus nobis exinde cognoscendum dat, Christum non de mundo esse, nec ad mundum pertinere, Joh. VIII, 23. c. XVII, 16. c. XVIII, 36.

Hoc liquet etiam ex *domo*, in qua natus est Christus. Erat caupona s. hospitium, ad quod divertebantur peregrinatores, Luc. II, 7. Cognoscitur exinde summa Christi paupertas, de qua infra agemus.

Acci-

Accidebat hinc non ſine Dei conſilio, ut mater nec faſciis, quibus involveret infantem, nec cunis, in quibus eum poneret, inſtructa fuerit, Luc. II, 7. 12. Quod vero locus nativitatis, uti plerumque creditur, bovile aut ovile fuiſſet, non ſatis ex præſepe colligitur, quia φάτνη quodvis vas ſignificat, in quo pecudi pabulum datur, atque adeo etiam extra ſtabulum locum habere potuit.

Ad memorabiles nativitatis Chriſti circumſtantias pertinet denique *cantus angelicus*, qui ſequebatur nuncium angelicum, Luc. II, 9 - 14. Cœleſtes ſpiritus per iſtum non modo exemplum dant hominibus prædicandi opera Dei, ſed etiam ſuam propriam lætitiam ſuper hominum conſortio per Chriſtum reſtituto indicant. Magnificam quoque & glorioſam reddere volebant cantu ſuo nativitatem Chriſti, in oculis hominum alias valde exilem.

CAPUT VII.

DE CHRISTI EDUCATIONE ET VITÆ CURSU.

Chriſtus omnes hominis ætates pervixit. Fuit infans, puer, adoleſcens & vir. Non modo experiri voluit ſtatum omnis humanæ vitæ, ſed etiam pro cujuslibet ætatis peccatis ſatisfacere, nec non in omnibus cujuscunque æta-

ætatis hominibus exemplum dare, 2 Petr. II, 21. Joh. XIII, 14. 15.

Erat autem tota ejus vita per omnes ætates ſpeculum non modo ſanctitatis, ſed etiam humanæ miſeriæ.

Antequam ejus curriculum perluſtramus, aliqua præmittemus de ejus *incremento dotum animæ & corporis*.

Erant iſtæ quidem excellentiſſimæ, ſed Jeſus non niſi gradatim ad earum perfectionem perveniebat. Lucas ideo expreſſe teſtatur, eum ſapientia & ætate increviſſe, Luc. II, 40. 52. In hoc aliis hominibus non diſſimilis fuit, quorum dotes animæ & corporis non aliter, quam per experientiam, informationem & exercitium ſuam adipiſcuntur maturitatem.

Creſcebat itaque Chriſtus in juventute reſpectu *corporis* externa forma, ſtatura & robore, *reſpectu animæ* vero intellectu, judicio, ſapientia, experientia & affabilitate. Per harum dotum incrementum ſibi ſingularem non modo apud Deum, ſed etiam apud homines comparavit gratiam, Luc. II, 52.

Tota vita *Chriſti* magnæ inopiæ & vario periculo, nec non ſummis contumeliis & moleſtiis expoſita erat.

Inopia & *paupertas* ejus jam animadvertebatur, cum adhuc in cunis jaceret, ut ſupra oſtendimus, & quanquam a Magis larga acciperet dona, Matth. II, 11. ea tamen in longo itinere & diuturno exilio Ægyptiaco conſumta ſunt.

Ado-

Adolescentiam suam transigebat in domo parentum, Matth. II, 23. Luc. II, 51. qui ærumnosam vitam agebant, ut ex agnatis & cognatis Mariæ, Joh. II, 3. Matth. IV, 21. c. XIII, 55. & ex laborioso opificio Josephi aliisque circumstantiis conjici potest.

In paupertate posthæc omnem vitam consumsit. Ipse confessus est, se nil habere peculii in mundo, Matth. VIII, 20. Vivebat enim cum discipulis suis maxima ex parte de benevolorum hominum stipe, Joh. XII, 6. & hospitio, Luc. X, 38. Matth. XXVI, 6. 18. Joh. XII, 2. c. XVIII, 2. Jure meritoque hinc dicere potuit: *pauper sum & miser,* Ps. XL, 18.

In ejusmodi paupertate mansit usque ad mortem. Omnia sua secum portabat, ut ex distributione vestium suarum patebat, Matth. XXVII, 35. Joh. XIX, 23. 24. Interim discipuli ejus in istius consortio necessariorum ad victum non defectum passi sunt, Luc. XXIII, 35.

Suscepit autem in se Christus paupertatem ultro, ut pauperes homines cœlestibus bonis locupletaret, 2 Cor. VIII, 9.

Erat insuper vita Christi continuis *periculis* exposita. Statim in infantia rex Herodes M. ejus vitæ insidiabatur, Matth. II, 13. 16. Quot & quantis postea periculis obnoxius fuit in longo periculosoque itinere, cum ex Judæa in Ægy-

Ægyptum fugeret & inde rediret, nec non, cum aliquot annos in hac peregrina regione commoraretur, facile conjecturari licet. Quam sæpe non Judæi quærebant eum capere, Joh. VII, 30. 44. Matth. XXI, 46. Marc. XII, 12. & interficere! Joh. V, 16. c. VII, 1. 25. c. VIII, 59. c. X, 31. Luc. XIII, 31. Quotidie versabatur in vitæ discrimine & nisi singulari præsidio Dei gavisus esset, multoties occubuisset. Huc spectat etiam periculum vitæ in mari Galilæo, Matth. VIII, 24. 25.

Vita Christi summo quoque *despectui* obnoxia erat. Incedebat in forma servi, Phil. II, 7. Matth. XX, 28. Parentum tenuitas, Matth. XIII, 54. 55. 56. Nazarethi, ubi educatus est, obscuritas, Joh. I, 46. & regionis Galilææ, (quæ ejus patria esse credebatur) vilitas, Joh. VII, 41. nec non conversatio cum telonariis & peccatoribus, Matth. XI, 19. Luc. XV, 2. c. XIX, 7. defectus studiorum academicorum, Matth. XIII, 54. 56. Luc. IV, 22. & hujus generis plures vitæ circumstantiæ, apud Judæos Christo contemptum pariebant, ita, ut ipse beatum eum prædicaret, qui non scandalum ab ipso sumat, Matth. XI, 6.

Poterat denique vita Christi etiam *molestissima* dici, quia in continuo itinere munus doctoris obibat. Conficiebat autem itinera sua pedibus, & quidem in æstuosis & pulverulentis viis & inter quotidianas capitis insidias perpetuasque contumelias. Peregrinabatur de urbe in

urbem & de regione in regionem, Act. X, 38. Pererrabat modo Galilæam, modo Judæam, modo Samaritanam regionem. Excurrebat interdum in fines Tyri & Sidonis, Matth. XV, 21. nec non in terram Gergesenorum & Gadarenorum, Matth. VIII, 28. Luc. VIII, 26. Sæpe etiam transibat Jordanum & mare Genezareth. Ubicunque vero commorabatur, non otiosus erat, sed docendo, disputando & benefaciendo se toto die occupatum præbebat. Per tot itinera & occupationes valde defatigabatur, Joh. IV, 6. & modo esuriens, Matth. XXI, 18. modo sitiens, Joh. IV, 7. modo somniculosus, Matth. VIII, 24. reddebatur.

CAPUT VIII.

DE PASSIONE CHRISTI.

Ad redimendum genus humanum requirebatur *passio omnium malorum* animæ & corporis, quia alias peccati pœna ad satisfaciendum justitiæ divinæ non sufficiens fuisset. Pœna enim sine doloribus non vera pœna est.

Facile exinde colligi licet, cur Christus tot & tantis doloribus & contumeliis affectus sit. Necessaria enim erat ejus multifaria malorum passio ad luendam peccatorum pœnam.

Hoc ut eo melius cognoscamus, contemplaturi sumus tam *hostes*, qui Christum variis malis affecerunt, quam *dolores*, quos sustinuit.

Hostes,

Hoſtes, qui Chriſtum variis malis affecerunt, erant tam ſpirituales quam corporales. *Spirituales* erant *Deus* & *diabolus*, diverſo tamen reſpectu; *Deus*, tanquam juſtiſſimus judex, qui Chriſtum propter peccata mundi in ſe ſuſcepta graviſſime punivit, Jeſ. LIII, 4. 5. 10. Pſalm. LXIX, 27. *diabolus* vero tanquam infenſiſſimus Dei & hominum hoſtis, Joh. VIII, 44. qui in temporarium & æternum exitium Chriſtum detrudere ſtuduit, Matth. IV, 3. 5. 6. 8. 9. Joh. XIV, 30.

Hoſtes Chriſti corporales fuerunt homines impii & quidem tam de gente populari, quam peregrina. Gens popularis erant *Judæi*, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem deſcendit, Rom. IX, 5. Joh. IV, 22. Hi non modo deſpiciebant eum, Joh. I, 11. nolebantque in illum credere, Joh. VII, 5. 48. ſed inſidiabantur quoque vitæ ejus, Matth. XII, 14. Joh. XI, 53. ſimulac per proditionem Judæ Iſchariothis, diſcipuli ſui in eorum manus traditus fuit, omnibus plagis & contumeliis afficiebatur & per ipſum ſacerdotum principem ad mortem condemnabatur, Joh. XI, 50. Matth. XXVI, 65. 66.

Non autem Judæi tantum, ſed etiam *ethnici* ad vexandum & interficiendum Chriſtum manus ſuas ſuppeditabant. Erant de gente peregrina & quidem Romana, quorum caput Pontius Pilatus fuit, qui tunc temporis Judaicæ regionis præfectus erat. Huic a Judæis ex in-

 vidia,

vidia, Matth. XXVII, 18. & siti sanguinis tradebatur ad supplicium, Matth. XXVII, 1. 2. 20. 22. 25. Joh. XIX, 6. 7. Christus ipse hoc discipulis suis prædixit, Luc. XVIII, 32.

Omnes hosce crudeles hostes David in persona Messiæ mugientes boves, rugientes leones & rabidos canes nominat, a quibus circumcinctum se fuisse deplorat, Ps. XXII, 13. 14. 17. 21. 22. Interim per multitudinem & varietatem hostium Christi, qui generaliter *peccatores* vocantur, Matth. XXVI, 45. haud obscure significatur, omnes homines se mortis ejus noxios fecisse.

Dolores, quos Christus perpessus est, spectant non modo ad omnia membra corporis ejus & organa sensuum, sed etiam ad ipsam ejus animam, Jes. LIII, 11.

Anima Christi sensit *dolores*, cum afficeretur terrore mortis, tristitia animi, anxietate cordis, ictibus conscientiæ, ira Dei, telis conviciorum & omnibus aliis malis perturbatæ & afflictæ mentis, ut ex ejus querelis, Ps. XXII, LXIX. summaque trepidatione & tristitia, Matth. XXVI, 37. 38. Marc. XIV, 33. Joh. XII, 27. c. XIII, 21. nec non ex tota passionis ejus historia patet. Sensit anima ejus ipsos *inferni dolores*, cum in monte olivarum ita angeretur, ut præ anxietate sanguinem per poros emitteret & confortatione angeli opus haberet, Luc. XXII, 43. 44.

Corpus

Corpus Christi acerbissimos dolores per omnia membra & organa sensit. *Caput* spinis & contusionibus afficiebatur, *facies* alapis & sputo deformabatur, *manus* & *pedes* clavis perfodiebantur, *dorsum* & *pectus* flagellorum & virgarum ictibus dilacerabantur, *latus* lancea discindebatur & *totum corpus* non modo vestimentis destituebatur, sed etiam nudum cruci affigebatur, atque adeo asperitati aëris & æstui solis, nec non opprobrio hominum exponebatur. De hisce corporis plagis & afflictionibus ipse jam in V. T. valde conquestus est, Jes. L, 6. Ps. XXII, 15-18. Ps. CIX, 22-25.

Omnes *externi sensus* pœnam peccati experti sunt. Videbat turpissima scelera, audiebat scandalosissima verba, gustabat acerbissimum potum, olfaciebat fœtorem sputi & attrectabatur manibus impurissimis, cædebaturque multis verberibus.

Jure meritoque igitur vocatur אִישׁ מַכְאֹבוֹת, h. e. *vir dolorum*, Jes. LIII, 3. Poterat ad omnes prætereuntes id, quod destructa Hierosolyma dixisse fertur, dicere: *Aspicite & videte, num dolor aliquis major esse queat meo dolore: Dominus enim in die iræ suæ sævissimæ malorum plenum me fecit,* Thren. I, 12.

CAPUT IX.

DE
MORTE CHRISTI.

Mors *Christi* ad redimendum genus humanum summe necessaria fuit, quia Deus ex justissima pœna hominibus ob transgressionem legis mortem imposuerat, Gen. II, 17. Rom. V, 12. c. VI, 23. Hæc igitur mortis pœna ut aufferretur, Christum mori oportebat, Luc. XXIV, 26. Jes. LIII, 10. Hebr. II, 14. 15. Jes. XXV, 8. Rom. XIV, 9. 2 Cor. I, 10. c. V, 15.

Vere autem *mortuum esse* Christum, satis ex Luc. XXIII, 46. patet, ubi, spiritu manibus patris sui demandato, *exspirasse* dicitur. Ἐκπνεῖν h. l. idem significat ac spiritum dimittere aut tradere. Priorem dictionem usurpat Matthæus c. XXVII, 50. & posteriorem Johannes c. XIX, 30. Utraque nos docet, vinculum animæ & corporis Christi in cruce vere diruptum esse. Et in hac diruptione consistit etiam genuina mortis forma, 1 Reg. XIX, 4. Luc. XII, 20. Phil. I, 23. Non meritoria fuisset mors Christi, si non re vera facta fuisset.

Quæritur autem: *an Christus in morte verus homo dici potuit, cum partes hominis essentiales, in quarum conjunctione substantia hominis consistit, sese separaverint?* Affirmamus hoc. Nam hominis personalitas non interit, etsi partes ejus essentiales disjungantur in morte. Cognosci hoc

hoc licet ex historia pauperis Lazari & divitis helluonis, de quibus Christus tanquam veris personis agit, etsi uterque defunctus fuerit, Luc. XVI, 22. 23.

Nec anima moritur, nec corpus defunctum annihilatur, etsi hoc in cineres redigatur. Stamina enim corporis semper permanent, Ps. XXXIV, 21. De Christo eo magis dicere possumus, post mortem verum mansisse hominem, cum non personam, sed tantum naturam & personalitatem hominis assumserit. Has vero mors non tollit, sed tantum personam, quatenus per operationes animæ & corporis reciprocas se vivam præstat.

Christus non persona nudi hominis, sed θεανθρώπου fuit, nec in ejus morte vinculum duarum naturarum, sed tantum vinculum animæ & corporis solutum est. Hinc mansit ejus persona θεάνθρωπος, etsi vere mortuus sit. Mansit etiam corpus ejus post mortem integrum & imputridum, quia putrefactio non ad formam, sed ad effectus mortis pertinet.

Erat autem *mors* Christi *liberrima*, quia nemo eum ad moriendum coëgit, nec ipse ex temeritate se in mortem dedit. Ex amore potius erga homines, Joh. XV, 13. 1 Joh. III, 16. se submisit consilio Dei de redimendo genere humano, Luc. XXII, 22. Act. II, 23. omnemque ex liberrima voluntate Patri suo præstitit obedientiam, Ps. XL, 8. 9. Jes. L, 5. Phil. II, 8.

Non mors Christi per se ad nostram salutem requirebatur, sed ejusmodi *mors*, quæ esset 1) violenta, 2) contumeliosa, 3) dolorosa, 4) cruenta, 5) in cruce facta & 6) aliquid gloriosi in se habens.

Violentam oportebat esse *mortem* Christi, quia non modo pœnam malefici hominis, Joh. XVIII, 30. qui criminis blasphemiæ, Matth. XXVI, 65. 66. Joh. XIX, 7. & læsæ majestatis, Luc. XXIII, 2. Joh. XIX, 12. reus sit, luere debebat, quapropter etiam inter maleficos numeratur, Jes. LIII, 12. Luc. XXII, 37. & in mediis latronibus cruci affixus est; sed etiam quia antitypus victimarum erat, quæ crudelissima morte in V. T. mactabantur, Jes. LIII, 7. 1 Cor. V, 7.

Contumeliosam oportebat esse *mortem* Christi, quia superbiæ pœnam pro hominibus, qui se super Deum insolenter extulerant, Gen. III, 5. non modo sustinere, sed etiam ignominiam totius generis humani per peccata contractam ferre debebat, Psalm. LXIX, 10. Rom. XV, 3. Hac de causa non modo ante mortem in domo summi sacerdotis, Luc. XXII, 63-65. & in curia Herodis, Luc. XXIII, 17-19. sed etiam in morte ipsa, Matth. XXVII, 39-44. & post eam c. XXVII, 63. 64. summis contumeliis & convitiis afficiebatur. Ipsum mortis genus contumeliosissimum erat, quia non aliis quam scelerosissimis servis & hominibus infimæ sortis istud inferebatur, Hebr. VI, 6. c. XII, 2.

ex

ex qua causa etiam Judæi tanto fervore a Pilato postulabant, ut Jesus crucifigeretur, Luc. XXIII, 23. Locus mortis, nempe mons Golgatha, erat etiam locus valde ignominiosus, quia in eo omnes malefici supplicio occidebantur. Jacebat hic locus extra urbem, ut impleretur typus Num. XIX, 3. Exod. XXIX, 44. Hebr. XIII, 11-13.

Dolorosam oportebat esse *mortem* Christi, quia vera pœna esse debebat, quæ non sine doloribus esse potest. Pluribus in superiori cap. VIII tam de magnitudine quam de multitudine dolorum, quos Christus non solum ante mortem, sed etiam in morte passus est, egimus. Genus mortis præ cæteris erat dolorosum. Vivebant malefici in cruce interdum usque ad diem tertium, & quia idem de latronibus, ad latus Christi crucifixis, judicabatur, ossa eorum ad maturandam mortem frangebantur, Joh. XIX, 31-33. Dolorum suorum sensum Christus satis superque testatus est per ejulatum suum in cruce, Matth. XXVII, 50. Marc. XV, 37. Hebr. V, 7.

Cruentam oportebat esse *mortem* Christi, quia sanguinis effusio ad placandum Deum requirebatur, Hebr. IX, 12. 22. sine sanguinis enim effusione non fiebat placatio, Lev. XVII, 11. Hebr. IX, 22. Adumbrabatur hæc Christi effusio sanguinis per sacrificia V. T. quæ fere omnia cruenta erant. Victimarum enim sanguis & effundi & circumspergi debebat, antequam

Deo immolabantur. Haud mirum igitur est, Christum tam multifarie sanguinem suum effusisse, e. g. in flagellatione, coronatione, crucifixione & cum latus ejus lancea perforaretur, Joh. XIX, 34. Erat enim sanguis fœderis, Zach. IX, 11. Matth. XXVI, 28. quem Moses præfiguravit, cum populum Israëliticum sanguine sacrificiali aspergeret ad confirmandum fœdus, cum Deo initum, Exod. XX, 8. *Sanguis Christi* dicitur hinc non modo λύτρον pro peccatis nostris, Rom. III, 25. Eph. I, 7. Col. I, 14. 1 Petr. I, 19. Hebr. IX, 12. nec non medium purificationis nostræ spiritualis, 1 Joh. I, 7. sed etiam bibendum datur in sacramento cœnæ ad confirmationem remissionis peccatorum, Matth. XXVI, 27. 28. Joh. VI, 53-56.

Crucis morte Christum mori oportebat, quia fieri debebat pro nobis κατάρα s. *maledictio* ad redimendum nos a maledictione legis, Gal. III, 13. Sicut enim suspensus ex arbore olim coram Deo maledictus erat, Deut. XXI, 23. ita etiam Christus ex arbore suspendendus erat, ut maledictionem nostram in se susciperet & morte sua tolleret. Adumbrabatur propterea ejus crucifixio per mactatum agnum paschalem. Sicut iste veru ligneo infigebatur haud infractis ossibus, succensoque igne torrebatur, Exod. XII, 9. 46. ita etiam Christus affixus est cruci, ut igne iræ divinæ, quæ super eum exarserat, Nah. I, 6. quasi assaretur & quidem haud infractis ossibus, Joh. XIX, 34. Per crucifixionem

nem expanſis manibus in altum elevabatur inſtar ſerpentis æneî in deſerto, Joh. III, 14. ut nos omnes quaſi ad ſe traheret, Joh. XII, 32. Pendebat cruci affixus inter cœlum & terram, ut mediatorem ſeſe ſiſteret ad reconciliandum ſibi omnia in cœlis & terris, Col. I, 20.

Glorioſam denique etiam certo modo oportebat eſſe *mortem* Chriſti, ne tanquam merus homo mortuus eſſe crederetur. Hac de cauſa non ſolum ſpecimen omnipotentiæ ſuæ dedit, cum hoſtes manus ſuas in eum inferrent, Joh. XVIII, 6. Luc. XXII, 51. ſed impius etiam ejus proditor, Matth. XXVII, 4. nec non injuſtus judex innocentiam ejus plus vice ſimplici declaraverunt, Matth. XXVII, 24. Luc. XXIII, 14. 15. 22. Huc ſpectant etiam prodigia, quæ tempore mortis ejus divinitus facta ſunt in ſole, aulæo templi, terræ ſolo, petris & ſepulchris, Matth. XXVII, 45. 51. 52. Tantum ea incutiebant hominibus terrorem, ut multi exinde cognoſcerent, Jeſum crucifixum vere fuiſſe Chriſtum, Filium Dei, Matth. XXVII, 54. Luc. XXIII, 48. Huc quoque referenda eſt inſcriptio crucis, Joh. XIX, 19-22. & ſolennis Chriſti ſepultura, Marc. XV, 46. 47. Joh. XIX, 39-42. quæ haud minus mortem ſalvatoris noſtri glorioſam reddiderunt, quam cæteræ circumſtantiæ.

CAPUT

CAPUT X.

DE SEPULTURA CHRISTI.

Christum *sepultum esse*, ex quadruplici historia passionis ejus satis patet, 1 Cor. XV, 4.

Sepultura mortem sequitur, quia id, quod de terra sumtum est, terræ iterum mandari debet, Gen. III, 19.

Christus vere mortuus est in cruce, hinc etiam sepeliendus erat.

Quæritur autem: *num sepultura Christi ad opus redemtionis ejus pertineat?* Per se & primario ad istud non pertinuit, sed per accidens & secundario.

Finis primarius nostræ sepulturæ apud Christum cessat. Non enim corpus ejus putredini obnoxium erat, Ps. XVI, 10. Act. II, 27. quia morte sua pœnam peccati quidem luere, non vero venenum ejus, quo destitutus erat, in se tollere debebat, quod alias per putrefactionem fit, qua omnes homines, etsi eorum funera efficacissimis aromatibus condirentur, obnoxii sunt.

Christus voluit sepeliri, ut 1) veritatem mortis suæ confirmaret, Act. II, 29. 2) ut hominum sepulchra sancta & nobis grata redderet ad reficiendum se ab omnibus laboribus & ærumnis, Hiob. III, 17. Jes. LVII, 2. Apoc. XIV, 13. & 3) ut majori splendore & magnificentia

tertia

tertia die resurgeret, Matth. XXVIII, 2-4. 11 sq.

Ex divino consilio factum est, ut sepulchrum Christi fuerit, 1) *novum*, in quo nondum corpus aliquod defunctum jacuerat, Joh. XIX, 41. vi cujus Christus resurrexisse credatur, uti olim in Elisæi sepulchro factum fuit, 2 Reg. XIII, 21.

Fuit sepulchrum Christi 2) *in petra excisum*, Matth. XXVII, 60. ne in suspicionem venirent discipuli ejus, quasi corpus istius abstulerint, Matth. XXVII, 64.

Fuit 3) *custoditum* & tam *lapide angulari*, quam *sigillo munitum*, Matth. XXVII, 64-66. ut non modo eo tutius in isto quiesceret, sed etiam custodes, lapis devolutus & infractum sigillum testes sint resurrectionis ejus, Matth. XXVIII, 11.

Fuit denique 4) *in horto situm*, Joh. XIX, 41. ut peccatum, quod in horto in mundum venerat, Gen. III. in horto iterum quasi defoderetur, Rom. VI, 4. Col. II, 12.

CAPUT XI.

DE REVIVISCENTIA CHRISTI.

Reviviscentia Christi primus exaltationis ejus gradus est, quia nemo propria virtute reviviscere potest. Per reviviscentiam plenissime

ſime uti incepit gloria divina, qua in ſtatu exinanitionis reſpectu plenarii uſus deſtitutus fuit.

Differt *reviviſcentia* a *reſurrectione*, ut antecedens & conſequens. Comparari poteſt cum expergefactione ex ſomno. Homo, qui e ſomno evigilat, non ſtatim e lecto ſurgit, nec ſurgere aliquis poteſt, antequam evigilavit.

Conſiſtit *reviviſcentia Chriſti* in reaſſumtione vitæ, Joh. X, 17. 18. Erat autem reviviſcentia Chriſti ſumme neceſſaria, quia alias redemtio hominum non perfecta fuiſſet. In morte enim ſi manſiſſet, non vitam nobis acquiſiviſſet, nec mortis potentiam demſiſſet, 2 Tim. I, 10.

Deus quidem ex morte expergefacere potuiſſet homines; ſed quia pœnam mortis luere debebant, ſine læſione juſtitiæ ſuæ id non facere potuit. Non perfecta enim fuiſſet pœna pro peccatis, ſi Deus ipſe peccatorem iterum ab ea liberaſſet. Talis gratia non locum habere potuit, antequam juſtitiæ divinæ ſatisfactum fuit.

Hanc ob cauſam Chriſtus, qui poteſtatem habuit, vitam & amittendi & iterum recuperandi, Joh. X, 17. 18. opus mediatorium in ſe ſuſcepit, ut non modo pro omnibus hominibus mortis pœnam ferret, ſed etiam propria virtute reviviſceret. Hac ratione omnibus, in eum credentibus, tam vitam ſpiritualem ſ. gratiam divinam, quam vitam æternam acquiſivit, 2 Tim. I, 10. Sic ex morte in vitam pervenimus, 1 Joh. III, 14. Joh. XIV, 6. in eam

eam ſcilicet vitam, quam in Filio Dei habemus, Joh. V, 11. 12.

Quæritur autem: *num Chriſtus propria virtute revixerit?* Scriptura S. expreſſe teſtatur, Chriſtum a Deo expergefactum eſſe, Act. II, 24. c. III, 15. c. V, 30. c. X, 40. Rom. IV, 25. c. VI, 9. 1 Cor. VI, 14. 2 Cor. IV, 14. At non aliter hoc factum eſt, quam per divinam Chriſti naturam.

Probare hoc poſſumus ex quatuor hiſce Scripturæ S. locis: Rom. VI, 4. c. VIII, 11. Joh. II, 19. 21. & c. X, 17. 18.

Ex Rom. VI, 4. cognoſcimus, Chriſtum expergefactum eſſe per *gloriam Patris.* Hæc gloria vero eſt ipſa divinitas Chriſti, quam a Patre per æternam generationem accepit. Vocatur iſte propterea ſplendor gloriæ Patris & imago eſſentiæ ejus, Hebr. I, 3.

Ex Rom. VIII, 11. liquet, Chriſtum expergefactum eſſe per *Spiritum S.* Hic Spiritus eſt Spiritus Chriſti, Rom. VIII, 9. Gal. IV, 6. 1 Joh. IV, 13. qui ab æterno ab eo procedit.

Ex Joh. II, 19. 21. diſcimus, Chriſtum corpus ſuum defunctum tanquam deſtructum templum propria virtute erexiſſe.

Ex Joh. X, 17. 18. patet, expergefactionem Chriſti factam eſſe ex ejus poteſtate divina, ſecundum quam propriæ ſuæ vitæ dominus eſt.

Quis non ex hiſce locis intelligat, Chriſtum vi divinæ ſuæ naturæ, atque adeo propria virtute revixiſſe?

CAPUT

CAPUT XII.

DE DESCENSU CHRISTI AD INFEROS.

Descensum Christi ad inferos multifariam interpretantur Theologi. Modo *proprie*, modo *improprie* illum intelligunt.

Silentio præteriri posset salva orthodoxia hic descensus ad inferos, si non primi confessores evangelicæ veritatis ex 1 Petr. III, 18-20. occasionem sumsissent, eum symbolo apostolico inserendi & tanquam articulum fidei in systema Theologicum introducendi.

Sunt, qui negant, descensum Christi ad inferos in prioribus post C. N. seculis in *symbolo apostolico* lectum esse. Attamen cum symbolum hoc cum mentione hujus descensus insertum sit libris symbolicis ecclesiæ nostræ, non possumus non eum quovis modo defendere, etsi in *symbolo Nicæno* omissus sit.

Interim cum in *Formula Concordiæ p. 613.* nil certi de hac doctrina doceatur, nemo hæreseos arguendus est, qui descensum Christi ad inferos improprie intelligat. Ipse B. LUTHERUS primum negavit *proprium descensum Christi*. in quo eum Flacius & alii secuti sunt. Postea vero in concione Torgæ habita A. 1533 proprium descensum quidem professus est, sed ita tamen explicuit, ut simul omnes inutiles & curiosas

riosas quæstiones præciderit atque ad piam fidei simplicitatem Christianos adhortatus sit. In hujus B. viri sententia *Formula Concordiæ* c. I. acquiescit, ita scribens: *Satis nobis esse debet, si sciamus, Christum ad inferos descendisse, infernum omnibus credentibus destruxisse, nosque per ipsum e potestate mortis & Satanæ, ab æterna damnatione atque adeo e faucibus inferni ereptos. Quo autem modo hæc effecta fuerint, non curiose scrutemur, sed hujus rei agnitionem alteri seculo reservemus.*

Quomodo olim inter nostrates Theologos super hoc Christi descensu ad inferos disceptatum fuerit, ipsa *Formula Concordiæ* c. I. exponit. Quæsitum enim est: *num iste descensus ante vel post Christi mortem factus sit; num quoad animam tantum aut sola divinitate, an vero quoad animam & corpus simul Christus descenderit;* itemque: *num spiritualiter, an vero corporaliter ejus descensus factus;* nec non: *utrum ad statum exinanitionis, an exaltationis referendus sit?* At non consultum esse judicat Formula Concordiæ, hac de re disputare, sed potius simplicissime articulum nunc credere & docere.

Calviniani proprium descensum Christi ad inferos prorsus negant. At datur quidem *improprius,* cum Christus infernales cruciatus nostri causa senserit, de quibus queritur Ps. XVIII, 5. 6. Ps. LXIX, 15. 16. sed improprius descensus proprium non tollit. Ille ad ejus statum exinanitionis, hic vero ad statum exaltationis pertinet.

Primarius locus, ex quo proprius & localis Christi descensus ad inferos probari solet, est 1 Petr. III, 18-20. ubi Christus *ζωοποιηθεὶς in spiritu abiisse & spiritibus in custodia, qui olim credere noluerunt Deo in diebus Noæ, prædicasse* dicitur.

Huc etiam trahere possumus loca Eph. IV, 8-10. & Col. II, 15. in quibus docetur, Christum in infima terræ loca s. ad inferos descendisse & de hostibus infernalibus triumphum egisse.

Ex hisce locis liquet, descensum Christi ad inferos pertinere ad statum exaltationis, factumque esse, simulac vitam ex morte receperit. Inferis s. damnatis spiritibus, qui quasi catenis tenebrarum vincti supremum judicium expectant, 2 Petr. II, 4. Jud. v. 6. Christus se tanquam victorem gloriosum, & qui nunc omnem potestatem in cœlis & terris super vivos & mortuos, nec non claves inferni & mortis habeat, Apoc. I, 18. sistebat. Hæc autem gloriosa manifestatio inprimis fiebat iis, qui temporibus Noæ per diluvium interierant, cum Spiritui S. non obedierint, comminationes divinas neglexerint, & verbo Dei non crediderint, Gen. VI, 3-5.

Hos itaque ut in statu damnationis de veritate divina convinceret Christus, se iis post mor-

mortem tanquam gloriosum & felicem generis humani redemtorem & salvatorem monstravit, & qua ratione caput serpentis infernalis contriverit, operaque diaboli dissolverit, ostendit. Vergebat hoc in glorificationem tam nominis divini, quam humanæ Christi naturæ.

Pontificii falso perhibent, Christum descendisse ad inferos, ut animas eorum, qui ante ejus nativitatem beate defuncti fuerint, e limbo patrum educeret. Provocant ad Zach. IX, 11. ubi autem de redemtione Christi in genere agitur.

CAPUT XIII.

DE

RESURRECTIONE CHRISTI.

Quomodo *resurrectio* Christi ab ejus *reviviscentia* differat, supra jam ostendimus.

Consistit illa in ejus reditu ex morte in vitam ad manifestandum se in terra.

Sumitur vox *resurrectionis* modo late, modo stricte. In sensu latiori, uti in symbolo apostolico fit, comprehendit simul reviviscentiam ejus, in sensu strictiori vero distinguitur ab eadem. Non negandum autem est, uno momento utramque simul cum descensu ad inferos factam esse.

Hic considerabimus *resurrectionem Christi*, quatenus a reviviscentia distinguitur.

Id, quod resurrexit, fuit *corpus Christi* redivivum, s. cum anima reunitum. Spectat itaque resurrectio magis ad corpus, quam ad animam. Anima enim spiritus est, qui nec moritur, nec se de loco in locum circumscriptive confert.

Corpus autem materiale & per se immobile est. Hinc semper certum locum circumscriptive replet & non nisi per animam inhabitantem se movere potest, quod tamen non aliter fit, quam de loco in locum.

Resurrectio itaque est certa species, sese de loco in locum movendi. Hinc non potest non corpori tribui, quatenus iterum cum anima unitum est.

Hoc factum est in Christo, cum revocaret quasi animam suam ex manibus Patris & cum corpore suo, ab omnibus infirmitatibus carnis liberato & glorificato, iterum uniret.

Dicitur propterea *corpus Christi*, quod resurrexit, *σῶμα τῆς δόξης*, h. e. *corpus gloriosum*, Phil. III, 21.

Hoc non aliud quidem fuit corpus, quam quod antea in cruce mortuum & postea sepultum est. Verum cum omnes ejus infirmitates, quas in incarnatione assumserat,

III He-

Hebr. II, 14. in reviviſcentia exuiſſet, omnino vocari poterat corpus glorioſum. Ante mortem corpus hominis, σκῆνος & σκήνωμα, h. e. *tentorium deſtructibile* eſt, quod in morte deponitur, 2 Cor. V, 1, 2 Petr. I, 14. in reſurrectione vero mutatur in corpus glorioſum.

Hæc *glorificatio* corporis humani, quæ fit in reſurrectione, optime depingitur 1 Cor. XV, 42. 43. 44. ubi corpus, quod ante mortem corruptibile, ignominioſum, infirmum & naturale eſt, in reſurrectione fieri dicitur incorruptibile, glorioſum, firmum & ſpirituale.

Easdem corporis proprietates etiam Chriſtus in reſurrectione induit, & quidem in ſenſu excellentiſſimo, quia ipſe autor & cauſa efficiens fuit omnis noſtræ reſurrectionis. Ejus enim corpori glorificato aſſimilabuntur corpora fidelium, Phil. III, 21.

Aſſumſit itaque Chriſtus reſpectu corporis in reſurrectione ſpirituales proprietates, 1 Cor. XV, 44. ſecundum quas clauſas portas penetrare, Joh. XX, 19. 26. & ſe inviſibilem reddere, Luc. XXIV, 31. potuit.

Interim recte deſcribitur *reſurrectio Chriſti* per reditum ex morte in vitam, ad manifeſtandum ſe in terra. Hoc autem non ſpiritualiter, ut Spinoza docuit, factum eſt, ſed corporaliter & realiter.

Ante mortem in vita versabatur. Ad eandem iterum redire debebat, si non ab hominibus perditus haberetur. Redibat igitur ex morte, in quam antea se dederat.

Interest vero hominum, de resurrectione hac certos esse, quia per eam redemtio Christi ad suam perfectionem pervenit, fidesque nostra maximum fulcimentum accepit, 1 Cor. XV, 17.

Facta autem est ea cum *multis singularibus circumstantiis*, ut eo certior & gloriosior coram hominibus redderetur. Prolixe narrantur istæ circumstantiæ ab evangelistis, quas hic repetere supervacaneum duco.

Præcipuæ sunt 1) descensus angeli ad recludendum sepulchrum, Matth. XXVIII, 2. 2) vacuitas loci, ubi Christi corpus sepultum jacuit, Marc. XVI, 6. 3) præsentia angelorum, resurrectionem Christi annunciantium, Matth. XXVIII, 5-7. Marc. XVI, 6. 7. Luc. XXIV, 4-7. Joh. XX, 12. 13. 4) apparitio defunctorum, qui cum Christo surrexerunt, Matth. XXVII, 52. 53. & 5) manifestatio ipsius Christi redivivi, quæ multifariam & per quadraginta dies facta est, Luc. XXIV, 15. 36. Joh. XX, 14-17. 19 sq. 26 sq. c. XXI, 1 sq. Act. I, 3. 1 Cor. XV, 5-8.

Annotabimus hic paucula circa hasce circumstantias. Fiebat

Fiebat resurrectio Christi *die tertio* post ejus mortem, non ex necessitate valoris, sed ex necessitate eventus, ut typus Jonæ in faucibus piscis per tres dies hærentis, Jon. II, 1. Matth. XII, 40. nec non prædictiones Christi, Luc. XVIII, 33. Joh. II, 19. implerentur. Sunt autem hi *tres dies* h. l. non ut perfecti dies considerandi, qui ex viginti quatuor horis constant, nec aliter, quam secundum computum Hebræorum, intelligendi, qui dies suos hora sexta vespertina incipiebant. Secundum hunc computum *primus* sepulti Christi *dies* incepit circa horam quartam aut quintam vespertinam diei veneris & duravit usque ad horam sextam ejusdem diei, qua dies Sabbathi, qui erat *alter dies*, incepit; & *tertius* denique *dies* initium cepit eadem hora vespertina hujus diei & duravit usque ad diem solis, quo Christus matutino tempore ante solis ortum surrexit. Recte hinc Salvator tertio die a mortuis resurrexisse dicitur.

Sepulchrum Christi ab angelo non aperiebatur, Matth. XXVIII, 2. ut per ostium ejus prodire queat, sed ut quilibet in istud intraret & vacuum locum, in quo jacuerat Jesus, cerneret. Nam corpus Christi ita glorificatum erat, ut clausis januis domos intrare posset, Joh. XX, 19. quidni per clausum sepulchrum pe-

netrasset, cum sua majestate & potentia omnia impleret?

Defuncti, qui cum Christo surrexerunt, fuerant testes salutiferi effectus resurrectionis ejus. Hinc non aliorum, quam sanctorum hominum corpora e sepulchris exiisse dicuntur, Matth. XXVII, 52. Per sepulturam Christi clausa hominum sepulchra ita quasi conquassabantur & recludebantur, ut postea per ejus resurrectionem corpora, in iis sepulta, in vitam redire potuerint. Christus quasi diruptor fuit portarum mortis, vi cujus omnes mortui aliquando in vitam redibunt, Mich. II, 13.

CAPUT XIV.

DE ADSCENSIONE CHRISTI IN COELOS.

Adscensio Christi in cœlos non propter semet ipsum, sed propter nos homines facta est. Christus enim in statu exaltationis ubique suum habet cœlum s. gloriam cœlestem, Joh. III, 13. Matth. XXVIII, 20. quid igitur opus ei fuisset adscensione in cœlos?

Potuisset locum ad dextram Patris occupare, s. incipere, plenarie uti divina sua gloria, licet post resurrectionem a mortuis nunquam se hominum oculis monstrasset; at quia discipuli & alii

alii fideles de resurrectionis ejus veritate certi fieri debebant, omnino necessarium fuit, ut se iis vivum ostenderet; & ut scirent, quo se Dominus contulerit, in eorum *conspectu ad cælum* adscendere voluit.

Est itaque *adscensio Christi in cælos* plena solaminis pro fidelibus in hac vita. Sciunt enim nunc 1) quod regnum ejus non sit de hoc mundo, Joh. XVIII, 36. 2) quod omnia consummaverit, quæ ad redemtionem generis humani requirebantur, Joh. XIX, 30. Luc. XXIV, 26. 3) quod mortalibus oculis non prius se visibilem redditurus sit, quam die novissimo, quo redire vult ad judicium, Act. I, 11. 4) quod nusquam alibi quærendus sit, quam in cœlo s. ad dextram Patris, Col. III, 1. 2. 5) quod pro nobis habitationes in cœlo paraverit, Joh. XIV, 1-3. c. XII, 26. 6) quod in mundo non simus domi, Hebr. XIII, 14. Phil. III, 10. & 7) quod porta cœli nobis nunc pateat, Act. VII, 56. 2 Petr. I, 11.

Adscensio Christi in cœlos erat 1) *visibilis*. Fiebat Bethaniæ haud procul ab urbe Hierosolyma, Luc. XXIV, 50. & quidem in monte olivarum, Act. I, 12. præsentibus discipulis suis, Act. I, 9. 10. qui testes ejus esse debebant.

Erat 2) *miraculosa*, quia propria virtute divina, cum humana ejus natura communicata, (quod per dextram Dei factum esse dicitur, Act. II, 33. c. V, 31.) corpus suum sensim in altum elevabat, usque dum per nubem conspectui hominum subducebatur, Marc. XVI, 19.

Luc. XXIV, 51. Act. I, 9. 10. Supra omnes cœlos adſcendiſſe dicitur, Eph. IV, 10.

Erat denique 3) *glorioſa*, quia ipſum non modo inviſibiliter comitabantur ſancti, qui cum eo prodierant ex ſepulchris, ſed iſte etiam cum jubilo & plauſu excipiebatur ab omnibus angelis, obviam ei quaſi euntibus, Pſ. XLVII, 6. 7. Duo ex iis apparebant diſcipulis ejus, ut certiores eos redderent de reditu ejus, Act. I, 10. 11. Et quid glorioſius de eo dici potuit, quam quod ad Patrem cœleſtem ejusque dextram ſe per ſuam adſcenſionem extulerit? Joh. XX, 18.

Cum Chriſtus ſemel tantum in cœlos adſcenderit, Hebr. IX, 12. *Sociniani* errant, quando ex Joh. III, 13. plures adſcenſiones in cœlos fingunt.

Nec depoſuit Chriſtus in adſcenſione corpus ſuum, nec novum ſpirituale aſſumſit, quia humanam naturam & corpus ſemel aſſumtum in æternum retinet, Act. I, 11. Apoc. I, 7. coll. Joh. XIX, 37.

CAPUT XV.

DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTRAM PATRIS.

S*edere ad dextram Patris* eſt dictio metaphorica, deſumta ab antiquo uſu orientalium regum, qui ad ſuam dextram eos ſedere jubebant,

bant, quos præ aliis honorare volebant, 1 Reg. II, 9. In consortium regni talis persona quasi recipiebatur, quia sceptrum in dextra regis medium locum habet, si aliquis ad eam sedet, Ps. XLVII, 9. Matth. XX, 21.

Adscribitur Deo in Scriptura S. *thronus* s. *sella*, per quam divinum ejus dominium & imperium super omnes ejus creaturas intelligitur, Ps. XI, 5. Ps. XLV, 7. 9. Ps. CIII, 19. Jes. LXVI, 1. Matth. V, 34. c. XXV, 31. In hoc throno igitur sedere, idem est ac divino dominio & imperio frui.

Sessio itaque *ad dextram patris* nil aliud significat, quam participationem plenarii usus omnis potestatis, dominii & regiminis, quo Pater cœlestis ab æterno gaudet.

Dextra Dei non est certus aliquis locus, sed ipsa omnipotentis Dei virtus, quæ cœlum & terram replet, Exod. XV, 6. Ps. XX, 7. Ps. LXIII, 9. Ps. LXXVII, 11. Ps. CXVIII, 16. Jes. XLI, 10. Ad eam igitur evectum esse, idem est ac divinæ majestatis & imperii participem factum esse, quod de Christo asseritur Ps. CX, 1. Matth. XXII, 44. Act. II, 34. 35. Hebr. I, 3. 13. Marc. XVI, 19. Rom. VIII, 34. Matth. XXVI, 64. Act. VII, 56. Col. III, 1. Eph. I, 20. Hebr. XII, 2.

Jure meritoque hinc dicere potuit Christus: *mihi data est omnis potestas in cœlis & terris*, Matth. XXVIII, 18.

Regit enim totum terrarum orbem & inprimis ecclesiam, Eph. I, 21. 22. 1 Cor. XV, 25.

Act.

Act. X, 36. dominaturque omnibus suis hostibus, Ps. CX, 2.

Vocatur autem hoc *sessio ad dextram Patris*, quia respectum habet ad Filium Dei, cui soli tribuitur hæc sessio, & quidem non secundum divinam, sed tantum secundum humanam naturam, quæ ad summum divinæ gloriæ fastigium evehenda erat consummato redemtionis opere, Phil. II, 9-11.

Maximum ex hac sessione fideles in suis calamitatibus & afflictionibus capiunt solatium. Dum enim sciunt, Christum, in quo omnem fiduciam ponunt, ad dextram omnipotentis Dei sedere, non dubitant, quin quoque pro iis intercedat, Rom. VIII, 34. 1 Joh. II, 1. & omne auxilium iis præstet, Act. VII, 56.

Erigunt igitur animum diligenter ad eum, qui sedet ad dextram Dei & quævis bona inde sperant, Col. III, 1. Hebr. XII, 2.

Errant hic omnes, qui per sessionem Christi ad dextram Patris proximum a Deo gloriæ gradum aut honoratiorem cœlestis beatitudinis locum intelligunt, nec non qui cum VALENTINO WEIGELIO asserunt, sessionem Christi ad dextram Dei statim in ejus incarnatione factam esse.

Probe etiam distinguenda est sessio hæc Christi ab ea sessione in throno ejus, quam suis fidelibus promittit, Apoc. III, 21. Nil aliud

aliud hæc ſignificat, quam participationem gloriæ Chriſti, quam in inferiori gradu impetrabunt omnes, qui usque ad finem vitæ in eum credunt.



SECTIO III.

DE TRIPLICI OFFICIO CHRISTI.

CAPUT I.

DE OFFICIO CHRISTI IN GENERE.

Chriſtus in mundum venit, ut certas obiret functiones, quæ ad conciliandam inter Deum & homines pacem ſpectabant. Hæ functiones conſtituunt munus aut officium aliquod, quod in genere *mediatorium* dici ſolet, quia mediator factus eſt Chriſtus inter Deum & homines, 1 Tim. II, 5. Hebr. IX, 15.

Munus hoc Chriſtus obibat non tantum ſecundum divinam naturam, ut *Oſiandriſtæ* perhibent; nec tantum ſecundum humanam naturam, ut *Stancariſtæ* cum certis *Pontificiis* docent, ſed ſecundum utramque naturam. Conjunxit pro-

propterea in ſua perſona divinam & humanam naturam, ut quaſi medius ſit inter Deum & homines.

Inter ambos conciliavit pacem, Eph. II, 14. Col. I, 20. hominesque Deo placavit, 2 Cor. V, 19. Eph. II, 16. Col. I, 19.

Chriſtus eſt ſolus & unicus *mediator*, nec præter illum alii ſtatuendi ſunt, 1 Tim. II, 5.

Valde hic errant *Pontificii*, qui *plures mediatores* conſtituunt inter Deum & homines. Non modo B. Maria virgo tanquam mediatrix multum apud eos valet ſua auctoritate, ſed confugiunt etiam in ſuis calamitatibus ad defunctos ſanctos, ut per eos gratiam auxiliumque Dei impetrent.

Ante aliquot annos JUSTUS MART. GLÆSENERUS, Theologus Hildeſienſis, quæſtionem movit: *num Pontificii præter Chriſtum plures venerentur mediatores?* Ipſe in eorum favorem id negavit, alii autem iſtud ſatis evidenter probaverunt.

Diſtinguunt quidem *Pontificii* inter mediatorem redemtionis & interceſſionis, nec non inter mediatorem primarium & ſecundarium, vocantque ſolum Chriſtum *mediatorem redemtionis*, nec non *mediatorem primarium*, cujus reſpectu Maria virgo & defuncti ſancti tantum mediatores ſecundarii & ab eo dependentes ſint, qui pro vivis tantum apud Deum intercedant.

Verum, ut taceam, voces *interceſſionis* & *mediationis* unius ejuſdemque fere ſignificationis eſſe, ex ſacris literis ſatis patet, neminem aliqua apud

apud Deum auctoritate valere posse, quam qui propria virtute divinam gratiam sibi conciliavit, quod solus Christus fecit, Rom. V, 15. 18. 19. 2 Cor. V, 21.

Hic enim est, qui redemtione sua non modo totius generis humani mediator, sed etiam solus ejus intercessor apud Deum factus est, ut suo loco docebimus. Orare quidem debemus pro aliis ad Deum & Christum, sed non praeter Christum alios invocare, ut pro nobis intercedant.

Intercessio haec ad solius Christi officium mediatorium pertinet. Sicut ille opus redemtionis sine ullius adjumento perfecit, Ps. XXII, 12. Jes. LXIII, 3. Ps. LXIX, 9. 21. Luc. IV, 23. Matth. XXVI, 56. ita etiam solus vult esse noster intercessor apud Deum.

Officium Christi mediatorium tantae dignitatis & auctoritatis est, ut ad istud singulari modo unctus sit. Fert propterea nomen *Christi* h. e. *uncti*, uti jam pluribus audiemus.

Debebat autem Christus respectu sui officii mediatorii 1) partes dissidentes, scilicet Deum & homines, sibi invicem reconciliare, 2) factam reconciliationem parti offendenti, scilicet hominibus, annunciare & 3) reconciliatos homines in acquisita bona introducere. *Triplex* hinc est ejus *officium mediatorium*. Primum & primarium est *sacerdotale*, alterum *propheticum* & tertium *regium*, Jes. XXXIII, 22. Apoc. I, 5. 6.

De singulis in certis capitibus agemus, si antea aliqua de unctione Christi praemisimus.

CAPUT

CAPUT II.

DE

UNCTIONE CHRISTI.

U*nctio Christi* non proprie, sed metaphorice intelligenda est. Ejus typus fuit illa unctio, qua in V. T. reges, prophetæ & sacerdotes ad officia sua recens accepta inaugurabantur. Fiebat certo oleo in pharmacopoliis arte præparato, Exod. XXX, 25.

Sic uncti sunt oleo hoc sancto *sacerdotes*, Exod. XXX, 30. c. XL, 13. 15. Lev. IV, 3. *reges*, 1 Sam. X, 1. 1 Reg. I, 39. 2 Reg. IX, 6. & *prophetæ*, 1 Reg. XIX, 16. Ps. LV, 15. Per hanc unctionem quasi segregabantur ab aliis hominibus.

Oleum unguentarium ex præstantissimis aromatibus, quæ suavissimum odorem exspirabant, compositum erat. Ejus odor penetrabat totum corpus & dabat de dignitate officii, ad quod per istud dicti homines consecrabantur, luculentum testimonium. Egregie per oleum hoc depinguntur dona Spiritus S. quorum in unctione reges, sacerdotes & prophetæ participes reddebantur, ut eo fidelius & efficacius officiis suis fungerentur. Penetrant hæc dona æque ac præstantissimum oleum unguentarium totum hominem, replentque eum simul suavissimo odore coram Deo & hominibus.

Unctio hæc typus fuit *collationis donorum Spiritus S.* quæ Christo facta est ad rite obeun-

obeundum officium suum mediatorium, Jesaiæ XI, 2.

Vocatur *unctio*, ut inde pateat typus V. T. Ita enim David cecinit: *unxit te, o Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ sociis tuis*, Psalm. XLV, 8. Hebr. I, 9.

Exinde cognoscitur 1) quod *Deus* Christum unxerit, 2) quod unctio *oleo lætitiæ* facta sit, & 3) quod ista aliorum unctionem præstantia sua multum antecedat.

Dum *Deo* unctio Christi tribuitur, ista non potest non facta esse secundum humanam ejus naturam. Secundum divinam naturam prorsus non fieri potuit, 1) quia Christus secundum eam ipse fuit unctor, & 2) quia unctio non ab æterno, sed in tempore facta est, Dan. IX, 24.

Per *oleum lætitiæ* nil aliud intelligi potest, quam *Spiritus S.* Act. X, 38. Jes. LXI, 1. Luc. IV, 1. 18. 19. Jes. XLII, 1. Matth. III, 16. Joh. I, 32. 33. & quidem respectu *donorum* ejus administrantium & sanctificantium, quæ homines plenos reddunt *lætitia* h. e. *παῤῥησία*, auctoritate & tranquillitate animi, Rom. XIV, 17. Luc. X, 21. 22. Ps. LXXXIV, 3. Jes. XXV, 9. c. LXI, 10. Hab. IV, 18.

Socii Christi h. l. sunt sacerdotes, reges & prophetæ V. T. qui una eademque cum ipso obierunt officia, hac tamen cum distinctione, ut Christus tantum spiritualiter & cum multo majori auctoritate & dignitate iisdem functus sit,

quam illi. Unctus igitur dicitur *præ sociis suis* quia 1) non ab hominibus, sed ab ipso Deo, 2) non oleo naturali & externo, sed spirituali & interno, 3) non in ætate adulta, sed jam in utero materno, 4) non modice, sed immodice, & 5) non ad obeunda tantum temporalia, sed simul æterna officia unctus est.

Distinguenda autem est unctio Christi a *communicatione idiomatum*. In *unctione* humana ejus natura tantum dona Spiritus S. administrantia & sanctificantia & quidem in summo gradu, in *communicatione* vero *idiomatum* utraque ejus natura alterius naturæ idiomata & proprietates accepit.

Ex unctione ortum est nomen *Messias* & *Christus*, quod nomen officii mediatorii est. Sub hoc nomine venerabantur omnes fideles V.T. eum, qui venturus erat in mundum, 2 Sam. XXIII, 1. Dan. IX, 25. 26. Joh. I, 41. c. IV, 25. Luc. II, 11.

Est hoc adhuc in N. T. commune nomen Salvatoris nostri. Ipsi homines, qui castra ejus sequuntur, inde nomen *christianorum* acceperunt, Act. XI, 26. Nomen hoc istos non modo personæ Christi & ejus meriti, sed etiam suæ propriæ unctionis spiritualis constanter memores reddere potest.

CAPUT III.

DE OFFICIO CHRISTI PROPHETICO IN GENERE.

Officium hoc nomen suum habet a *prophetis*, qui in V. T. interpretes voluntatis divinæ fuerunt. Vocabantur primum רֹאִים, 1 Sam. IX, 9. nec non חֹזִים, 2 Chron. XXXIII, 18. h. e. *videntes*, quia futura per visiones cognoscebant. Postea appellati sunt נְבִיאִים, h. e. *vates* & *vaticinatores* a נָבָא, vaticinatus est. Significantur igitur homines, qui arcana Dei noscunt eaque revelant.

Primus, qui nomen hoc in scriptura S. tulit, fuit *Abraham*, Gen. XX, 7. Dicitur propterea *amicus Dei*, Jac. II, 23. coll. Sap. VII, 27. quia arcana alicujus nosse, signum singularis amicitiæ est. Alii nomen נְבִיאִים derivant a נוּב, *eloqui*, Prov. X, 31. Zach. IX, 17. quia quasi præcones & oratores sint. Significatio hæc ad officium eorum non male quadrat.

Commune nomen est *propheta* s. *προφήτης*, a *προφητεύειν* descendens, quæ vox non modo idem significat, ac vaticinari s. futura prædicere, Matth. XV, 7. Joh. IV, 19. c. XI, 57. sed etiam a) res sacras & verbum Dei publice exponere, 1 Cor. XIV, 1. 3. 4. 5. 24. 31. Exod. VII, 1. 2. b) cantica ad laudem Dei, & quidem instinctu Spiritus S. recitare, Luc. I, 67.

ad exemplum regis Sauli, 1 Sam. X, 5. 6. 10. & c) vocem suam concentibus publicis immiscere, 1 Cor. X, 4. 5. Exod. XV, 20. 21.

Ex omnibus hisce patet, quod in sensu strictiori *propheta* fuerit amicus Dei, cui arcana voluntatis divinæ in eum finem revelata fuerunt, ut hominibus, ad quos missus fuit, ista ad divini nominis gloriam & eorum salutem ac solatium exponeret, Amos. III, 7. Ps. XXV, 14. Prov. III, 32. Ut vero talis propheta, fidem faceret verbis suis, Deus eum simul instruxit dono, miracula patrandi, Joh. IV, 48. Exod. IV, 1 sq. 17. Jes. VII, 11. Joh. XX, 31.

Omnes prophetæ fuerunt *typus Christi*, summi nostri prophetæ, ad nos a Deo ad revelanda arcana voluntatis suæ missi, ut per suam revelationem Patris sui cœlestis gloriam nostramque salutem temporalem & æternam promoveat, Joh. I, 18. Luc. X, 22.

Hic est ille *magnus propheta*, quem *Moses* tanquam sui similem ob familiarissimum cum Deo consortium singularemque θαυματουργίαν, & quod simul dux populi fuerit, prænunciavit, Deut. XVIII, 18. 19. Act. III, 22. 23. c. VII, 37. & qui inter Judæos magno desiderio expectatus est, Joh. VI, 14. Luc. VII, 16.

De summa ejus dexteritate, fidelitate & aliis excellentibus *qualitatibus*, quæ magnum prophetam decent, multa in sacris literis leguntur testimonia, quorum præcipua Ezech. XXXIV, 11 - 16. Jes. L, 4. c. LXI, 1 - 3. c. XLII, 1 - 4. 6. 7.

6. 7. Joh. III, 2. Act. X, 38. & Matth. XXII, 16. occurrunt.

Inter *nomina*, quæ respectu hujus officii Christo in sacris literis dantur, præcipua sunt: *Rabbi* h. e. *magister*, Matth. XXIII, 8. Joh. XI, 28. *apostolus*, Hebr. III, 1. *doctor*, Joh. III, 2. *via & veritas*, Joh. XIV, 6. *fidus & verax testis*, Apoc. I, 5. c. III, 15. *sapientia*, Matth. XI, 19. *consiliarius*, Jes. IX, 6. *bonus pastor*, Joh. X, 12. ἈΡΧΙΠΟΙΜΗΝ s. *pastorum princeps*, 1 Petr. V, 4. *episcopus animarum*, 1 Petr. V, 25. *lux mundi*, Joh. I, 9. c. VIII, 12. *stella lucida & matutina*, Apoc. XXII, 16. & *sol justitiæ*, Mal. IV, 2.

Inter omnia hæc nomina præcipuum est nomen *pastoris*, quod quidem simul respectum habet ad cætera Christi officia, maxime tamen munus propheticum indicat, ut ex Ezech. XXXIV, 11-16. patet. Non modo se ipsum ita nuncupavit Joh. X, 12. sed etiam a prophetis V. T. & apostolis N. T. ita vocatus est, imo ii ipsi, per quos officium suum propheticum administrat, nomen *pastorum* acceperunt tam in V. T. Jer. III, 15. Ezech. XXXIV, 2. 10. quam in N. T. Eph. IV, 11.

Operæ pretium autem est, specialiter nunc agere 1) de administratione hujus officii, 2) de doctrina, quam Christus in munere hoc docuit, & 3) de miraculis, quibus veritatem doctrinæ suæ confirmavit.

CAPUT IV.

DE ADMINISTRATIONE OFFICII PROPHETICI.

Hæc duplex eſt, *mediata* & *immediata*. *Mediata* fiebat per prophetas in V. T. & per apoſtolos in N. T. continuaturque usque ad diem extremum per verbi divini miniſtros, qui expreſſe propterea *prophetæ* nuncupantur, Matth. XXIIII, 34. Act. XV, 32. *Immediata* vero *administratio* facta eſt per eum ipſum, cum in terra ambularet.

Chriſti officio prophetico acceptam referre debemus omnem Dei noſtræque ſalutis notitiam, & quicquid hominibus de rebus divinis & ſpiritualibus ſcitu neceſſarium eſt. Quod autem non ipſe immediate ad tempus docuit, id mediate per alios docere juſſit.

In V. T. factum hoc eſt per *prophetas*, per quos non ſolum extraordinarie miſſi præcones verbi divini, quales *Moſes*, *Samuel*, *Elias*, *Eliſæus*, *Jeſaias*, *Jeremias*, *Jonas* &c. fuerunt, ſed etiam alii homines intelliguntur, quibus donum prophetandi datum erat, inter quos etiam certæ mulieres e. g. *Mirjam*, Exod. XV, 20. *Debora*, Jud. IV, 4. *Hulda*, 1 Reg. XXII, 14. *Noadia*, Neh. VI, 14. *Hanna*, Luc. II, 36. numerantur.

In

In primis huc referendi sunt *patriarchæ*, Gen. XX, 7. c. XXI, 33. & sancti isti viri, qui impulsu Spiritus S. locuti sunt, 2 Petr. I, 21. 2 Sam. XXIII, 2. e. g. *Hiob, David, Salomon, Daniel* &c. nec non omnes, qui in interpretanda lege & voluntate divina occupati fuerunt, 1 Sam. X, 10. 1 Reg. XVIII, 4. c. XXII, 6. Jer. XXIII, 16-38. Ps. LXVIII, 12.

Ex his nonnulli verbum Dei literis mandabant, qui propterea סֹפְרִים, h. e. *scribæ* vocabantur, Jer. VIII, 8. 9. Temporibus Christi tales verbi divini ministri dicebantur νομικοὶ, γραμματεῖς & νομοδιδάσκαλοι, h. e. legis periti & legis doctores, qui in Mosis cathedra sedebant, & propterea audiendi erant, Matth. XXIII, 2. 3.

His omnibus concredidit Christus in V. T. verbum suum per visiones, somnia, inspirationes & oracula, ut illud partim ore doceant, Ps. LXXIV, 9. Jer. XXII, 29. c. XXIII, 28. c. XXXII, 33. Luc. I, 76. partim literis consignent ad legendum istud, Jer. VIII, 8. 9. 2 Tim. III, 16. Joh. V, 39. Posuit igitur non modo verbum suum in ore eorum, Jer. I, 9. c. V, 14. Jes. LI, 16. 1 Reg. XVII, 24. sed ipse quoque per eosdem locutus est, Ps. XL, 8-10. Jes. L, 4. c. LX, 1. Ezech. III, 17 sq. c. XXXIV, 11. 12. imo Moses ab ipso in monte Sinai legem accepisse dicitur, Act. VII, 38.

Jure meritoque hinc Christus vocatur 1) *verbum Dei* s. λόγος ὑποστατικὸς, Ps. XXXIII, 6.

Joh. I, 1-3, 14. quia inter divinas personas munus interpretis apud homines obiit, & 2) *angelus Dei*, quia legationem divinam ad homines reconciliandos in se suscepit, Mal. III, 1. quapropter etiam plerumque sub hoc nomine in scriptura V. T. intelligendus est, e. g. Gen. XVI, 7 sq. c. XIX, 1. 24. c. XXXII, 24 sq. coll. c. XLVIII, 16, it. Exod. III, 2. c. XIV, 19. c. XXIII, 20-22. coll. 1 Cor. X, 4. it. Hiob. XXXIII, 23. Act. VII, 38.

Si itaque Christus jam in V. T. officio prophetico functus est, multo magis eo fungitur in N. T. & quidem tam mediate, quam immediate.

Ii, per quos *mediate* officium suum propheticum in N. T. administrat, sunt *ministri verbi divini*, inter quos primi fuerunt *apostoli*, Luc. VI, 13. *apostolicique viri*, quos Christus non solum immediate vocavit, Matth. IV, 18-21. Joh. I, 43 sq. Matth. IX, 9. c. X, 1-4. Luc. X, 1. 17. Act. I, 24-26. c. IX, 4-6. 15. 16. sed etiam immediate misit ad prædicandum verbum suum, & quidem primum ad Judæos, Matth. X, 5-8. postea vero etiam ad omnes gentes, Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Luc. XXIV, 47. Act. XIII, 46. Cæteri *ecclesiæ doctores* non aliter quam mediate ad munus sacrum vocantur & ordinantur, Act. VI, 3-6. 1 Cor. XII, 28. Eph. IV, 11.

Hi omnes officio suo funguntur in nomine *Christi*, qui princeps pastorum & episcopus animarum

marum est, 1 Petr. V, 4. Eorum curæ demandavit gregem suum s. ecclesiam, Act. XX, 28. 1 Petr. V, 2. & quidem cum hac declaratione, quod omnes, qui eos audiant, ipsum audiant, Luc. X, 16.

Plura de ministerio verbi divini suo loco dicentur. Hoc adhuc hic attulisse juvat, quod *Johannes Baptista* princeps fuerit prophetarum s. ministrorum ecclesiæ in N. T. Matth. XI, 9-11. Luc. VII, 28. Erat Christi præcursor, qui corda hominum ad fidem in eum præparavit, Joh. I, 6-8. 26-37. Jes. XL, 3-5. Matth. XI, 10. 12. 13. Luc. I, 15-17. 76. 77. Prænunciabatur in V. T. tanquam *alter Elias*, Mal. IV, 5. Matth. XI, 14. c. XVII, 12. Marc. IX, 13. Luc. I, 17. & *angelus, Dominum præcedens*, Mal. III, 1. Matth. XI, 10. Marc. I, 2. Luc. VII, 27. nec non tanquam *vox clamantis in deserto*, Jes. XL, 3. Matth. III, 3. Marc. I, 3. 4. Luc. III, 4. Joh. I, 23. Fuit quasi *aurora*, quæ ortum solis justitiæ & diluculum diei salutis annunciavit, Joh. I, 8. 9. Fecit hoc Johannes non modo per prædicationem evangelii, Matth. III, 1. 2. Joh. I, 8. 15-18. & manifestationem Christi inter homines versantis, Joh. I, 26. 27. 29-36. sed etiam per baptismum, initiationis sacramentum, Marc. I, 4. 5. Joh. I, 25. 26. 28. 33.

Non solum autem mediate, sed etiam *immediate* Christus officium propheticum obiit. Inaugurabatur ad istud per visibilem Spiritus S.

 super

super eum descensum, ut significaretur, quod vere ad officium hoc unctus sit, Matth. III, 16. 17. Joh. I, 32. 33. Aggrediebaturque fungendum hoc munus suum per tentationem in deserto, Matth. IV, 1-11. qua finita incipiebat docere in Galilæa, Matth. IV, 12-17. Luc. IV, 14. 15. Joh. II, 1-11. Act. X, 36. 37. idque continuabat per cæteras regiones Judaicas.

Præstitit autem se verum prophetam non modo docendo, & miracula patrando, sed etiam vaticinando. *Vaticinatus* enim *est* non modo de se ipso & sua passione, morte & resurrectione, Luc. XVIII, 32. 33. Joh. II, 19. Matth. XII, 40. sed etiam de fatis apostolorum, Matth. X, 17. 18. Joh. XVI, 2-4. Luc. XXI, 12. 13. de interitu reipublicæ Judaicæ urbisque Hierosolymæ, Luc. XIX, 41-44. c. XXI, 6. 20-24. Matth. XXIII, 38. c. XXIV, 15 sqq. & de interitu mundi, judicioque extremo, Luc. XXI, 25 sq. Matth. XXIV, 29 sq. c. XXV, 31 sq.

Per quatuor fere annos officio prophetico fungebatur, at non tamen in certo loco, sed, uti jam audivimus, per totam Judæorum terram cis & trans Jordanum. Constabat tunc terra hæc ex diversis provinciis, scilicet Judæa, Galilæa, Samaritana regione & Peræa s. Trachonitide. Omnes has regiones peragrabat, Act. X, 38. Potissimum autem docebat in Galilæa, Marc. I, 39. Matth. IV, 23. Joh. VII, 1. contemtissima tunc apud Judæos regione,

gione, Joh. I, 46. c. VII, 41. 52. In Judæam vero veniebat tantum tempore festi paschatos, quod Hierosolymæ celebrabatur. Frequentabat tunc quotidie templum & docebat in ejus atriis populum, noctu vero commorabatur Bethaniæ ad radicem montis olivarum, Luc. XXI, 37. Joh. VIII, 1. 2.

Egit semper prudenter, intrepide, efficaciter, eloquenter & studiose. Non habebat respectum personarum, Matth. XXII, 16. Amabat methodum parabolicam, Matth. XIII, 34. 35. Loquebatur summa cum auctoritate & efficacia, Matth. VII, 29. Marc. I, 22. Luc. IV, 32. Antecedebat eloquentia omnes legis doctores, Matth. VII, 28. Joh. VII, 46. & monstrabat tantam sapientiam, ut super ea quilibet obstupesceret, Matth. XIII, 54-56. Merebatur propterea præ omnibus titulum *magistri*, Matth. XXIII, 8. Joh. XIII, 13.

Fungebatur autem officio suo prophetico non solum docendo & vaticinando, sed etiam miracula faciendo, Joh. III, 2. c. X, 25. 38. c. XIV, 11. Matth. XI, 2-5. Per hæc confirmabat doctrinæ suæ veritatem, quod etiam fecit per vitæ suæ sanctimoniam, Joh. VIII, 46. & suum martyrium, Jes. LIII, 10-12.

Jure meritoque hinc dici poterat *propheta potens opere & sermone coram Deo & omni populo*, Luc. XXIV, 19. Ipse JOSEPHUS appellavit Jesum propter ejus miracula *in Antiq. Jud. L. XVIII. c. 4.* *παραδόξων ἔργων ποιητὴν*, h. e. *mirabilium operum effectorem*.

CAPUT

CAPUT V.

DE DOCTRINA CHRISTI, SUMMI PROPHETÆ.

Judæi mirabantur ejus doctrinam, & cum bene noverint, ipsum in scholis doctorum istam non didicisse, nesciebant, unde sapientiam suam mirificam petierit, Matth. XIII, 54. Sed ipse satis clare iis id indicabat dicendo: *doctrina, quam doceo, non mea est, sed mei Patris, qui me misit*, Joh. VII, 16. c. XIV, 24.

Didicit eam in sinu Patris cœlestis, h. e. particeps factus est ejus per communicationem divinorum idiomatum, Joh. I, 18. c. VIII, 38. Matth. XI, 27. Testatur propterea, se non aliter loqui, quam a Patre doctus sit, Joh. VIII, 28. c. XII, 50. Erat etiam doctrina ejus ita comparata, ut facile pro divina haberi potuerit, Joh. VII, 17. Verba enim, quæ proferebat, erant πνεῦμα καὶ ζωὴ, h. e. *plena divinæ virtutis & vitæ*, Joh. VI, 63. 69.

Habebatur doctrina ejus a Judæis pro *nova*, Marc. I, 27. quia a communi doctrina Pharisæorum & legisperitorum differebat 1) methodo, 2) perspicuitate, 3) applicatione, 4) argumentatione, 5) rerum sublimitate & 6) miraculorum demonstratione. Per se autem nil novi erat, quod Christus docebat. Prophetæ in V. T. idem docuerunt, quapropter etiam Christus

Christus Mosem & prophetas audire jussit omnes, qui vitam æternam consequi volebant, Luc. XVI, 29.

Nova temporum facies in implendis vaticiniis de promisso Messia occasionem dabat, verbum Dei & explicandi & proponendi. Nova hæc temporum facies plerumque *tempus visitationis divinæ* vocatur, Luc. XIX, 44. c. I, 68. 78. c. VII, 16. Marc. I, 15. 2 Cor. VI, 2. Requirebat illa aliam doctrinæ divinæ propositionem, quam in V. T. in quo de Messia venturo, per varios typos præfigurato, agebatur. Nunc vero, cum Messias venisset, lex ceremonialis tollebatur, Rom. X, 4. & omne, quod de ipso vaticinati erant prophetæ, implebatur.

Constabat autem omnis Christi doctrina ex *lege* & *evangelio*, quæ summa sunt totius Scripturæ S.

Evangelium, quod in V. T. itidem ut in N. T. doctum fuit, hominibus nunc multo clarius prædicabatur, Matth. IV, 22. Marc. I, 14. 15. Luc. IV, 43. Cum enim evangelium de Christo redemtore agat, in cujus merito, fide apprehenso, omnis remissio peccatorum, Act. X, 43. Eph. I, 7. atque adeo etiam omnis nostra salus æterna, Act. IV, 12. c. XV, 11. ponenda est, non potuit non doctrina evan-

gelii

gelii temporibus Christi omnis sacri sermonis præcipua materia esse, quia Christus jam non modo in mundo erat, sed ipse etiam magnum doctorem agebat. Pertinebat largior evangelii prædicatio ad ipsa signa adventus Messiæ, Matth. XI, 5. Hoc autem nunc non amplius fiebat per typos & obscura vaticinia, sed verbis clarissimis, sicut interpretem Dei apud homines decet.

Legem vero non propterea neglexit Christus, sed diligenter quoque docuit, uti inprimis ex ejus concione montana, Matth. V. & ex verbis patet, quibus impœnitentibus & incredulis hominibus gravitatem iræ pœnæque divinæ indixit, Matth. XXIII. Luc. XIX, 41-46.

Quæritur vero: *num Christus etiam novas leges dederit?* A Socinianis & Arminianis, nec non Photinianis hoc quidem affirmatur, ab omnibus orthodoxis Theologis autem negatur. *Legislator* quidem dicendus est, quatenus non solum Mosi ex suis manibus in monte Sinai legem divinam dedit, Act. VII, 38. sed quatenus etiam ipse rex & caput ecclesiæ est, in quem auctoritas legislatoris competit. Attamen non propterea *novus legislator* fuit. Legis Mosaicæ doctrinam quidem explicavit, & a corruptelis Pharisæorum vindi-

vindicavit, verumque a Deo intentum sensum indicavit & ad statum Christianismi accommodavit, Matth. V, 17-48. c. XXII, 36-40. Luc. X, 25-37. c. XIV, 3-5. Marc. III, 2-4. Matth. XII, 1-8. imo novum obligationis fundamentum per meritum suum posuit, Joh. XIII, 34. c. XV, 12. conf. 1 Joh. II, 7. sed non tamen propterea novas leges morales, per quas legem Mosaicam suppleret, aut ei alium sensum daret, tulit. Lex enim Mosaica non novis additionibus indiget, quia satis perfecta est, Deut. IV, 2. c. XII, 32. Opponitur *gratiæ Christi*, Joh. I, 17. quæ *jugum facile* dicitur, Matth. XI, 30. cum e contra *lex* appelletur *jugum grave*, Act. XV, 10.

Promissiones Christi de remissione peccatorum, vita æterna & Spiritus S. operationibus inter novas quidem doctrinas referre volunt Sociniani: sed nonne etiam de remissione peccatorum, Exod. XXXIV, 6. 7. Ps. XXXII, 5. Mich. VII, 18. de vita æterna, Lev. XVIII, 5. Hab. II, 4. & de Spiritus S. operationibus, Ps. LI, 13. 14. Ps. CXLIII, 10. satis clare agitur?

Quid de *consiliis evangelicis Pontificiorum* judicandum sit, alibi indicabimus. Ex parte quidem ista ex 1 Cor. VII, 6. 7. assumimus, quate-

quatenus scilicet ad res indifferentes spectant & πρὸς τὸ συμφέρον faciunt, at non tamen inter veras leges referri debent, nec aliquam vim obligandi habent.

CAPUT VI.

DE MIRACULIS CHRISTI.

Miracula sunt operationes Dei, quæ extra ordinem naturæ in regno ejus potentiæ fiunt. Effectus sunt divinæ omnipotentiæ & pertinent per se ad regnum potentiæ, respectu efficaciæ vero ad regnum gratiæ. Confirmant enim veritatem Dei ejusque verbi, nec non missionis prophetarum & apostolorum ejus.

Soli *Deo* adscribenda sunt, Ps. LXXII, 18. Exod. XV, 6. Ps. LXXVII, 15. Dan. VI, 27. Facit autem ista vel mediate vel immediate.

Mediate fiebant olim miracula per *prophetas* & *apostolos* ad confirmandam suam extraordinariam missionem & verbi sui prædicationem. Quia vero nostris temporibus nemo extraordinarie a Deo ad prædicandum verbum ejus mittitur, talia miracula prorsus cessarunt. Hinc etiam B. Lutherus non miracula

cula fecit, quia nec ejus vocatio, nec ejus verbum aliquid novi fuit.

Omnia autem miracula, quæ Moses, Elias, Elisæus & alii prophetæ, nec non apostoli fecerunt, non nisi virtute divina facta sunt. Deus erat causa efficiens & homines causa ministerialis, etsi iis omnino etiam nomen θαυματουργων datum sit.

Interdum Deus donum miraculorum etiam *malis hominibus* largitus est, Marc. IX, 38. 39. inter quos Judas Ischarioth singulare exemplum præbuit, Matth. X, 1. 4.

Probe distingui debent vera Dei miracula a *miraculis Antichristi*, 2 Thess. II, 9. & *falsorum prophetarum*, Deut. XIII, 1. Matth. XXIV, 24. Magis θαυμάσια, s. *mirabilia*, ea nominare possumus, quam θαύματα s. *miracula*. Omnis enim res, cujus causa nos fugit, in prodigium a nobis trahi solet, Joh. III, 7-10.

Diabolo in aëre regnanti, Eph. II, 2. facile est, varios mirabiles in regno naturæ effectus producere, qui nobis videntur esse vera miracula. Deus ejusmodi miraculosas operationes ad nos tentandum sapienter permittit, Deut. XIII, 3. Hiob. I, 16. 19. Exod. VII, 11. 12. 22. c. VIII, 7. 18. Caveamus autem nobis, ne in errorem per istas inducamur. Deus

propterea nos fideliter de iis admonet, & jubet, spiritus bene probare, 1 Joh. IV, 1. Deut. XIII, 2. 3.

Nemo majora fecit miracula, quam *Christus.* Fecit illa non modo virtute propria, tanquam ipse Deus, sed etiam respectu communicationis divinorum idiomatum, atque adeo secundum utramque naturam.

Erat *donum miraculorum* signum non modo omnis veri prophetæ, sed etiam, & quidem speciatim, Messiæ, magni illius prophetæ, qui in mundum venturus erat, Jes. XXXV, 5. 6. Matth. XI, 3-5. Joh. VII, 31. c. VI, 14. Luc. VII, 16.

Finis miraculorum apud Christum fuit, a) ut manifestet gloriam suam, tanquam Filii Dei, Joh. I, 14. c. II, 11. c. XX, 31. b) ut significet, se esse verum Messiam, Matth. XI, 3 sq. Joh. V, 36. c. VII, 31. c. X, 25. c) ut confirmet veritatem suæ doctrinæ, Joh. X, 38. c. XIV, 10. 11. d) ut glorificet nomen Patris sui, Joh. VIII, 49. c. IX, 3. c. XI, 4. 41. 42. Marc. VII, 34. & e) ut homines ad se alliciat ad audiendum verbum suum, Joh. VI, 2. Luc. V, 1. c. VIII, 4. Matth. IV, 25.

Singularia, quæ in Christi miraculis animadvertebantur, erant 1) quod cum certis circumstantiis fecerit, 2) quod de iis loqui interdixe-

terdixerit, 3) quod fere omnia hominibus salutifera fuerint, & 4) quod interdum ad ea se invalidum ostenderit.

Singulares omnino erant *circumstantiæ* quibus miracula sua patrabat Christus. Non enim solo verbo, nec uno quasi ictu ea committebat, sed utebatur in iis variis gestibus, manuum tactu, saliva & aliis visibilibus circumstantiis.

Fiebat hoc sine dubio, 1) ut significaret, cum humana sua natura etiam communicatam esse vim θαυματεργικὴν, 2) ut hanc naturam eo magis adorabilem redderet, 3) ut homines eo attentiores ad spectanda ista faceret, & 4) ut de veritate eorum homines eo certiores redderet.

Interdicebat Christus commisso miraculo plerumque hominibus, de eo multa loqui, Marc. V, 43. c. VII, 36. Luc. V, 14. c. VIII, 56. Faciebat hoc 1) ut declinaret accusationem jactantiæ, 2) ut extolleret præstantiam operum suorum, 3) ut exemplum modestiæ daret hominibus ὑπερφρονοῦσι, h. e. plus, quam par est, sapientibus, Rom. XII, 3. & 4) ut eo magis impediret occasionem blasphemandi opera sua. Cæterum omnino volebat, ut post resurrectionem suam ubivis terrarum celebraretur nomen ejus & de operibus ipsius loquerentur omnes, qui testes eorum fuerant oculati, Matth. XVII, 9. Luc. I, 2. 1 Joh. I, 1.

Miracula ejus fere omnia *in salutem hominum* fiebant. Hujus respectu valde differunt a Mo-

fis & aliorum prophetarum miraculis, quorum multa in hominum perniciem vergebant. Indoles vero miraculorum Christi semper erat salutifera. Curabat ægrotos, cibabat esurientes, sanabat δαιμονιζομένυς, vivificabat mortuos, & ubicunque virtutem suam θαυματεργικὴν præstabat, simul prospiciebat animabus hominum.

Interim Christus interdum videbatur ad committenda miracula *impotens* esse. Expresse enim de ipso Marc. VI, 5. narratur, quod in patria sua ne unicum facere potuerit miraculum. Verum hujus impotentiæ non alia dabatur causa, quam defectus fidei hominum, qui nolebant ægrotos suos ad eum ducere. Quod autem Pharisæis & Sadducæis recusaverit, desideratum prodigium dare, Matth. XVI, 1-4. ex indignatione super eorum malitia fiebat. Noverat enim Christus non modo eorum malum finem, sed etiam, quod satis bene cognoscerent, miracula ejus ita comparata esse, ut nemo sine Deo eadem committere queat, Joh. III, 2.

Huc neutiquam quoque adduci debent verba Judæorum, illudentium crucifixioni ejus, quasi impotens sit, de crucis morte se liberare, Matth. XXVII, 42. 43.

Satis superque enim erga hostes suos, cum captivus duceretur, declaravit, Scripturam S. de meritoria ejus morte vaticinantem implendam esse, Matth. XXVI, 53. 54.

CAPUT

CAPUT VII.

DE

OFFICIO CHRISTI SACERDOTALI IN GENERE.

Officium hoc nomen habet a *ſacerdotio*, quod ante diluvium jam inter homines in uſu fuit, Gen. IV, 3. 4. Conſiſtit in adminiſtratione iſtius cultus divini, quem Deus in V. T. ab hominibus poſtulavit, Gen. VIII, 20.

Ante promulgationem legis Leviticæ ſacerdotes erant *patres familias*, Gen. VIII, 20. c. XII, 8. c. XXII, 13. c. XXXI, 54. c. XLVI, 1. & *principes populi*, Gen. XIV, 18. c. XLI, 45. c. XLIX, 3. Exod. II, 16. c. XVIII, 1. 12. Jud. XVII, 10.

Cum vero Deus cultum Leviticum inſtitueret, ſola *ſtirps Aaronis* ad publice obeundum munus ſacerdotale eligebatur, Exod. XXVIII. Lev. VIII.

Interim manebat privata ſacrorum adminiſtratio in manibus patris familias & cui ex præcipuis ejus domeſticis ea demandabatur. Legimus ideo de Rege *Davide*, quod non ſolum ſuos ſacerdotes domeſticos habuerit, 1 Sam. XX, 26. 2 Sam. VIII, 17. 18. ſed ipſe etiam ſacerdotio functus ſit, 2 Sam. VI, 14. 17. 18. 1 Sam. XXX, 7. 8. Interdictum tantummodo a Deo erat, ne in loco publico, quem Deus ad ſacra ſua obeunda elegerat, alius quis ad ſacrificandum Domino accederet, quam qui de tribu

Levi & inprimis de ſtirpe Aaronis ſit, Num. III, 6-10. Deut. XII, 5.6.13.14.

Præcipuæ functiones muneris ſacerdotalis conſiſtebant 1) in *præſtandis ſacrificiis*, Lev. c. I-VII. & 2) in *fundendis precibus* tam pro ſemetipſis, Hebr. VII, 27. quam pro aliis & toto populo.

Ab hoc ſacerdotio Iſraëlitico ethnici occaſionem ſumſerunt, pari modo ſacerdotes conſtituendi ad colendos ſuos falſos deos, quales fuerunt ſacerdotes Baal, 2 Reg. XI, 18.

Erat autem apud Iſraëlitas *magna* inter ſacerdotes *differentia*, quia ex diverſis ordinibus conſtabant, 1 Chron. XXV, 4-19. Princeps eorum erat *ſummus ſacerdos*, qui ſingulares præ cæteris habebat prærogativas. Succedebat anteceſſori ſuo plerumque jure primogenituræ, ſi modo non habebat aliquem corporis nævum, Luc. XXI, 17 ſq. Ejus præcipuum officium erat, populum quotannis ſacrificio & precibus placare.

Omne ſacerdotium Iſraëliticum typus fuit Chriſti, magni noſtri reconciliatoris, qui propterea ἀρχιερεὺς noſter ſ. *ſummus ſacerdos* & *pontifex* nominatur, Hebr. II, 17. c. III, 1. Fit hoc in primis in Epiſtola ad Hebræos, in qua Paulus valde occupatus eſt in comparando Chriſto cum ſummo ſacerdote V. T. Ipſum tamen ſimul ab hoc diſtinguit, dum ἀρχιερέα futurorum bonorum, Hebr. IX, 11. & qui magnus, c. IV, 14. æternus, c. V, 6. c. VI, 20. c. VII, 17. 21. ſanctus, innocens, immaculatus & a pec-

a peccatoribus ſeparatus ſit, c. VII, 26. Chriſtum nominat.

Erat autem Chriſtus ſacerdos *ſecundum ordinem Melchiſedeci*, Pſ. CX, 4. Hebr. V, 10. c. VI, 20. c. VII, 1-25.

Melchiſedek fuit rex & ſacerdos ſimul. Natus erat non ex genere ſacerdotali, nec ætatis determinationem in ſacris literis habebat. Hac de cauſa comparatur Hebr. VII, 2. 3. cum Chriſto, qui itidem rex & ſacerdos noſter ſimul eſt, æternitate gaudet, nec a patre nec a matre ex genere Aaronis deſcendit.

Operæ pretium eſt, de Chriſti officio ſacerdotali nunc paulo ſpecialius agere. In eo iſtud conſiſtit, ut pro hominibus cum Deo reconciliandis ſacrificium & preces obtulerit. Ex *duabus* igitur *partibus* illud conſtat, ſcilicet *ſacrificio* & *interceſſione*, de quibus ſingulatim nunc acturi ſumus.

CAPUT VIII.

DE SACRIFICIO CHRISTI.

Sacrificium Chriſti adumbrabatur per *ſacrificia* cruenta & expiatoria V. T. quæ iſtius typus fuerunt, Hebr. VIII, 5. c. IX, 9. 23. 24. c. X, 1. Per ſe non habebant reconciliandi virtutem, Hebr. X, 4. ſed per ſacrificium Chriſti eam acceperunt, Hebr. X, 4-10. 12. 14.

Non autem omnia *ſacrificia V. T.* fuerunt typus ſacrificii Chriſti. Erant enim varii generis. Dabantur ſacrificia cruenta & incruenta, holocauſta & non holocauſta, quotidiana & annua. Quædam offerebantur de animalibus, quædam vero de variis fructibus & cibariis. Nonnulla tantum ſummus ſacerdos offerebat, cætera vero quilibet alius ſacerdos.

Statim poſt lapſum primorum parentum auctore Deo initium ceperunt ſacrificia, Gen. IV, 3. 4.

Deinde a Patriarchis poſt diluvium continuabantur, Gen. VIII, 20. c. XII, 7. 8. c. XXII, 9. 13. c. XXVI, 25. c. XXXI, 54. c. XXXIII, 20. c. XXXV, 3. 7. c. XLVI, 1. usque dum cultus ſacrificialis a Deo per Moſem in ordinem redactus eſt. Ab Hebræis tranſiit uſus ſacrificiorum ad omnes gentes, verum Dei cultum in ſua idololatria imitantes.

Quadruplicem habuerunt ſacrificia *finem*, 1) ut Chriſti mors meritoria ad conſervandam in fidelibus V. T. fidem vario modo adumbretur, 2) ut ex crudeliſſima occiſione tot animalium non modo ſæviſſima Dei ira ſuper peccatores, ſed etiam atrocitas peccati, quæ non ſine ſanguinis effuſione & morte violenta expiari potuit, cognoſcatur, 3) ut aliquid, quod in ſenſus cadat, homines in cultu divino habeant, ne idololatriæ locum dent, & 4) ut exinde *ſacrificia ſpiritualia* diſcantur, quæ ſunt preces, Hoſ. XIV, 3. Hebr. XIII, 15. Pſ. L, 14. mortificatio

carnis,

carnis, Pf. LI, 19. eleemofynæ, Hebr. XIII, 16. & fanctimonia vitæ, Rom. XII, 1. Ad hunc finem inprimis fpectant facrificia incruenta & oblationes fructuum, nec non libamina, decimæ & fic dicta facrificia pacifica.

Præcipuus finis facrificiorum erat adumbratio mortis Chrifti meritoriæ. Hæc enim non aliter nobis in facris literis defcribitur, quam facrificium expiatorium, e. g. Jef. LIII, 4-11. Matth. XX, 28. Rom. III, 24. 25. c. V, 8. 9. 1 Cor. V, 7. 2 Cor. V, 15. 19. 21. Gal. III, 13. Eph. V, 2. 1 Petr. I, 18. 19. c. III, 18. 1 Joh. II, 2. Hebr. V, 7. c. IX, 24 - 26. c. X, 10. 12. 14. Apoc. V, 9.

In primis huc referenda funt duo hæc loca Hebr. IX, 12. & 1 Petr. II, 24. ex quibus cognofcitur 1) *facerdos*, qui facrificium perfecit, nempe Chriftus, & 2) *victima*, quæ itidem fuit Chriftus, & quidem fecundum humanam naturam, quapropter etiam *corpus* ejus præcipue id erat, ex quo facrificium factum eft, Eph. II, 16. Col. I, 22. Chriftus ideo vocatur *agnus Dei* pro nobis mactatus, Joh. I, 29. 1 Petr. I, 19. 1 Cor. V, 7. Apoc. V, 12.

Patet etiam ex fupra allegatis dictis 3) *ara facrificii*, quæ fuit lignum crucis, in quo affixus eft Chriftus non modo ad implendum typum de agno pafchali in ligneo veru affato, Exod. XII, 9. 1 Cor. V, 7. & de ferpente æneo in deferto erecto, Num. XXI, 8. 9. Joh. III, 14. fed

etiam ad tollendam maledictionem hominum, Deut. XXI, 23. Gal. III, 13. quapropter etiam se tam obsequiosum præstitit ad luendam crucis pœnam, Phil. II, 8. Hebr. XII, 2. Jes. LIII, 7.

Patet ex iisdem locis 4) *causa sacrificii*, quæ fuerunt peccata totius generis humani, Rom. V, 18. Joh. I, 29. 2 Cor. V, 15. 5) *finis sacrificii*, qui fuit placatio irati Dei ad redimendum nos ab omni culpa & pœna peccati, & denique 6) *forma sacrificii*, quæ consistit non modo in effusione sanguinis & vera Christi morte, quæ violenta & cruenta esse debuit, sed etiam in ejusdem oblatione & consecratione, cum semet ipsum tanquam victimam Deo traderet in odorem bonæ fragrantiæ, Eph. V, 2. Joh. XVII, 19.

CAPUT IX.

DE

INTERCESSIONE CHRISTI.

Hæc *alteram* officii Christi sacerdotalis *partem* & functionem constituit, quæ in fundendis precibus pro salute hominum consistit.

Typus ejus *Leviticus* olim fuit suffitus coram Deo, Lev. XVI, 12. 13. Ps. CXLI, 2. Apoc. V, 8. qui vim expiandi habebat, Num. XVI, 46. 47. & quotidie in templo a sacerdotibus fiebat, 2 Chron. II, 4. qui simul preces fundebant pro populo, extra sanctuarium

rium ſtante, & una cum ipſis orante, Luc. I, 9. 10. Exod. XXX, 7. 8.

Hoc inprimis faciebat *ſummus ſacerdos* die annuæ expiationis, Lev. XVI. qui propterea in *pectorali* & *aureo frontali* nomina populi quotidie in conſpectum Dei ferebat & eorum ſimul coram ipſo in precibus ſuis mentionem faciebat, Exod. XXVIII, 29. 30. 36.

Huc ſpectat etiam *benedictio ſacerdotalis*, quæ itidem ad officium ſacerdotum pertinebat, Lev. IX, 22. Num. VI, 23-27. Gen. XIV, 19. & precum ſacrarum ſpecies eſt, non autem cum B. JOACHIMO LANGIO & B. RAMBACHIO pro ſingulari functione officii ſacerdotalis haberi debet.

In omnibus hiſce ſe Chriſtus ſacerdotem præſtitit.

Diligentiſſime enim *orabat* in diebus carnis, Luc. XI, 1. Marc. VI, 46. Pſ. XL, 14. Matth. XXVI, 36. non ſolum pro ſemet ipſo, Matth. XXVI, 39. 42. Hebr. V, 7. ſed etiam pro hominibus, & quidem tam pro fidelibus & piis, Joh. XVII, 9-26. quam pro impiis & ipſis ſuis crucifixoribus, Luc. XXIII, 34. Jeſ. LIII, 12. Teſtatur quidem Chriſtus Joh. XVII, 9. ſe non orare pro mundo. Verum hoc non ſimpliciter, ſed ſecundum quid intelligendum eſt, quia non una eademque beneficia cuilibet homini conferri poſſunt.

Ple-

Plerumque Christus orare dicitur pro piis, ut in fide & gratia divina conserventur & corroborentur, pro impiis vero ut convertantur.

Benedicebat etiam Christus hominibus in diebus carnis, Marc. X, 16. Luc. XXIV, 50. Act. III, 26. sicut prædictum erat, Gen. XII, 3. c. XXII, 18. Ps. LXXII, 17. Jer. IV, 2. Jes. XLIV, 3. Gal. III, 14. Consistebat autem ejus benedictio in donatione bonorum spiritualium, quæ per suam satisfactionem acquisivit, Eph. I, 3.

Non finem fecit Christus intercessioni in statu exaltationis, sed quotidie adhuc eam pro nobis continuat apud Deum, 1 Joh. II, 1. Rom. VIII, 34. Hebr. VII, 25. c. IX, 24. Jure meritoque hinc sacerdotium Christi vocatur *ἀπαράβατον* s. *perpetuum*, Hebr. VII, 24.

Differt autem modus intercessionis Christi in statu exaltationis ab eo, quo usus est in statu exinanitionis. In hoc enim fiebat intercessio humili & servili modo, Hebr. V, 7. Marc. VII, 34. Joh. XI, 41. Matth. XXVI, 39. in illo vero fit gloriose, quia sedet ad dextram Dei, Rom. VIII, 34. Hebr. VIII, 1. c. IX, 24. In statu exinanitionis fiebat expressis verbis, quod in statu exaltationis non fit, Joh. XVI, 26. In hoc enim tantum mente, non voce, fieri solet. Inde venit distinctio inter *intercessionem verbalem* & *mentalem*. Hæc consistit in desiderio pro salute hominum interno ad Deum directo & durat in cœlis sine fine, illa vera fiebat ex-

pressis

pressis verbis & desinebat in statu exinanitionis ejus.

Propter hanc intercessionem Christus dicitur *noster παράκλητος coram Patre*, 1 Joh. II, 1. quia 1) advocatum agit, qui accusationes declinat, Rom. VIII, 34. 2) meritum suum pro peccatis nostris Patri cœlesti objicit, 1 Joh. II, 1. 3) gratiam divinam & salutem æternam constanter ab eo nobis exorat, Joh. XVII. & 4) exauditionis precum nostrarum, in nomine ejus factarum, Joh. XVI, 23. autor est.

Pontificii & *Calviniani* propriam Christi intercessionem negant, quia in sola repræsentatione stigmatum & vulnerum ejus consistere statuunt, quam quidem in ipsa intercessione non prorsus excludimus, Hebr. IX, 24.

Sociniani per intercessionem Christi nil aliud intelligunt, quam potestatem super creaturas a Patre cœlesti precario impetratam.

Est autem *Christi intercessio* apud Deum non frustanea, sed *efficacissima*, quia semper exauditur, Joh. XI, 42. ipseque solus est, qui justitia gaudet, apud Deum valente, 1 Joh. II, 1. Jes. LIII, 12. Rom. V, 15.

Valde igitur errant *Pontificii*, qui precibus suis non ad solum Christum, sed potius ad B. *Virginem Mariam* & alios *defunctos sanctos* confugiunt, ut pro se apud Deum intercedant, cum tamen illi neque eorum preces percipere queant,

Jes.

Jeſ. LXIII, 16. nec coram Deo aliquid cum ſua interceſſione valeant, Joh. XIV, 13. 14. c. XVI, 23. c. II, 3. 4. Sunt enim ii ipſi non niſi ex gratia divina ad gloriam æternam evecti, Act. XV, 11. Rom. III, 24. Eph. II, 8.

Accedit, quod talis ſanctorum invocatio ſpecies idololatriæ ſit, quia ſolus Deus adorandus eſt, Matth. IV, 10. Apoc. XXII, 9.

Ad quæſtionem autem: *num differentia ſit inter interceſſionem Chriſti & Spiritûs Sancti?* reſpondemus affirmando. *Spiritus S.* dicitur quidem æque ac Chriſtus, noſter παράκλητος, Joh. XIV, 16. 26. c. XV, 26. c. XVI, 7. ſed non in eodem ſenſu, in quo *Chriſtus* ſic appellatur, 1 Joh. II, 1. Hic ſolus eſt noſter advocatus coram Deo in cœlis, quatenus cauſam noſtram ibidem agit, ac defendit, *Spiritus S.* vero noſter advocatus eſt in mundo, quatenus non modo cauſam Dei apud nos agit, Joh. XVI, 8-11. Jeſ. LXIII, 10. Gen. VI, 3. ſed etiam ſublevando nos virtute ſua in omnibus infirmitatibus ſalutem noſtram quovis modo promovet, Rom. VIII, 26. it. v. 11. 16. 1 Cor. XII, 13. Gal. IV, 6. Ezech. XXXVI, 27. Eph. IV, 30.

CAPUT

CAPUT X.

DE

OFFICIO CHRISTI REGIO.

Christus unctus etiam est ad *officium regium*, Pſ. XLV, 8.

Generatim per iſtud intelligitur poteſtas ejus ſuper omnes creaturas & hominum ſtatus in cœlo & terra, in tempore & æternitate, quam ſecundum humanam naturam propter unionem perſonalem impetravit.

Agitur propterea de eo in ſacris literis non aliter, quam de *vero Rege*, Pſ. XXIV, 7-10. Pſ. XLV. XCIII. XCV. XCVI. XCVII. XCIX. CX. 1 Sam. II, 10. promittebaturque etiam a Deo tanquam *Rex*, Pſ. II, 6. Jeſ. IX, 7. Jer. XXII, 5. Luc. I, 33.

Omnes reges Judæorum, inprimis *David* & *Salomon*, nec non omnes Judices & Duces V. T. inprimis *Joſua*, *Gideon*, *Simſon* & *Melchiſedech* erant typus ejus, quapropter etiam regnum ejus in ſenſu metaphorico *regnum Davidicum*, Jeſ. IX, 7. Ezech. XXXIV, 24. Jer. XXX, 9. Luc. I, 32. *regnum Iſraëliticum*, Jer. XXIII, 5. Luc. XXIV, 21. Act. I, 6. Luc. I, 34. Mich. V, 1. Joh. XII, 13. c. I, 49. & *regnum Sioniticum*, Pſ. II, 6. Zach. IX, 9. Matth. XXI, 5. Mich. IV, 7. appellatur, perſona ejus vero cum *Melchiſedeco*, qui rex & ſacerdos ſimul fuit, comparatur, Hebr. VII, 3.

In

In N. T. Christus non modo ipse fatetur, se esse regem, Joh. XVIII, 37. sed etiam a Judæis tanquam rex expectabatur, Matth. II, 2. 4. Joh. I, 49. c. VI, 15. imo in cruce pendens regis titulo gaudebat, Matth. XXVII, 37.

Jure meritoque hinc ei tribuuntur *unctio*, Ps. XLV, 8. *coronatio*, Hebr. II, 9. *thronus*, Apoc. III, 21. Hebr. I, 8. *sceptrum*, Ps. XLV, 7. Ps. CX, 2. Hebr. I, 8. *leges*, Hebr. VIII, 10. & *jura regalia*, e. g. missio legatorum, 2 Cor. V, 20. potestas judicium habendi, Joh. V, 22. 23. & remissio peccatorum, Marc. II, 10.

Non modo autem *secundum divinam naturam* rex dicendus est, Mal. I, 14. 1 Tim. I, 17. sed etiam *secundum humanam naturam*. Secundum divinam naturam per æternam generationem & opus creationis & conservationis, secundum humanam vero naturam per unionem personalem & per pactum cum Patre ad redimendum homines ex potestate Satanæ initum, Col. I, 13. Luc. I, 68 sq. rex factus est.

Distinguendum vero est inter *jus ad regnum* & hujus *juris exercitium*. Prius habuit Christus statim a conceptionis tempore, quapropter etiam dicitur τεχθεὶς βασιλεύς, Matth. II, 2. Luc. I, 33. c. II, 10. posterius vero proprie incepit post ejus reviviscentiam in statu exaltationis, Matth. XXVIII, 18. Interim non intermisit Christus, de regia sua potestate in statu exinanitionis specimina dare, e. g. cum procellas

cellas maris sedaret, Matth. VIII, 26. 27. ut exinde pro vero Israëlitarum rege cognosceretur, Joh. I, 49. Luc. XIX, 38. Joh. VI, 15.

Sociniani ex Act. II, 33-35. docent, Christum tunc demum, cum in cœlum adscenderit, regem factum esse, sed locus hic biblicus tantum de solenni Christi regis inthronisatione agit.

Est autem Christus non tantum Dei vicarius in regimine mundi & ecclesiæ, sed simul ipse cum Patre verus super omnia dominator, Apoc. XVII, 14. c. X, 36. Rom. X, 12. Matth. XXVIII, 18. etsi secundum humanam naturam Deo subjectus esse dicatur 1 Cor. XI, 3. c. XV, 27. 28.

Regnum Christi *æternum* est & nunquam finem habebit, Jes. IX, 7. Luc. I, 33. Dan. IV, 31. c. VII, 14.

Negant hoc ex 1 Cor. XV, 24. *Sociniani*, docentes, regnum Christi in die extremo cessaturum esse. Sed distinguendum est inter regnum Christi ipsum & ejus modum.

Regnum omnino est æternum, modus vero regnandi variæ mutationi obnoxius est. In fine mundi præsens regni forma desinet & prorsus alia incipiet. Et de hac mutata regni forma c. loc. sermo est.

Regnum Christi respectu diversitatis subditorum & regiminis *triplex* est, uti nunc pluribus percipiemus.

CAPUT XI.

DE TRIPLICI REGNO CHRISTI.

Triplex regnum Christi est, *regnum potentiæ*, *regnum gratiæ* & *regnum gloriæ*.

Per se non nisi unum datur regnum, quod autem pro diversitate subditorum diversimode administratur.

Primum regnum est *regnum potentiæ*. Secundum istud Christus toti terrarum orbi potenter dominatur, eumque conservat & providentissime gubernat, Hebr. I, 3. Col. I, 17. Melius vocari potest *regnum naturæ*, quam regnum potentiæ, quia potentia etiam in regno gratiæ & gloriæ locum habet.

Huc spectat πᾶσα ἐξουσία s. potestas, quæ Christo, tanquam Regi omnia gubernaturo in cœlo & in terra, data dicitur, Matth. XXVIII, 18. Ps. VIII, 7. 1 Cor. XV, 27. Eph. I, 21. 22. Joh. III, 36. Matth. XI, 27.

Subditi ejus in hoc regno non modo sunt omnes homines & gentes, Dan. VII, 14. nec non omnia animantia, & quæ Deus in terra creavit, Ps. VIII, 7-9. sed etiam omnes spiritus, Col. I, 16. Eph. I, 21. tam boni, Hebr. I, 6.

I, 6. quam mali, Marc. I, 27. Luc. XI, 14 sq. c. X, 17. quorum ultimi catenis vincti expectant ultimum judicium, 2 Petr. II, 4. Huc etiam referre possumus hostes Christi, quos sub pedibus suis tenet in medio illorum regnans, Ps. CX, 2. Hebr. I, 13.

Distinguitur inter *dominium* & *regimen*. Sub illo versantur omnes creaturæ rationales & irrationales, animatæ & inanimatæ, sub hoc vero tantum creaturæ rationales, scilicet homines & spiritus.

Ministri in hoc regno sunt a) *angeli*, Ps. CIII, 20. 21. Hebr. I, 14. Jes. XXXVII, 36. Dan. III, 28. c. VI, 22. b) *homines* tam *pii*, quam *impii*, qui non modo executores divinorum judiciorum sunt, sed etiam instrumenta, quibus beneficia largitur Deus, & c) *omnes* aliæ *creaturæ*, Ps. CXLVIII, 8.

Alterum regnum Christi est *regnum gratiæ*, secundum quod Christus ecclesiæ suæ, per verbum & sacramenta collectæ, ita dominatur, ut eam conservet, protegat, bonis spiritualibus cumulet & ad præstanda debita officia dirigat.

Est hoc inter regna Christi præcipuum, ad cujus fundationem inprimis ille in mundum venit & unctus est, Zach. IX, 9. 1 Tim.

 I, 15.

I, 15. Joh. III, 17. Tit. II, 11. Jer. XXIII, 5. c. XXX, 15. 16.

Omnes V. T. promissiones de regno & regia dignitate Christi ad istud respectum habent, perperam autem a Judæis intelligebatur, quia Messiam talem regem fore credebant, qui instar mundani principis temporali pompa ac majestate indutus regnaturus esset super populum Israëliticum, & quidem cum tanta gloria & potentia, ut non modo omnes gentes sub suam potestatem redigeret, sed etiam populo suo felicissima tempora redderet. Hac de causa rejiciebant Jesum, quia in forma servi incedebat, & magis verbo divino quam externo splendore homines ad suum regnum trahebat.

Vocatur hoc regnum Christi jure meritoque *regnum gratiæ*, quia nil nisi gratia in eo distribuitur, Joh. I, 14. 16. 17. Rom. III, 24. 2 Cor. VIII, 9. 2 Tim. I, 9. Tit. III, 7. Hebr. IV, 16.

Nominatur etiam *ecclesia*, Matth. XVI, 18. Eph. I, 22. c. V, 23-27. & quidem *militans*, quatenus opponitur regno gloriæ, quod est ecclesia triumphans. Nomen istud sumtum est ex Apoc. XII, 7. & 2 Tim. II, 3. ubi sub signo Christi militare dicuntur, qui ad ejus regnum pertinent.

Ple-

Plerumque in ſenſu eminentiori appellatur *regnum cælorum*, Matth. III, 2. c. IV. 17. c. X, 8. c. XI, 12. c. XIII, 31. 33. 44. 45. 47. 52. c. XX, 1. c. XXII, 2. c. XXIII, 13. item *regnum Dei*, Matth. VI, 33. c. XXI, 43. Marc. I, 15. c. X, 15. Joh. III, 5. Deſcribitur tanquam *ſpirituale*, quod non veniat μετὰ παρατηρήσεως f. cum ſplendore, ſed intra nos ſit, Luc. XVII, 20. 21. nec conſiſtat in cibo & potu, ſed in juſtitia, pace & lætitia, a Spiritu S. proficiſcente, Rom. XIV, 17.

Tribuitur hoc regnum *Filio Dei*, Luc. XXII, 29. Col. I, 13. Eph. I, 22. qui de eo teſtatur, quod non ſit de hoc mundo, Joh. XVIII, 36. etſi ſuper omnia regna elatum & in æternum duraturum ſit, Matth. XVI, 18. Fit quidem Chriſti abdicationis hujus regni mentio, 1 Cor. XV, 24. Verum non de ipſa ejus dignitate h. l. ſermo eſt, ſed tantum de modo regnandi, ut ſupra monſtravimus.

Subditi in hoc regno ſunt omnes homines, qui in Chriſtum baptizati ſunt, Joh. III, 5. Gal. III, 27. & eccleſiam militantem conſtituunt. Chriſti peculium caſtrenſe quaſi facti ſunt, cum ſanguine ſuo iſtos redemerit, Eph. I, 14. 2 Petr. II, 1. 1 Cor. VII, 23. Apoc. V, 9. 2 Theſſ. II, 14. 1 Petr. II, 9. Act. XX, 28.

Militant ſub ejus vexillo, 2 Tim. II, 3. eorum vero arma militiæ non ſunt carnalia, 2 Cor. X, 4. ſed ſpiritualia, Eph. VI, 11-17.

Actus regii in regno gratiæ ſunt 1) miſſio & inſtructio doctorum eccleſiæ, Matth. XXVIII, 18-20. Eph. IV, 11. 12. quæ unctio certo modo etiam ad officium Chriſti propheticum referri poteſt; 2) collectio eccleſiæ ex omnibus gentibus, Pſ. CX, 2. Jeſ. LX, 3-5. Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. 16. 3) gubernatio eccleſiæ per verbum & ſacramenta, 4) exornatio eccleſiæ variis donis ſpiritualibus, 1 Cor. XII, 7-11. Rom. XII, 3. 6. Eph. IV, 7. & 5) defenſio eccleſiæ contra hoſtes ſpirituales.

Vicario in hoc regno Chriſtus non indiget, quia ſolus vult eſſe caput eccleſiæ ſuæ, Eph. I, 22. c. V, 23. Ejus vero *adminiſtri* ſunt 1) miniſtri verbi divini in ſtatu eccleſiaſtico, 1 Cor. III, 5-9. 2) magiſtratus in ſtatu politico, Rom. XIII, 3. 4. & 3) parentes, nec non heri & heræ in ſtatu œconomico.

Tertium denique *regnum* vocatur *regnum gloriæ*, ſub quo intelligitur beatitudo æterna. Dicitur *regnum*, quia Chriſtus in eo tanquam rex glorioſe dominatur electis, eosque ſumma æternaque felicitate cumulat. Expreſſe propterea

pterea Christus non modo nominatur *rex gloriæ*, Pſ. XXIV, 8. & *rex æternus*, Mich. IV, 7. 1 Tim. I, 17. ſed ejus etiam tanquam regis mentio fit in deſcriptione judicii extremi, Matth. XXV, 34. 40. Jure hinc ſtatus beatitudinis *regnum* vocatur, Dan. VII, 18. Matth. XXV, 34. Act. XIV, 22. Gal. V, 21. nec non *regnum cæleſte*, 2 Tim. III, 18. & *regnum Chriſti*, Apoc. XII, 10.

Subditi in hoc regno ſunt omnes *electi*, tam *homines* beate mortui, Apoc. XIV, 13. Matth. XXV, 34. quam *angeli*, Matth. XVIII, 20. Dan. VII, 10. Matth. XXV, 31. c. XXII, 30. Luc. XV, 7. 10. qui reſpectu lapſorum ſpirituum etiam *electi* dicuntur, 1 Tim. V, 21.

Electi homines jure quaſi hæreditario in regnum gloriæ introibunt, Matth. XXV, 34. quia per Chriſtum facti ſunt filii Dei, Joh. I, 12. adeoque etiam ejus hæredes, Rom. VIII, 17.

CARPOVIUS in *Theol. Rev. Dogm. T. II p. 400* diabolos & damnatos reſpectu æternæ damnationis ad regnum Chriſti gloriæ refert, ſed non accurate, quia hujus regni non conſortes ſunt, alias etiam infernus ad regnum gloriæ pertineret.





SECTIO IV.

DE
REDEMTIONE CHRISTI.

CAPUT I.

DE
REDEMTIONE HOMINUM IN GENERE.

Redemtio ejusmodi actionem indicat, quia quis soluto emtionis pretio aliquid ex alterius potestate in suum peculium recipit.

Jure meritoque talis actio *Christo*, Salvatori nostro, adscribitur, quia salus, quam nobis acquisivit, λύτρον & meritum requirebat, nec non in liberatione ex potestate hostium spiritualium & in receptione in ejus peculium consistit.

Redemtio est opus θεανθρικόν, quia in secundam tantum Deitatis personam, in humana natura subsistentem, competit.

Vocatur propterea Christus גאל, *Goël*, h. e. *redemtor*, Hiob. XIX, 25. Jes. LIX, 20. nec non מושיע, & Σωτὴρ, h. e. *servator* & *salvator*, Jes. XLIII,

XLIII, 3. 11. Luc. II, 11. Act. V, 31. 1 Tim. IV, 10.

Huc spectat etiam nomen *Jesus*, quod Christus secundum annunciationem angeli, Luc. I, 31. Matth. I, 21. in circumcisione accepit, Luc. II, 21.

Nomen hoc Hebraicum est & descendit a radice ישע, h. e. *salvavit*, quapropter etiam angelus Domini, cum injungeret Josepho impositionem hujus nominis, interpretationem hanc addidit: *nam populum suum salvum faciet a peccatis suis*, Matth. I, 21.

Nomen *Jesus* itaque soli Christo proprium est. Dantur quidem in V. T. nonnulli, qui nomina ejusdem significationis & etymologiæ habuerunt, e. g. Moses, Josua, Hosea &c. (quæ etiam LXX. interpretes & ex eorum versione sacri N. T. scriptores Act. VII, 45. Hebr. IV, 8. Græce per ἰησοῦς interpretati sunt), sed nemo unquam proprie nomen יֵשׁוּעַ tulit, quam Salvator noster, quippe qui solus est, qui significationem hujus nominis perfectissime implevit, cum genus humanum sua redemtione & satisfactione salvificaverit, Act. IV, 12.

Redemtio Christi igitur est opus illud Filii Dei, quo in assumpta hominum carne irato Deo de hominum peccatis per obedientiam & mortem suam ita satisfecit, ut nobis reconciliatus omnia, quæ sua satisfactione meruit, nobis, qui in eum


credimus, imputet, nosque ſic, ab omni peccati culpa, pœna & dominatione liberatos, in ſuos filios & vitæ æternæ hæredes recipiat.

Tria itaque vox *redemtionis*, ſi de Chriſto uſurpatur, continet, 1) liberationem, 2) emtionem & 3) reconciliationem.

Continet vox hæc 1) *liberationem*. Huc ſpectant dicta biblica, in quibus Chriſtus nos liberaſſe dicitur ex poteſtate hoſtium ſpiritualium, Luc. I, 71. 74. Hoſ. XIII, 14. 2 Cor. I, 10. Hebr. II, 14. 15. & ab omni malo, Gal. III, 13. 1 Theſſ. I, 10. Tit. II, 14.

Continet 2) *emtionem*. Hac de cauſa uſurpantur non modo voces λυτροῦν, λυτροῦσθαι & ἀπολυτροῦσθαι, Rom. III, 24. Tit. II, 14. 1 Petr. I, 18. 19. Hebr. IX, 12. ſed etiam voces ἀγοράζειν & ἐξαγοράζειν, 1 Cor. VI, 20. c. VII, 23. Gal. III, 13. c. IV, 5. 2 Petr. II, 1.

Continet 3) *reconciliationem*. Huc pertinent loca, in quibus Chriſtus nos Deo reconciliaſſe dicitur, e. g. Pſ. XLIX, 8. 9. 2 Cor. V, 19. Eph. II, 16. Col. I, 19. 1 Joh. II, 2.



CAPUT

CAPUT II.

DE SUBJECTO REDEMTIONIS CHRISTI.

Subjectum redemtionis Christi sunt omnes homines, qui ab Adamo vi primæ benedictionis Gen. I, 28. nascuntur & peccato infecti sunt, Rom. V, 12. 17-19.

Excipiuntur itaque hic 1) *angeli*, qui quidem ex parte etiam peccaverunt, sed non redemti sunt, 2 Petr. II, 4. Jud. v. 6. quia Christus noluit per assumptionem angelicæ naturæ eorum misereri, Hebr. II, 16.

Excipitur 2) *Christus*, qui ab Adamo quidem descendit; at non vi primæ, sed secundæ benedictionis, Gen. III, 15. & cum non ex semine peccaminoso genitus sit, Luc. I, 35. Hebr. VII, 26. non necesse habuit, pro semet ipso & suis peccatis sacrificium præstare, v. 27.

Excipiuntur denique 3) *omnes irrationales creaturæ*, in quas quidem per lapsum hominum, in quorum emolumentum & oblectamentum præcipue conditæ sunt, divina maledictio, Gen. III, 14. 17. 18. 23. ira & pœna, Gen. VI, 7. c. VII, 23. c. VIII, 21. venit, at non tamen ipsæ peccarunt, nec ob defectum rationis & liberi

liberi arbitrii peccare potuerunt. Interim homines iisdem in ſuis peccatis valde abutuntur, Rom. VIII, 19-22.

Quod Chriſtus non aſſumſit, nec redemit. Dicitur quidem Chriſtus omnia in cœlo & terra per ſanguinem in cruce effuſum reconciliaſſe, Col. I, 20. ſed verba hæc nil aliud indicant, quam univerſalitatem redemtionis reſpectu generis humani, & quod per eam ſimul dolor Dei ſuper creatione hujus univerſi Gen. VI, 6. 7. nunc ſublatus ſit.

Id, quod hominum redemtionem requirebat, erat *peccatum*, utpote quod nos non ſolum reddiderat impotentes ad ſerviendum Deo & vivendum ſecundum ejus voluntatem, ſed nos etiam obnoxios fecerat omnis divinæ pœnæ & æternæ damnationis.

Probatur autem, omnes ac ſingulos homines per Chriſtum redemtos eſſe, ex hiſce Scripturæ S. locis: Joh. I, 29. c. III, 16. 17. c. IV, 42. c. XII, 32. 33. 47. ubi per *mundum univerſum* totum genus humanum intelligitur; nec non ex Jeſ. LIII, 6. Rom. V, 18. c. VIII, 32. 1 Cor. XV, 22. 2 Cor. V, 14. 15. 19. Col. I, 20. 1 Tim. II, 6. c. IV, 10. 1 Joh. II, 2. Hebr. II, 9. Ipſi pereuntes inter hos redemtos locum habent, uti ex 1 Cor. VIII, 11. 2 Petr. II, 1. Rom. XIV, 15. Hebr. X, 29. patet.

Benigna

Benigna quidem Dei voluntas eo directa eſt, ut cuncti homines ſalvi fiant, attamen ſub hac conditione, ut veram pœnitentiam agant, Jeſ. LV, 7. Ezech. XVIII, 21. 23. c. XXXIII, 11. & vera fide in Chriſtum credant, 1 Tim. II, 6. Marc. XVI, 16. Joh. I, 12. c. III, 16. c. VI, 47. Act. X, 47. Rom. I, 16.

Calviniani negant, Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe, quia ad ſolos credentes redemtionem ejus reſtringunt, abutentes locis Matth. XV, 24. Joh. X, 15. Objiciunt nobis vocem *multi*, Jeſ. LIII, 12. Matth. XX, 28. & c. XXVI, 28. ſed per *multos* h. l. omnes intelligendos eſſe homines, probatur ex Jeſ. LIII, 6. Dan. XII, 2. Rom. V, 18. 19.

Diſtinguunt *Calviniani* inter *ſufficere* & *efficacem eſſe* redemtionem Chriſti pro omnibus hominibus. Prius concedunt, poſterius vero negant. Intelligunt autem non ſufficientiam actualem, ſed potentialem & hypotheticam; poſſe ſcilicet meritum Chriſti ſufficiens eſſe, ſi Deus voluiſſet.

Weigeliani, Chriſtum ſolam eccleſiam redemiſſe, docent, ſimulque redemtionem ad ſolam animam & tempora N. T. reſtringunt, quod ultimum etiam *Sociniani* faciunt.

CAPUT

CAPUT III.

DE
FORMA REDEMTIONIS CHRISTI S. SATISFACTIONE.

Satisfactio vox est, quæ proprie in foro humano usurpatur. In Scriptura S. non quidem secundum expressam literam occurrit, satis tamen secundum rem significatam per alia verba & phrases in ea exprimitur, in primis Rom. V, 6. 18. ubi vox δικαίωμα legitur, quam SCHÖTTGENIUS *in Novo Lexico Græco-Latino in N. T. p. 158.* expresse per *justificationem* interpretatur.

Defendit hanc significationem certus *Anonymus* in *Continuata collectione nov-antiquarum rerum Theologicarum An. 1745 pag. 967.* provocans ad ARISTOTELIS *Librum V Ethic. ad Nicom. c. VII.* ubi hic Philosophus ita scripsit: Δικαίωμα καλεῖται τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος; quæ verba GUSSETIUS *in Lexico Hebraico p. 882.* ita transtulit: ΔΙΚΑΙΩΜΑ *vocatur correctio facti injusti.* Addit simul: *verbum istud in citato loco Pauli nil aliud significare, quam satisfactionem judicialem.*

In suspenso quidem relinquimus piam hanc interpretationem, non tamen negamus, satisfactionem Christi in citato loco omnino fundatam

datam esse. Phrasis quidem, τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι, Marc. XV, 15. idem, ac *satisfacere*, & τὸ ἱκανὸν, Act. XVII, 9. *satisfactionem* denotat, non tamen loca hæc de ipsa satisfactione Christi agunt.

Significat autem *satisfactio* actionem illam, qua quis læsæ personæ præstat, quod ad tranquillandum ejus animum sufficiens habetur.

Optime hæc descriptio quadrat in *redemtionem Christi*. Præstitit enim in illa omne, quod ad tranquillandum irati Dei animum sufficiens fuit. Recte hinc *satisfactio Christi* dici potest *redemtionis forma*. Quatenus enim Deo pro nobis satisfecit Christus, eatenus etiam nos redemit.

Est autem *Christi satisfactio* non propria, sed *vicaria* vocanda. Non enim pro se Deo aliquid præstare debebat, Hebr. VII, 27. sed tantum pro hominibus.

Jam in V. T. Christus pro hominibus *spopondit*, Hiob. XXXIII, 23. Hos. II, 19. 20. Jer. XXX, 21. Ps. XL, 7-14. Psalm. CX, 4. qua sponsione fideles V. T. valde gavisi sunt, e. g. rex *Hiskias*, dicens ערבני, h. e. *sponde pro me*, Jes. XXXVIII, 14. item *David*, Psalm. CXIX, 132.

Satisfactio ipsa vere pro nobis facta est, cum Christus in terra ambularet & mortem oppe-

oppeteret. Valor iſtius ſe extendit ſuper omnia tempora & omnes homines, tam vivos quam mortuos. In V. T. typice ea fiebat per varias purificationes & varia ſacrificia, quibus id, quod in N. T. factum eſt, adumbrabatur.

Effectus ſatisfactionis eſt meritum, de quo infra agetur.

Requirebatur autem ad ſatisfactionem pro hominibus ejusmodi *perſona*, quæ jus in ſuam propriam vitam haberet, alias mors ejus non ſufficientem habuiſſet expiandi virtutem. Hac de cauſa Chriſtus, noſter redemtor, verus Deus eſſe debebat, qui ſui ipſius & ſimul humanæ vitæ dominus foret, Joh. X, 18.

Nititur ſatisfactio Chriſti non in ſolo favore & acceptione Dei, ſed fuit etiam per ſe ſufficiens, Col. I, 20.

Hæc ſufficientia & valor non ex ſola dignitate perſonæ, Hebr. II, 9. 10. uti multa Calviniani & Pontificii faciunt, ſed etiam ex ipſa paſſionis magnitudine æſtimari debet, Pſ. XL, 13. Jeſ. LIII, 3-5.

Infenſiſſimi ſatisfactionis Chriſti hoſtes ſunt *Sociniani*, qui negant, læſæ juſtitiæ divinæ pro

pro nobis ſatisfactum eſſe, perhibentes, Chriſtum ſibi tantum acquiſiviſſe id, quod ad ſuum ſtatum exaltationis ſpectaverit.

Objiciunt nobis, 1) ſatisfactionis vocem non occurrere in ſacris literis, niſi Marc. XV, 15. ubi autem non de Chriſto uſurpetur; ſed reſpondemus, ſatisfactionem in ſcriptura ſacra, ſi non ſecundum literas occurrat, tamen ſecundum ejus naturam & formam in ea, ſatis fundatam eſſe.

Objiciunt 2) peccatum nil niſi transgreſſionem voluntatis divinæ eſſe, hinc, ſine Dei voluntate peccatum non foret peccatum; ſed reſpondemus, voluntatem Dei ſimplicem a modificata hic bene diſtinguendam eſſe.

Objiciunt denique 3) nos gratis & per miſericordiam Dei ſalvari & juſtificari, Rom. III, 24. Tit. III, 5. ſed addimus: ſalva juſtitia Dei. Certi *Arminiani* in hac ſententia cum Socinianis conveniunt, omnes vero ſatisfactionem Chriſti ſuſpectam & dubiam reddunt.

Pontificii plenam ſatisfactionem Chriſti pro hominibus valde infringunt, docentes, Chriſtum pœnas infernales pro noſtris peccatis non ſuſtinuiſſe, nec ei peccata noſtra

imputata esse. Asserunt etiam, Christum mediatorem nostrum tantum secundum humanam naturam esse, eumque sibi ipsi passione & morte sua gloriam æternam acquisivisse. Docent porro, Christum quidem pro morte peccatorum æterna Deo satisfecisse, sed super hominibus obligationem ad sufferendas pœnas temporales mansisse, quæ per varias satisfactiones & intercessiones in hac vita aufferri & expiari debeant.

Hinc orta sunt eorum dogmata de sacrificio missatico, de purgatorio, de meritis & invocatione sanctorum, de cultu reliquiarum & imaginum religioso, de indulgentiis, de satisfactionibus pro peccatis, de merito bonorum operum, de re monastica &c.

Nos omnia hæc rejicimus, docendo, Christum perfectissime & sufficientissime pro nobis obedientia & morte sua irato Deo satisfecisse, eumque sua satisfactione placavisse.

Duo ad satisfactionem Christi pertinent, nempe 1) *obedientia* ejus & 2) *mors* ejus.

Theologi inde occasionem sumserunt, *duplicem satisfactionem Christi* statuendi, *activam* & *passivam*. De utraque nunc singulatim acturi sumus.

CAPUT

CAPUT IV.

DE SATISFACTIONE CHRISTI ACTIVA.

Christus pro nobis Deo satisfecit *agendo*, cum voluntatem divinam in omnibus perfecerit, Ps. XL, 9. Hebr. X, 7. Joh. IV, 34. atque adeo Deo perfectissimam obedientiam præstiterit, Phil. II, 8. Rom. V, 19.

Quia autem Deus voluntatem suam in promulgata lege præscripsit, *legi* etiam subjiciendus erat Christus, Gal. IV, 4. Rom. VIII, 3. ut impleat istam, Matth. V, 17. Ps. XL, 9. Rom. X, 4.

Lex Dei triplex fuit, ceremonialis, forensis & moralis. *Ceremonialis* versabatur circa cultum Dei Leviticum, *forensis* circa administrandam rem publicam & *moralis* circa mores & actiones hominum.

Omnem hanc triplicem legem Christus implevit, eique obedientia sua satisfecit.

Legi ceremoniali satisfecit, cum 1) obedienter præstiterit omnia, quæ secundum illam cuique Israëlitæ ad colendum Deum incubuerunt, 2) cum typos cultus Levitici per officium suum mediatorium impleverit, uti

Paulus in *Epiſtolâ ad Hebræos* ſatis demonſtravit, qui etiam Chriſtum propterea *legis finem* nunçupavit, Rom. X, 4.

Quod ad *prius* ſpeciatim attinet, Chriſtus non ſolum die ætatis octavo circumcidi, finitoque matris ſuæ puerperio Deo in templo præſentari voluit, Luc. II, 21. 22. ſed etiam quotannis Hieroſolymam profectus eſt ad celebranda feſta, Luc. II, 41. 42. Joh. II, 13. c. V, 1. ibique agnum paſchalem comedit, Matth. XXVI, 17-20.

Legi forenſi ſatisfecit Chriſtus, cum ſe omni mundanæ poteſtati ſubmiſſum præbuerit, ideoque non modo obſequium præſtiterit parentibus ſuis, Luc. II, 51. ſed etiam magiſtratui politico, Marc. XV, 1. Luc. XXIII, 7. Joh. XIX, 10. 11. Libenter etiam tributum ſuum ſolvebat, Matth. XVII, 24. 25. 27. Cæſarique debitum dare non improbabat, Matth. XXII, 21. Nec legimus in hiſtoria evangelica, Chriſtum unquam contra rem publicam ejusque adminiſtrationem aliqua dixiſſe, aut ſtatum politicum carpſiſſe. Probavit potius ſuo exemplo, omnem magiſtratum honorandum eique ex neceſſitate obediendum eſſe, Rom. XIII, 1-7. Accuſabatur quidem a Judæis rebellionis crimine, Luc. XXIII, 2. ſed ejus

ejus non convincere potuerunt eum, quapropter etiam a Pilato absolvebatur, Luc. XXIII, 14. 15.

Legi morali satisfecit, cum nunquam aliquid mali cogitaverit, 1 Joh. III, 5. nec dixerit, 1 Petr. II, 22. nec commiserit, Jes. LIII, 9. Hebr. VII, 26. 27. 1 Petr. II, 22. Publice hinc ad Judæos dicere potuit: *Quis ex vobis me alicujus peccati arguet?* Joh. VIII, 46. Tota ejus vita Deo hominumque saluti consecrata erat. Honorabat Patrem suum cœlestem, Joh. VII, 18. c. VIII, 49. obediebat parentibus suis, Luc. II, 51. & amabat omnes homines ex animo & toto corde usque ad mortem, Eph. V, 3. Joh. XIII, 1. c. XV, 9. Gal. II, 20. imo ipsos suos inimicos, quibus beneficia præstitit, Luc. XXII, 51. & pro iis apud Deum intercessit, Luc. XXIII, 34. Tentationes diaboli firmiter vincebat, Matth. IV, 1 - 11. & afflictiones summa patientia tolerabat. Miserebatur omnium miserorum, iisque opem ferebat sine ulla remuneratione, Matth. VIII, 16. 17. Imo cunctæ ejus actiones dici poterant beneficia & bona opera, Marc. VII, 37. Act. X, 38. Joh. X, 32. Objurgabant quidem eum Judæi de transgressione sabbathi, Matth. XII, 1. 2. 10. Marc. II, 23. 24.

Luc. VI, 27. sed injuriam ei faciebant, quia se suosque discipulos de hac accusatione ita defendere sciebat, ut Judæi obmutescerent, Matth. XIII, 3-13. Luc. VI, 3-11. c. XIV, 3-6.

Hac ratione Christus benefaciendo sanctissimeque vivendo legi morali in omnibus satisfecit, atque adeo perfectam coram Deo justitiam præstitit, quæ nobis per gratiam Dei fide apprehensam ita nunc imputatur, ut propterea justi habeamur, Rom. IV, 5. c. V, 1. c. VIII, 33. c. X, 4. 2 Cor. V, 21. nec ullius damnationis ulterius apud Deum locus detur, Rom. VIII, 1.

Non solum autem per suam obedientiam nostram inobedientiam compensare, Rom. V, 19. sed etiam exemplum imitationis nobis præbere voluit, 1 Petr. II 21. Inprimis dedit nobis exemplum humilitatis, mansuetudinis, patientiæ & benevolentiæ, Matth. XI, 29. Joh. XIII, 14. 15. 2 Petr. II, 22. quia hisce virtutibus minime omnium studemus.

Jure meritoque hinc *Christus* per suam satisfactionem activam a Deo *nobis factus* esse dicitur *sapientia, justitia & sanctimonia*, 1 Cor. I, 30.

CAPUT V.

DE

SATISFACTIONE CHRISTI PASSIVA.

Christus pro nobis Deo etiam satisfecit *patiendo*, cum pœnam peccati dependerit.

Deus ei propterea omnium hominum peccata imposuit, Jes. LIII, 6. 2 Cor. V, 21. Rom. VIII, 3. quæ etiam libenter in se suscepit & sustinuit, Jes. LIII, 11. 12. Joh. I, 29.

Etsi autem Christus pro nobis factus esse dicatur *peccatum*, 2 Cor. V, 21. non tamen propterea *filius diaboli* appellari debet, nec sanctitati ejus aliquid derogatur. Non enim inhæsive, sed *imputative* ei peccatum tribuitur.

Pœna peccati est *mors*, Rom. V, 12. c. VI, 23. Gen. II, 17. sub qua omne malum, quod per peccatum super homines qua corpus, & qua animam venit, intelligitur.

Ut vero hæc pœna, quam Deus hominibus propter eorum peccata irrogaverat, non modo dependeretur, sed etiam tolleretur, Filius ejus *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας*, h. e. *in similitudine peccaminosæ carnis* mittebatur in mundum, Rom. VIII, 3. quapropter etiam *agnus Dei*, *αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου*, h. e. *qui portat & tollit peccatum mundi*, dictus est, Joh. I, 29.

Hoc aliter non fieri potuit, quam quod moriatur morte violenta & cruenta, Hebr. IX, 22-28. Luc. XXIV, 26. 46. Act. II, 23. Luc. XVIII, 31. Joh. III, 14. Rom. V, 10.

Quæritur autem: *num Christus jure se pro hominibus morti tradere potuerit?* Respondemus affirmando, quia sui ipsius vitæ dominus fuit, Joh. X, 18.

Quæritur porro: *num Deus salva sua justitia & bonitate innocentissimum pro peccatoribus punire potuerit?* Affirmamus id etiam, quia volenti non fit injuria. Locus Ezech. XVIII, 20. agit de regula ordinaria stricti juris, quæ ad Christum θεανθρωπον non applicari potest.

Mors triplex est, naturalis, spiritualis & æterna.

Mors naturalis consistit in separatione animæ a corpore, 1 Reg. XVII, 21. 22. c. XIX, 4. Jon. IV, 3. Act. XX, 10. *mors spiritualis* in Dei ira & maledictione, Luc. XV, 24. Jes. LIX, 2. Ezech. XVIII, 23. Hos. IX, 12. 1 Joh. III, 14. Eph. IV, 18. & *mors æterna* in æterna damnatione, Matth. X, 28. 2 Thess. I, 9. Apoc. XX, 14. c. XXI, 8.

Omnem hanc mortem homines sibi tanquam pœnam peccati contraxerant, Gen. II, 17. Ab ea autem ut liberentur, Christus eandem subiit.

Subiit

Subiit & mortem naturalem, & mortem ſpiritualem & mortem æternam.

Mortem naturalem cum omnibus ærumnis & corporis doloribus, Jeſ. LIII,4.5. ſubiit Chriſtus, cum cruci affixus animam efflaverit, Matth. XXVII, 50. Marc. XV, 37. Luc. XXIII, 46. Joh. XIX, 30.

Mortem ſpiritualem ſubiit Chriſtus, cum ſe a Deo derelictum conqueſtus ſit, Pſ. XXII, 2.3. Matth. XXVII, 46. Marc. XV, 34. iramque Dei guſtaverit, Jeſ. LIII, 4.7.10. c. LXIII, 3-5. Matth. XXVII, 37.38. nec non divinam maledictionem in ſe ſuſceperit, Gal. III, 13. Rom. VIII, 3. 2 Cor. V, 21.

Mortem æternam quoque ſubiit, cum dolores infernales perceperit in monte olivarum Luc. XXIII, 43. 44. de quibus jam in V. T. conqueſtus eſt, Pſ. XVIII, 5.6.

Quæſtio inter Theologos orta eſt: *num Chriſtus dici queat, revera mortem ſpiritualem & æternam ſuſtinuiſſe?*

Reſpondemus diſtinguendo inter *mortis ſenſum* & *ſtatum.*

Mortis ſenſus proprie peccati pœna eſt, non vero mortis ſtatus. Hunc potius conſequens peccati nominare poſſumus, in quem omnes peccatores proæretici delabuntur, qui

propterea in ſacris literis *mortui* vocantur, Eph. II, 1. 5. Col. II, 13. 1 Tim. V, 6. Rom. VIII, 6. 13. Joh. VIII, 21. 24.

Ad ejusmodi peccatores *Chriſtus* non referri debet, quia proprii peccati expers fuit & non niſi aliena peccata in ſe ſuſcepit. Ad horum pœnam luendam *mortis ſenſus* ſufficiebat, quem Chriſtus non modo reſpectu mortis naturalis, ſed etiam reſpectu mortis ſpiritualis & æternæ ſubiit. Mortem naturalem autem non aliter ſentire potuit, quam efflando animam, alias non vere mortuus eſſet. Mortem ſpiritualem & æternam vero ſenſit tolerando utriusque dolores, ad quos perferendos neutiquam in ſtatum duplicis hujus mortis delabi debuit. Senſit itaque Chriſtus tam dolores infernales, ut ſupra audivimus, quam etiam anxietates & terrores conſcientiæ, de quibus conqueri ſolent peccatores, qui magnitudinem peccatorum ſuorum & iram divinam ſibi contractam agnoſcere incipiunt, ut exemplo nobis eſt David Pſ. VI, 2 - 5. 7. 8. Pſ. XXXII, 3. 4. Pſ. XXXVIII, 2 - 11. Pſ. CII, 4 - 11. Pſ. CXLIII, 4. qui tamen neutiquam propterea in deſperationem cecidit.

Non autem ſufficiebat ad hominum ſalutem, Chriſtum tantum morte ſua Deo ſatisfeciſſe

fecisse, sed necesse etiam erat, ut virtute sua *mortem vinceret.* Hinc ad destruendam & abolendam istam non solum in mundum venisse, sed in illo etiam mortuus esse dicitur, 2 Tim. I, 10. Hebr. II, 14. 15. 1 Cor. XV, 55. Jes. XXV, 8. Hos. XIII, 14. Col. II, 15.

Hoc modo & *mortem vicit* & de eadem *triumphavit.*

Vicit 1) *mortem naturalem*, cum propria virtute revixerit, Rom. XIV, 9. Joh. X, 18.

Vicit 2) *mortem spiritualem*, cum Deum placaverit, Col. I, 19.

Vicit denique 3) *mortem æternam*, cum infernum sub suam potestatem redegerit, Hos. XIII, 14. 1 Cor. XV, 55. Apoc. I, 18.

Cum victoria conjunctus est *triumphus.* Hunc etiam Christus egit de triplici morte.

Triumphavit 1) *de morte naturali*, cum resurrexerit, 1 Cor. XV, 54-56.

Triumphavit 2) *de morte spirituali*, cum in cœlos adscenderit & sedem ad dextram Dei occupaverit, Marc. XVI, 19. Hebr. I, 2. 3. Eph. I, 20-22.

Triumphavit denique 3) *de morte æterna*, cum ad inferos descenderit, Eph. IV, 8. 9. 10.

Per hanc triplicem victoriam & triumphum Christus nobis factus est *ἀπολύτρωσις* f. *redem-*

redemtio, 1 Cor. I, 30. quatenus nempe meritum ejus fide apprehendimus, uti jam pluribus ostendemus.

CAPUT VI.

DE

MERITO CHRISTI s. EFFECTU REDEMTIONIS.

M*eritum* vocatur, quodcunque opera nostra acquiritur.

Nos indigebamus *bonis cœlestibus*. Hæc cum non opera nostra propter virium debilitatem & gratiæ divinæ defectum acquirere possemus, necesse erat, ut alius, cui nec gratia Dei nec vires deficerent, in locum nostri succederet & id præstaret, quod ad impetranda bona divina & cœlestia requirebatur.

Hic non alius esse potuit, quam *Christus*, qui non solum sufficientes vires, sed etiam omnem gratiam apud Deum, Matth. III, 17. c. XVII, 5. habuit.

Hic omnia perfectissime præstitit pro nobis ad acquirendum, quodcunque in tempore & æternitate nobis saluti esse & nos beatos reddere potest. Sic *meruit* gratiam Dei & vitam æternam.

Hoc *meritum* fide apprehendere debemus, si nobis salutare esse volumus. Alibi de hac

fide plura docebimus. Hic tantum de merito Chriſti ipſo agimus, de quo aliqua adhuc prolaturi ſumus.

Meritum Chriſti comprehendit omne, quod Chriſtus redemtione ſua nobis acquiſivit. Ipſe nominat iſtud ζωὴν καὶ περισσὸν, h. e. *vitam & abundantiam*, Joh. X, 10. Huc ſpectant etiam loca Joh. XX, 31. 2 Tim. I, 10. Joh. XIV, 19. 1 Joh. IV, 4.

Sicut *mors* omne malum, quod per peccatum nobis contraximus, indicat, ita etiam *vita* ſignificat omne bonum, quod Chriſtus nobis promeruit, Rom. VIII, 6.

Promeruit autem nobis Chriſtus 1) *vitam naturalem*, cum nos non quidem a morte naturali penitus liberaverit, at ejus tamen acerbitatem ita demſerit, ut *mors* fidelibus non porro ſit vera pœna, ſed potius a) *quietus ſomnus*, 1 Cor. XV, 20. 51. Matth. XXVII, 52. Joh. XI, 11. Act. XVII, 60. 1 Theſſ. IV, 13. b) *medium purificationis a peccato*, Rom. VI, 7. & c) *tranſitus ad vitam æternam*, Luc. XVI, 22. Apoc. XIV, 13.

Fideles igitur mortem pro magno lucro habent, Phil. I, 20. eamque ſibi exoptant, Phil. I, 23.

Promeruit nobis Chriſtus 2) *vitam ſpiritualem*, ſecundum quam non ſolum in gratiam Dei reducti ſumus, Joh. I, 16. 17. Rom. III, 24. c. V, 2. 1 Petr. II, 10. ſed etiam *juſtitiam*, Rom.

III, 22. 25. 26. c. IV, 5. c. V, 18. c. VIII, 33. 1 Cor. VI, 11. *remissionem peccatorum*, Act. X, 43. Eph. I, 7. *pacem*, Luc. XXIV, 36. Act. X, 36. Rom. V, 1. Col. I, 20. *Spiritus Sancti inhabitationem*, Tit. III, 6. Rom. VIII, 9-11. 14-16. 26. 1 Cor. III, 10. 2 Cor. V, 5. Gal. IV, 6. 1 Joh. III, 24. & *omnia alia bona spiritualia*, Rom. XV, 27. impetravimus.

Gratia Dei est quasi fons omnis salutis & benedictionis. Hanc si consecuti sumus, nos cum Christo ἐν κοινωνίᾳ s. communione versari dicimur, 1 Cor. I, 9. 1 Joh. III, 24. c. IV, 13. Et hæc communio est *vita* illa, quam *spiritualem* nominare solemus, de qua gloriatur Paulus, Gal. II, 20. Ipse Christus propterea se vocat vitam fidelium, Joh. XI, 25. c. XIV, 6. quia fideles in communione cum eo Deo εἰς εὐδοκίαν vivunt, 2 Thess. I, 11. Deique amoris, gratiæ & gloriæ per totam vitam certi sunt, Rom. VIII, 38. 39. atque adeo nullum malum, Ps. III, 7. Ps. XXVII, 1. Ps. XLVI, 3. Ps. CXXI, 7. 8. Jes. XLI, 10. nec ipsam mortem timent, Prov. XIV, 32. Rom. XIV, 8. Phil. I, 21. Joh. XI, 25. 26.

Promeruit nobis etiam Christus 3) *vitam æternam*. Ad hanc quidem creati sumus, Sap. II, 23. per lapsum Adami vero ejusdem jacturam fecimus, Rom. V, 18. Ut autem eam recuperemus, Filius Dei in assumta humana natura acerbissimam mortem sustinuit. Per hanc seda-

ſedavit iram Dei & nos ab æterna damnatione liberavit, nec non januam cœli nobis aperuit. Quicunque igitur in eum credit, ad æternam vitam evehitur, Joh. III, 16. 36. c. V, 24. c. VI, 40. 47. 54. c. X, 28. c. XX, 21. Rom. VI, 23. 1 Joh. V, 11. 1 Petr. V, 10. & quidem jure quaſi hæreditario, Tit. III, 7. Matth. XXV, 34. 1 Cor. XV, 50. quia per Chriſtum filii Dei, Joh. I, 12. Gal. III, 26. 1 Joh. III, 1. Col. I, 12. ideoque ejus hæredes facti ſumus, Rom. VIII, 17. Gal. IV, 7. Apoc. XXI, 7.

Ad meritum Chriſti etiam pertinet *liberatio a diabolo.* Cum enim homines per lapſum primorum parentum in ejus poteſtatem pervenerint, requirebatur aliquis, qui potentior ſit diabolo, Luc. XI, 22. ut ex ejus vinculis nos eriperet & crudelem hunc hoſtem vinceret.

Hoc factum eſt per Chriſtum, qui propterea in mundum venit, ut opera diaboli deſtrueret, 1 Joh. III, 8. Præſtitit hoc non modo per fortiſſimam ſuam reſiſtentiam Satanæ in magna ſua tentatione, Matth. IV, 1-11. ſed etiam per multifariam ſuam expulſionem malorum ſpirituum, Matth. VIII, 16. Luc. X, 17. c. XI, 20. Act. X, 38. utpote qui ex mandato ſuo ſemper debebant cedere de hominibus, Matth. VIII, 29-32.

Plenam *victoriam* Chriſtus ſuper diabolum reportavit per opus ſuum redemtionis, cum divina

divina virtute vinceret mortem, Hebr. II, 14. Col. II, 15. Apoc. XII, 9.

Liberati propterea dicimur ex poteſtate tenebrarum, Col. II, 13. ita tamen, ut diabolus adhuc quidem obambulet ſicut rugiens leo, & quærat, quem devoret, 1 Petr. V, 8. cui vero armis ſpiritualibus reſiſtere poſſumus, Eph. VI, 10-12. Jac. IV, 7. 1 Petr. V, 9. 2 Cor. X, 4. Vinctus eſt catenis caliginis, 2 Petr. II, 4. & ſine noſtro conſenſu nos non redigere poteſt ſub ſuam poteſtatem, Luc. XI, 24-26. imo, ne quidem ſine permiſſione Dei aggredi, Hiob. I, 12. c. II, 6. Matth. VIII, 31.

SOLI DEO GLORIA.



ERRATA TYPOGRAPHICA
ab ipſo B. L. corrigenda.

Pag. 34 lin. 27 *lege:* inverſio textus rerumque
35 l. 8 *l.* aliquid
58 l. 2 *l.* ſuamet virtute
61 l. 24 *l.* fuerunt
68 l. 21 *l.* fruſtra
72 l. 20 *l.* queritur
75 l. 9 *l. pro attinentia:* accommodatio
105 l. 14 *dele:* iſtos
188 l. 8 *lege* initium
198 l. 23 *l.* quod tamen non tuto aſſeri poteſt,
222 l. 8 *dele:* bonas
262 l. 10 *dele:* vel
264 l. 29 *lege:* acceſiſſet
297 l. 8 *dele:* econtrario vero
409 l. 19 *lege:* imminutum

